7/6

R Ellis

UNIVERSITÉ DE GAND

RECUEIL DE TRAVAUX
PUBLIÉS
PAR
LA FACULTÉ DE PHILOSOPHIE ET LETTRES

1ER FASCICULE

LUCUBRATIONES MANILIANAE

SCRIPSIT

P. THOMAS

GAND
LIBRAIRIE CLEMM (H. ENGELCKE SUCCESSEUR)
RUE DE L'UNIVERSITÉ, 24
1888.

R Ellis

Marcus Manilius

LUCUBRATIONES MANILIANAE

SCRIPSIT

P. THOMAS

PH. DOCT. IN FAC. PHILOS. UNIV. GANDAV. PROF. ORD.

INEST CODICIS GEMBLACENSIS COLLATIO.

GANDAVI

APUD CLEMM (ENGELCKE)

A. MDCCCLXXXVIII.

RECUEIL DE TRAVAUX

PUBLIÉS PAR LA FACULTÉ DE PHILOSOPHIE ET LETTRES
DE L'UNIVERSITÉ DE GAND.

EXTRAIT DU RÈGLEMENT.

Les travaux des professeurs, maîtres de conférences et chargés de cours seront publiés sous la responsabilité personnelle de leurs auteurs.

Ceux des élèves et anciens élèves seront publiés en vertu d'une décision de la Faculté.

I.

Lib. I, v. 20—27 ed. Jacob:

Bina mihi positis lucent altaria flammis;
Ad duo templa precor, duplici circumdatus aestu,
Carminis et rerum; certa cum lege canentem
Mundus et immenso vatem circumstrepit orbe,
Vixque soluta suis immittit verba figuris.
Quem primum interius licuit cognoscere terris?
Munera caelestum. Quis enim, condentibus illis,
Clepsisset furto mundum, quo cuncta reguntur?

Versuum 25 et 26, quales procudit Jacob, sententiam nunquam expedire potui. Neque Scaligero neque Bentleio, quorum alter scripsit:

Quem primum infernis licuit cognoscere terris
Munera caelestum?

alter:

Quem primum interius licuit cognoscere caelum
Munere caelestum?

res feliciter cessit. Nam cuivis apparet et „*infernis terris*" insulsum esse, et „*munera caelestum*" non idoneo sensu pro „*res divinas*" sive „*caelestia*" poni, et „*caelum*" pro „*terris*" audacius subici. Quid quod Manilius quis fuerit primus ille, cui caelum interius cognoscere licuerit, nusquam indicat?

Cod. Gembl. habet: *Munera vel munere.* Tu scribe *munere* (cf. l. II, v. 115: *Quis caelum posset nisi caeli munere nosse?*) et tolle molestum istud interrogationis signum; iam omnia plana fient:

Quem primum interius licuit cognoscere terris
Munere caelestum.

Quem non est interrogativum sed relativum pertinens ad nomen quod est „*mundus*“ (v. 23). Sensus est: *Licuit terris* (i. e. hominibus) *eum* (sc. mundum) *interius cognoscere primum munere caelestum.* Omne sententiae pondus inest verbis: *Munere caelestum,* quibus infra (v. 40) haec opponuntur:

Et natura dedit vires seque ipsa reclusit.

Terras pro *hominibus* a poëtis usurpari vix est quod moneam. Et vide quam acute sit dictum: *Licuit terris cognoscere mundum* (i. e. caelum, ut sexcenties apud Manilium).

L. I, v. 797—799, in heroum fortiumque virorum, qui in caelum recepti sunt, enumeratione:

Et Cato fortunae victor, matrisque sub armis
Miles Agrippa suae, Venerisque ab origine proles
Iulia descendit caelo, caelumque replevit.

A recto orationis tenore desciscunt illa: *Venerisque — replevit.* Perturbatam constructionem restitues legendo:

Miles Agrippa suae, et Veneris quae ab origine proles
Iulia descendit caelo, caelumque replevit.

Cf. v. 784—785:

Et Iove qui meruit caelum, Romamque Camillus
Servando posuit.

Vide etiam infra ad lib. V, v. 24.

De elisione longae syllabae apud Manilium adeundus est Adolfus Cramer in accuratissima dissertatione *de Manilii qui dicitur elocutione,* p. 13—17 (= Dissertat. philolog. Argentorat. select., vol. VII, p. 69—73), Argentorati, 1882.

L. I, v. 882—885, in descriptione pestilentiae qua laboravit quondam Attica:

Qualis Erechtheos pestis populata colonos
Extulit antiquas per funera pacis Athenas,
Alter in alterius labens cum fata ruebant.

Haereo in extremo versu. Nam quod Pingré interpretatur: „Ses malheureux habitants périssaient sur les corps même de leurs concitoyens," in nota subiungens: „Fata nonnunquam pro funere vel cadavere ponuntur. Cf. Propert. L. I, Eleg. 17, v. 11," id, opinor, non multis probabit.

Bentleius coniecit:

Alter in alterius labens cum colla ruebant.

Ingeniose quidem et satis γραφικῶς; sed nescio an aptior sententia evadat, si scribas:

Alterum in alterius labem cum fata ruebant.

Ostendit scilicet poëta contagium morbi ex aliis in alios vulgari. Sensus est: cum fata eos in mutuam perniciem ruebant, i. e. sternebant, affligebant.

L. II, v. 252—253:

Tuque tuo, Capricorne, gelu contractus in astris,
Prone iaces; Cancer patulam distentus in alvum.

Jacob haec adnotat: „*Contra iacet* omnes. Ego correxi." Minime ille quidem vitiosam lectionem correxit, sed vitiosiorem reddidit. Nullus est in enumeratione verbo finito locus. Cod. Gemblac. habet *Contrat iacet,* unde veram scripturam eruisse nobis videmur:

Contra te et Cancer patulam distentus in alvum.

Cf. lib. I, v. 672; II, 494, 554—555; III, 635—637; IV, 323.

Ineptum illud *iacet* ex dittographia ortum est; scilicet ex CONTRATEET factum est CONTRATET, dein CONTRATRATET vel CONTRATATET, unde fluxit, corrigente, ut sibi videbatur, librario, CONTRAIACET (CONTRATIACET).

L. III, v. 3—4. Musas alloquitur poëta:

. . . . Vestros extendere fines
Conor, et dignos in carmina ducere cantus.

Sic Jacob; at v. 4 neque metrum neque sensus constat. Cod. Gemblac.: *Conor et indignos* (non, quod novissimus

editor somniat, *irriguos*, quae conjectura est Scaligeri) *in carmine ducere cantus.* Lips. et Cus.: *in carmine;* Voss. 1: *in carmen.*

Interpretum ineptias refellere supersedeo. Ulcus inest verbis, quod validioris fortasse medicinae egeat. Dubitanter propono:

Conor, et in dignos caelestia ducere cantus.

Cf. l. V, v. 469: *Mille alias rerum species in carmina ducent.*

L. III, v. 111—116:

Iudiciorum opus in quarto natura locavit
Fortunamque fori: fundentem verba patronum
Pendentemque reum lingua, rostrisque loquentis
Impositum et populo nudantem condita iura,
Atque expensa sua solventem iurgia fronte,
Cum iudex veri nihil amplius advocat ipso.

V. 114 codex Voss. 2 (quem Jacob in oculis gestat) unus habet *Impositum;* ceteri: *Imposita.*

Vitium v. 113 inesse Bentleius sensit, et ei adstipulatur Jacob, qui animadvertit „omnia haec ad iudicia pertinere neque rostrorum locum esse.“ Sed Bentleii coniectura:

Pendentemque reum lingua voltuque loquentis
Composito; et populo nudantem condita iura,

non omnibus numeris absoluta nobis videtur. Displicet patroni reum defendentis voltus ille compositus. Quidni scribas:

Pendentemque reum lingua voltuque loquentis;
Imposita et populo nudantem condita iura,

Etc.

Nudantem vim nominis habet.

Olim coniciebamus:

Pendentemque reum lingua labrisque loquentis.

Sed hoc Franco-Gallicum magis quam Latinum sermonem redolet, cum Latinis sollennis sit formula loquendi

pendere ex vel *ab ore alicuius,* nostris autem: „être suspendu aux lèvres de quelqu'un."

L. III, v. 120—122:

Quintus coniugio gradus est per signa dicatus,
Et socios tenet et comites, hic hospitis una
Iungitur et similis coniungens foedus amicos.

Ad v. 121 haec adnotat Jacob: „*Comites* (*comitem* V. 2) *hospitis,* om. *hic,* quod ego interposui, omnes. Alii fortasse *hoc* malint." In quo bis peccavit, primum quod neglexit cod. Gemblac. lectionem a Scaligero diserte memoratam: *Et socios tenet et comitantes hospitis una;* deinde quod admodum insulse *hic* vel *hoc* infersit. Praeterea *Iungitur . . . coniungens* tolerari nequit. Nos, libri Gemblacensis vestigia secuti, scribimus:

Et socios tenet et comites, atque hospitis una
Dat iura et similis coniungens foedus amicos.

Hospitis iura i. e. hospitii vincula.

Cf. l. II, v. 679—680:

Haec ad amicitias imitantes iura gradumque
Sanguinis atque animis haerentia pectora ducunt.

L. IV, v. 108—111. Confirmat poëta fato omnia regi:

Nec tamen haec ratio facinus defendere pergit,
Virtutemve suis fraudare in praemia donis;
Nam neque mortiferas quisquam magis oderit herbas,
Quod non arbitrio veniunt, sed semine certo;

Etc.

V. 110 „*magis*" male pro „*minus*" poni ipsa orationis series satis demonstrat. Nihil tamen mutandum censeo, quippe ipsius auctoris error est, non scribae, simillimus illi quem apud Florum (III, 17 = II, 5) repperimus: *Nec ideo minus socii promissa Drusi a populo Romano reposcere armis desierunt.* Cf. ea quae de negationibus a scriptoribus Latinis perperam vel additis vel omissis disputavimus (*Revue de l'Instruction publique en Belgique,* t. XXVIII, p. 1 sqq.).

L. IV, v. 152—155:

Mollius e Geminis studium est et mitior aetas
Per varios cantus, modulataque vocibus ora,
Et gracilis calamos, et nervis insita verba
Ingenitumque sonum; labor est etiam ipsa voluptas.

Quid? etiam voluptas ipsa est labor? Ne illi laboriosi sunt et vere miseri qui sub Geminorum signo nascuntur. Sed, litterula una mutata, sinamus eos, ut consentaneum est, delicate et molliter vivere:

. . . . *labor est etiam ipse voluptas.*

Similiter peccant libri l. II, v. 116; l. V, v. 170, et alibi.

L. IV, v. 402—403:

Quo remis lucrum naves, Martemque sequentur
In praedas?

Mirum quantum hic turbaverit Jacob, codici suo (scilicet Voss. 2) nimium addictus; solus enim haec monstra exhibet eximius ille codex: *Que remus* et *sequentur.* Ceteri omnes, nisi fallor, et in his Gemblacensis noster: *Quaeremus* et *sequemur;* recte. Mendum superest in vocabulo „*naves*", necdum probabilem coniecturam repperi. Scribendum esse suspicor:

Quaeremus lucrum ventis, Martemque sequemur
In praedas?

Cf. l. III, v. 151: *Fortunamve petat pelago ventisque sequatur.*

Viderint doctiores.

L. IV, v. 419:

Sic sterilis terris laetis intervenit annus.

Istud „*annus*" nihili est. Codices meliores omnes habent: *arvis.*

Pro „*terris*" Hauptius (in Ind. lect. in Univ. Berol. per sem. hib. a. 1866—1867 habendarum, p. 8) reposuit *torres.*

Idem iam dudum invenerat Breiter (*De emend. Man.*, p. 15). Neque id moneo, quo de laudibus viri in paucis docti et ingeniosi quidquam detraham; sed est mos criticorum, ut, si in id, quod priores excogitaverunt, incideris, statim vel neglegentiae vel ignorantiae vel etiam furti te insimulent. Qui si reputaverint etiam viris et eruditissimis et diligentissimis et honestissimis saepenumero accidisse ut inventa sua pro novis falso haberent, mollius, credo, de his rebus iudicent, praesertim cum emendationi maior accedat auctoritas, si plures per se in eam devenerint. Cf. etiam ad l. V, v. 24.

L. IV, v. 423—424:

Et nunc per scopulos, nunc campis labitur amnis,
Aut faciens iter aut quaerens uritve reditve.

Aperte vitiosum est verbum „*urit.*" Bentleius reponebat *currit*, quod sane languet. Fortasse nos melius sic:

Aut faciens iter aut quaerens urgetve reditve.

Urgere intransitive, ut l. III, v. 675:

Cetera nunc urgent vicibus, nunc tempore cedunt,

et apud Verg., Georg., l. III, v. 200:

. . . *longique urgent ad littora fluctus.*

L. V, v. 8—9:

Me properare viam mundus iubet, omnia circum
Sidera vectatum toto decurrere caelo.

V. 8 scribe cum Scaligero (neque ei refragatur Jacob): *Me properare viam mundi lubet* (*libet* habent omnes codd.), cf. l. IV, v. 578:

Ardentem mediis animum libet ire per ignes.

In eis quae sequuntur molestum est asyndeton, quod iam pridem iure suo sustulit Bentleius:

. . . . *omnia circum*
Sidera vectatum et toto decurrere caelo.

L. V. v. 24—25. Enumerat poëta signa quorum vires declaraturus est:

Quaque volet stellatus Equus, celerique sagittae
Delphinus certans, etc.

Volat habent Lips., Voss. 1, Gembl. Audiamus Hauptium (l. cit.): „Alia etiam Manilianorum versuum menda Bentleius rectissime intellecta audaciore molimento removit. Sic libro V, 24 verissime iudicavit ferri non posse *quaque volat stellatus equus:* in longa enim signorum enumeratione continua est nominativorum casuum series, qui omnes suspensi sunt ex eo verbo a quo enumeratio illa incipit v. 12, *hinc vocat Orion.* Scripsit *inque alas stellatus.* Pulcherrimum hoc est Bentleioque dignum: sed nos modestius scribemus *quique volat stellatus equus.*" Id ipsum adscripseramus olim margini exemplaris nostri, certissimamque emendationem nobis praeripuisse Hauptium nonnihil dolebamus. Sed ecce! nuper vidimus primum omnium eam repperisse Michaelem Fayum in illa, quam hodie parvi faciunt, editione ad usum Delphini (Parisiis, 1679).

L. V, v. 50:

Victa Syracusis Salamis non merget Athenas.

Jacob ad h. l.: „*Vera* ceteri; quod frustra explicare Bentleius studuit. *Utraque* Voss. 2. Ego correxi. Syracusis victa Salamis, gloria et potentia navalis, Athenas pessum dedit." Pulchre, mehercle; sed malim:

Ulta Syracusis Salamis non merget Athenas,

i. e. clades ab Atheniensibus Syracusis accepta, quae ulta est Persas in Salaminia pugna devictos, non merget, non pessum dabit Athenas. *Ultus* passive saepius occurrit. De metonymia cf. Flor. I, 24 (= II, 8), 13: *Epheso Salamina pensavimus.*

L. V, v. 91:

. . . *Salmoneus, qui caelum imitatus in urbe,*

Etc.

Repone *in orbe,* quod omnes codices praebent praeter Voss. 2, cui nimis tribuit Jacob. *Caelum* (vel *mundus*) et *orbis* apud Manilium constanter inter se opponuntur. V. l. I, v. 760; l. II, v. 127—128, alibi.

L. V, v. 105—107:

. . . Nec crede severae
Frontis opus signi, strictos nec corda Catones,
Abreptumque patri Torquatum, et Horatia facta.

Ita Jacob. V. 106, Voss. 1, Cus., Lips. (prima manu) habent: *strictos incude;* Gembl. et correct. Lips.: *strictos in coda;* omnes: *Catonis.* Locum vexatissimum sic emendare conabar:

. . . strictum ensem in corda Catonis,

quoniam de re (sive actione) magis quam de persona agitur, ut docet sequens versus:

Abreptumque patri Torquatum et Horatia facta.

De Catone sibi manus afferente cf. l. I, v. 797; l. IV, v. 87.

Neque tamen verum me repperisse contendere ausim. Viros doctos aliquando meliora prolaturos esse spero.

L. V, v. 135—136:

Hinc fidae mentes tremebundaque corda creantur,
Suspensa strepitus, levibusque obnoxia causis.

V. 135 pro „*fidae*" scribendum *trepidae,* ut est in edd. vett. — V. 136 *Suspensa strepitus (suspensas trepidis,* vel *trepidus,* vel *trepitus,* codd.) et soloecum est et contra metrum peccat (cf. Ad. Cramer, op. cit., p. 17—18 = 73—74). Bentleius restituit: *Suspensa in strepitus.* Ego praetulerim: *Suspensa ad strepitus.* De hoc particulae *ad* usu v. Draeger, *Hist. Synt.,* § 252, 4.

L. V, v. 150—151:

Pumicibusque cavis horrentia membra polire,
Atque odisse virum, sterilisque optare lacertos.

Quod prius conieceram: *teretesque optare lacertos,* occupavit Ruhnkenius ad Rutilium Lupum, p. 94 (Lugd. Batav., 1768). Sed nihil movendum. *Sterilis lacertos* non est *vulsos,* ut exponit Scaliger, contra quem recte disputat Ruhnkenius, sed natura glabros.

L. V, v. 280—282. Spica, inquit poëta, arvorum ingenerat studium rurisque colendi, hoc est, semina credere terris, etc.:

Et si forte labor ruris tardaverit artis,
Quis sine nulla Ceres, non ullus seminis usus,
Subdere fracturo silici frumenta, etc.

V. 280 admodum obscura est sententia. „Non mihi persuadeo, inquit Jacob ad h. l., labore ruris fatigatum agricolam ad ceteras artes accessurum.“ Adde huc quod, si verba distinguas ut fecit Jacob, pronomen *quis* (v. 280) nullo modo ad vocabulum quod est *„artis“* pertinere potest, sed ad *„ea“* subauditum et infra per infinitivos *subdere,* etc., explicatum, quae ratio durissima est. Id probe intellegens Pingré ita interpungit:

Et si forte labor ruris tardaverit, artes
Quis sine nulla Ceres, etc.

Notamque addit: „Nous suivons l'interprétation d'Huet — (at in Huetii animadversionibus de interpunctione verbum nullum) —; la ponctuation de Bentlei — (quam recepit Jacob) — semblerait en supposer une autre, qui ne nous paraît guère admissible.“

Quod ad sensum quidem attinet, probabilis est ea, quam Pingré probavit, lectio. Sed displicet locutio *labor tardat* pro *labor cessat;* displicet accusativus *artes* pendens ex verbo longius remoto (*ingenerat,* v. 273).

Equidem puto Manilium non de intermissione ruris laborum loqui, sed hoc voluisse: homines qui sub Spicae signo nascuntur agris colendis student *aut saltem* pistrinam exercent. Huc ducit formula *Et si forte* . . . Cf. l. V, v. 492 sqq.:

Illius in terris orientis tempore natus
Ad spolia et partas surget vel caede rapinas
. . . . . .
Et si forte bonis accesserit impetus ausis,
Improbitas fiet virtus, etc.

V. 649 sqq.:
Hinc fuga nascentum, dolus insidiaeque creantur,
Grassatorque venit mediam metuendus in urbem.
Et si forte aliquas animus consurget in artis,
In praerupta dabit studium, etc.

V. 459 sqq.:
Quin etiam tragico praestabunt verba cothurno
. . . . . .
Et si quis studio scribendi mitior ibit,
Comica componet laetis spectacula ludis
. . . . . .
Et si tanta operum vires commenta negarint,
His dexter tamen actor erit, etc.

V. 447 sqq.:
At si deficient artes, remanebit in illis
Materies tamen apta, etc.

Huiusmodi igitur sententiam requiro: *Et si forte natura eis negaverit vires ad opus ruri faciendum, exercebunt artes sine quibus* etc. Sed emendationem nondum inveni.

L. V, v. 361:

Regalis ut opes et sacra aeraria servent.

Unus Gemblac. habet *sancta (sca)*, quod mihi reponendum videtur: de *aerario sanctiore* lectorem verbo admonuisse satis erit.

L. V, v. 599. Poëta describit Persea cum bellua pugnantem:

Sed quantum illa subit, spumam eiaculata profundo,
In tantum revolat, etc.

Omnes codd. habent: *semper iaculata.*

Bentleius scripsit: *seque eiaculata profundo est.* Melius J. Fr. Gronovius (Observ. l. II, c. 11): *semet iaculata profundo,* quod et ipsi excogitaveramus.

L. V, v. 646—648:

Nixa genu species vel Graio nomine dicta
Engonasin, (quicunque latet sub origine, constat)
Dextra per extremos attollit lumina Pisces.

Misere corruptus est in libris v. 647: *Et comas inguicula vides,* Voss. 1, Lips. (sed a corr. *comaes*), Gembl. (sed *inguicola*); *Et gonas iugui onlandes,* Voss. 2. Alia alii tentarunt viri docti, quorum commenta in medium vocare longum est; omnium autem pessime hunc versum tractavit Jacob. Ne plura, veram lectionem me repperisse propemodum confido:

Engonasin, cui nulla fides sub origine constat,

i. e. de cuius origine nihil certi memoriae proditum est. Vocabulum quod est „*fides*" hoc sensu usurpat noster l. I, v. 729 sqq.:

An melius manet illa fides (gallice: „tradition") *per saecula prisca?*
Illac solis equos diversos curribus isse,

Etc.

Particula *sub* Manilium audacius uti vel abuti quicunque evolvit eius librum bene novit. Consule, si vacat, indicem quem confecit Jacob.

Ad sententiam cf. l. I, v. 315:

Nixa venit species genibus, sibi conscia causae.

Emendationem nostram lenissimam esse et a ductibus litterarum, quos libri manuscripti exhibent, non multum recedere cuivis perspicuum est.

II.

Codicis Gemblacensis formam satis accurate descripsit Malvinus Bechert[1], nisi quod errores quosdam leviores commisit, quos obiter corrigere haud absurdum fuerit.[2]

Quae Prisciani carmini subscripsit manus XIV, ut videtur, saeculi, sunt haec: „Liber sancti Petri Gemblacensis“, non: „Lib. S. ptnt̃ Gemblacens.“ Permiscuit scilicet V. D. Prisciani carminis subscriptionem eis quae in fine lib. V Astronomicon leguntur. Vid. collat.

Codicem Lutetiam Parisiorum ex ipso monasterio Gemblacensi delatum esse (p. 4) nego; namque eum P. Danielis Papebrochii soc. Iesu Antverpiensis (1628—1714) fuisse testantur ea quae in fronte primae paginae inscripta sunt.[3] Anno autem 1773, Maria Theresa regnante, cum societas Iesu e provinciis nostris sublata esset, libri, qui in eius ordinis bibliothecis adservabantur, Bruxellas in bibliothecam quam dicunt ducum Burgundionum deportati sunt.

Porro minus recte scripsit Bechert (p. 4—5): „... manu autem saeculi ut videtur XVI — (*immo* XV) — haec apposita: Mãlius poeta *eademque manus nonnullas notas mar-*

---

[1] In libello cui titulus: *De M. Manilii emendandi ratione.* Lipsiae, MDCCCLXXVIII.

[2] Iocülariter erravit vir in rebus antiquis probe exercitatus sed recentiorum temporum historiae haud perinde gnarus, dum scribit (p. 4): „. . . hunc librum inter seditiones turbasque belli civilis — *(Gallos Belgicam armis occupasse ignorare videtur)* —, quo proximo saeculo Gallia exarsit, Lutetiam Parisiorum delatum esse, ex sigillis duobus — *(immo tribus)* — patet, quorum alterum — *(immo duo)* — in prima, alterum in ultima codicis pagina exstat, his inscriptis litteris: BIBLIOTHÈQUE · NATIONALE atque in medio sigillo lictorum fasces conspicui sunt, super quibus *tegimen capitis fratrum ordinis quem ferunt Iacobinorum (!)* cernitur.“

[3] „Liber hic a. 1678 commodatus D° Sherburno per Dum Samuelem Carr Bibliopolam Londinensem a P. Danieli Papebrochio soc̃tis Iesu Antverpiae eidem restitui debet. restitutus est an. 1693.“ — Praeterea exhibet eadem pagina: „†. mi. 8°.“

gini adscripsit atque duas lacunas, de quibus infra videbimus, replevit." Quae margini notas adscripserunt atque lacunas suppleverunt manus — sunt autem duae, quas in collatione α et β signavimus — ab illa saeculi XV manu plane diversae sunt.[1]

Tum quod ille dicit (p. 5): „Ceteris — *(praeter librum I)* — libris neque supra neque infra quidquam scriptum legitur binis versibus vacuis relictis", in eo vehementer errat, ut ex collatione nostra satis superque patebit.

Quid vero sibi voluerit cum contendit *codicem rasuras prorsus nullas habere* (p. 5), nescio (largam enim rasurarum copiam praebebit nostra collatio); nisi forte id intellexit, rasuras omnes ab ipsa prima manu esse.

Postremo male transcripsit per „—r—" vitii signum quod est 7.[2]

De collatione nostra pauca sunt quae lectorem moneamus. Codicem Gemblacensem ad editionem Friderici Jacob (Berolini, 1846) contulimus.[3] Compendia scripturae et pravas verborum distinctiones omnes omnino enotare, res erat et operosa et parum utilis; itaque ea selegimus quae ad crisim factitandam alicuius essent momenti. Restat ut collegae amicissimo Henrico Pirenne, qui nos propenso animo adiuvit, gratias agamus maximas.

---

[1] Fol. 99 v°, post subscriptionem l. V Astronomicon, nonnulla scripta fuerant ea manu, quam β significavimus. Sed recisus est huius folii margo inferior et erasi sunt duo, qui supererant, versus, ita ut haec tantum legere potuerimus: „Hic . . . . um . . die(?) festo Jacobi . . . . ."

[2] Duobus tantum locis (fol. 30 r° et fol. 96 r°) exceptis, ubi re vera ést r.

[3] Vitia typographica, quae in praefatione (p. XXI) indicavit Jacob, adnotare supersedimus. Ea ut in exemplari suo corrigat benevolus lector, comiter rogamus.

Lib. I.

V. 1. artis] artes — 5. nutantis] nutantes — 12. aethereos] aetherios — 13. vocat] vacat (*nulla est interpunctio post voc.* iuvat) — 14. caelo] coelo — 19. Phoebo] phebo — 21. precor] praecor (p̃cor) — 25. licuit] lucuit (*nulla est interpunctio post voc.* terris) — 26. Munera, *superscr. pr. m.* vel e — 29. dis] diis — 30. Cyllenie] cillenie — 38 *et* 39 *om.* — 42. tangentis] tangentes — caelo] coelo — 44. Nilos] nilus — 58. species] speties — 59. Praecepta] Precepta — 63. Depraendit] Deprendit — 64. aeterna] alterna — mundi] mundum — 69. maerens] merens — 71. similis] similes — 73. solertia] sollertia — 78. sed quisque] se quisque — 81. premendo] praemendo (p̃mendo) — 83. quodcunque] quodcumque — tentando] temptando — 88. commercia] commertia — 91. Nec] Ne — 95. solertia] sollertia — 97. caelum] coelum — 105. sonitum] solitum — 108. compraendere caelum] comprendere coelum — 112. vario] variis — 115. Annosa (o *in ras.*) — *Post v. 117 scr. pr. m.:* DE ORIGINE MVNDI — 118. caelo] coelo — 129. mile] mille — 130. paene] pene — summum] sumptum — 131. caelum] coelum — 134. in caelo] in coelo — 135. haec] hoc — 139. prohibentque] prohibetque (prohib&que) — 140. crearint] creantur — 141. nec calidis] ne calidis — 143. Quae] Quem — 147. quaecunque] quaecumque — 149. aethereas] aetherias — 150. caeli] coeli — 151. moenia] maenia — 155. natantis] natantes — 156. per fudit] perfudit (p̱fudit) — 158. Aeraque] Aereque — 160. arenis] harenis — 163. strinxerunt] struxerunt — 166. Exsiliit] Exiliit — 167. mediam et tenet] mediam tenet (*om.* et) — 171. Ictaque contra actis] Itaque contractis — 172. prohibentur longius] prohibent in longius — 175. Phoebus] Phebus — nunquam] num-

quam (numq) — 177. fulgeret] fulgerent, *sed* n *expunxit pr. m.* — 178. immerso] immenso — Olympo] olimpo — 181. cadat et subeat] caderet (cader&) subeat — caelum] coelum — 184. fata] facta — 186. Phoebus] phebus — caeli] coeli — isdem] iisdem — 189. tirocinio] tyrocinio — 190. qui tempora monstrat] quod (quod) tempora monstrant — 192. ad ortum] ad ortus — 193. caelum] coelum — *Post v. 193 scr. pr. m.:* QVARE TER‖RA ‖| SIT ROTVNDA· — 198. Phoebus] pheb. — 212. neque finis] nec finis — 214. tellus] stellis — manet] manent — figurat] figurant — 220. coercent] cohercent — 224. eoae *in ras.* — 225. quaecunque] quaecumque — 227. Sacraque] Seraque — 229. toto] toti — 234. gyros] giros — 238. oris] horis — 245. somnosque] somnos (*om.* que) — membra] menbra — 248. Membraque] Menbraque — 252. partis] partes — 253. Altera ut] Alter ut — 264. aversum] adversum — 265. notantem] vocantem — 272. defundit] diffundit — 274. cludentis] claudentis — 275. Atqui] At qui — cum surgis] consurgit — 276. caelo] mundo — 284. constitit] conspicit — 285. stant robora] stat robore — 296. arcum] arctum — 299. Cynosura] cenosura — 305. inter fusus] interfusus — 307. unquam] umquam — *V. 316 post v. 313 collocat.* — 314. frigentis] frigentes — 315. species] speties — 316. Arctophylax] artofilax — 321. in medio] in media *(distinguitur post voc.* circulus, *non post voc.* radians) — 323. desertae fulgent] desertae et fulgent — monumenta] monimenta — 325. Sidera] Sydera — ceperat] caeperat — 326. manesque] manansque — 329. sidera] sydera — 330. inmensum] immensum — 331. Ophiuchus] ophiucus — 332. Dividit, et iam toto urgentem corpore corpus] Dividit. atque etiam toto ingens corpere corpus — 333. Explicat] Explicet (Explic&), *superscr. pr. m.* vel at — et nodos] et(?) nodos — 335. Exsilit] Et dedit — 336. par et bellum] paribus bellum — 337. Cygni] cigni — 338. pretium] pretio — 340. plumea *inest* — 341. diductas] deductas — 343. Sidera] Sydera — 344. ceu] cui — mundo] mundi — 347. utrumque] utrunque

— 349. sidere] sydere — 350. Andromedam] andromeda — 353. sidus] sydus — 354. Cassiepia] casiepia (*in marg. add. rec. man. XVI vel XVII saec.* [α]: In poenas signata suas) — *Post v. 354 sequuntur vv. 399—442; dein vv. 355—398.* — 356. Pristis] piscis — 358. Ni] In — servet] fervet, *superscr. pr. m.* vel servet — 359. Auxilioque] Exilioque — 360. pestemque] testemque — 361. nixo] nexo — 362. Heniochus] Eniochus — 363. Iuppiter] iupiter — 364. Quadriiugis] Quari iugis — 365. Hoedi] hedi — sidere] sydere — 370. Iuppiter] Iupiter — 371. Pleiadesque] Pleyadesque — iuraque] utraque — 372. boream] borean — 374. sidera] sydera — 375. sidus] sydus — 376. lumina mundo] sydera mundum — 377. sub quis invia (*om.* iacet) — *In marg. add. rec. man. XVII saec.* [β]: aquis iacet — 380. laevamque] levamque — 383. sidera] sydera — 384. Cetera] Caetera — cedunt] caedunt — 385. sidus] sydus — 389 *et* 395. sidera] sydera — 398. cedit] caedit — vecors dum frigore surgit] nec horrida frigore saevit — *Post v. 398 sequuntur vv. 443—529.* — 399. Ac] Haec — 400. utrumque] utrunque — 401. quam] qui — 403. dicunt] ducunt — 409. caeruleo] ceruleo — 410. Cetera] Caetera — specie] spetie — 412. Procyon] prochion — Lepus] lupus — 417. Phoebo] phebo — Iaccho] Iacho — 422. tum di] tumidi — 423. Iuppiter] iupiter — 424. non posse timens] non pos timens, *superscr. pr. m.* se; os *in ras.* — 427. sidera] sydera — at ollis] colles — 428. e rupta] et rupta — 429. vultum] vultu — 430. pestiferum] hostiferum — quemquam] quenquam — aut *om.* — 431. Iuppiter] Iupiter — 432. Sidera] Sydera — 436. Cepheidos] cepheydos — 437. litora] littora — 438. Tum Notius] Tunc (Tc̄) nothius — 439. Exsurgit] Exurgit — noti] nothi — 440. gyros] giros — 441. Ulterius] Alterius — 442. sidera] sydera — 443. latentis] latentes — 446. notia] nothia — sidera] sydera — 448. innixa] innexa — templa] signa — 449. in conspectum] in conspectu — 450. speciem] spetie — similisque] similesque — 453. fugientia] fulgentia — 454. sidera] sydera

455. pingunt] pingit — 458. similis] similes — 459. membra] menbra — 460. cesset] cessit — 464. Subcubitura] succubitura — 465. sidera] sydera — 467. media] mediae — 468. celant] caelant — 469. Praecipue] Precipue — 470. conditur] caeditur (cęditur) — 472 *et* 476. sidera] sydera — 481. aut] et (&) — 482. quid tam vice] quiđ tam vice — *Post v. 482 scr. pr. m.:* DE AETERNITATE MVNDI — 484. Qua] Quam (Quā) — 486. moenia] maenia — 488. sidera] sydera — 490. conflare] constare — 498. noctis] noctes — 502. Arctos] Arctus — 505. mundo] caelo, *superscr. pr. m.* vel mundo — 507. poterant] poterat — 510. *Inter voce.* Servitium *et* imperiumque *litt. una erasa.* — 512. Graecia] grecia — 517. Et mutant] Exutas — 520. puncto] ponto — 529. in terra] in terram (in terrā) — sidera] sydera — *In marg. signum traiectionis* †, *quod ad v. 530 (fol.* 14v° *repetitur) appinxit man. satis antiqua.* — *Post v. 529 sequuntur v. 566—611; dein vv. 530—565; postremo vv. 612—804.* — 532. sidera] sydera — 533. in varias caelum] in caelum varias — *Post v. 538 scr. pr. m.:* DE MAGNITVDINE ET LATITVDINE MVNDI ET SIGNORVM — 539. Olympo] olimpo — 542. ceduntque] caeduntque — 545. quacunque] quaecumque — 546. gyri] giri — 548. refugit, *super* u *scr. pr. m.* vel i — 549. Astro] Astra — *In marg. scr. rec. man.* [*α*]: altera — 551. imo] uno — 552. quodcunque] quodcumque — 560. Sidera] sydera — 560. *In marg. scr. man. XIII vel XIV, ut videtur, saeculi:* De coluris — aethereos] aetherios — tibi] t̃ — 566. *In marg. inter. scr. pr. m. vel alia haud multo recentior:* De parallelis circulis — 568. sidera] sydera — 569. Phoebus] phebus — 570. circumfert] circunfert — 576. spira] spera — 577. limine] lumine — Phoebus] phebus — 580. medium] medio, *sed super* o *scr. pr. m.* ū — limite] lumine — 582. cingens] tangens — 585. nobis] vobis — 592. gyrus] girus — 593. adverso, o *refinxit pr. m.* — 595. circumdat] circundat — 599. texti] sexti — 601. servantes] servantis — 603. *In marg. scr. rec. man.* [*α*?] COLVRI — 608. mensibus *ex* men-

tibus *corr. pr. m.* — 609. Olympo] olimpo — 611. gyro] giro — 612. Hydram] ydram — sub austris] sub astris — 614. in caelum] in caetum — Ceti] caeti — 621. praebentem] prebentem — 624. gyri] giri — 622. Lyram] liram — 628. Cynosurae] cinosurae — *Post v. 630 scr. pr. m.:* DE ANABIBAZONTE (I *in ras.*) ET ORIZONTE — 631. haec] hoc — 634. Olympum] olimpum — 637. Hinc mutans] Hic mutat — Nam si quis] seu si quis — 643. Phoebus] phaebus — 644. premit] praemit (p̃mit) — 645. *Inter vocc.* ad *et* hesperios *duae vel tres litt. eras.* — 646. utraque] utranque — 648. gyri] giri — 650. terraque] terraeque — 655. repandens] repente — 656. ima] mota — 657. quocunque] quaecumque — 661. teget et referet] tegit et refert — 664. gyrus] girus — 665. horizon] orizon — *Post v. 665 scr. pr. m.:* DE ZODIACO LACTEO. — 667. gyros] giros — 668. Phoebus] phaebus — 671. lege] laege — 684. in adverso] in adversum — positus] positas — 685. ab boreae gyro] ad boreae giros — 686. Cassiepiae] casiepiae — 689 et 695. gyrum] girum — 691. sagittari laevam] sagittarii levam — 696. Heniochum] eniochum — 697. Cassiepia] Çasiepia — 698. coeptum] caeptum — 699. gyros] giros — 707. Inter, divisis] Inter divisis, *superscr. pr. m.* vel as — partis] partes — 710. Accipiuntque] Acipiuntque, *sed alterum* c *add. pr. m.* — 711. sic limes lucet Olympo] lucet sic limes olimpo — 718. diductis] deductis — 710. Segminibus] Seminibus — 723. mundus] mundum — 724. oras] horas — sidera] sydera — 730. diversos curribus] diversis cursibus — 732. Exustas *inest* — sidera] sydera — 733. Caeruleam] Ceruleam — 736. Phaethontem] Phetontem — 740. rigenti] rigentem — 741. Imposuisse] Impossuisse — *V. 742 post v. 743 collocat.* — 744. saevisse] sevisse — 748. flagrarunt] flagarunt — sidera] sydera — 755. densat] densa — 756. Connexas] Convexit — 757. caelato] collato — 758. numina] nomina — 761. Aethereos] Aetherios — 762. venerantur] veneramur — 763. Tydidemque] Titidemque — 764. Pyliumque] ilíumque, *superscr. pr. m.* i. nesto-

rem — 766. Assaracum atque Ilum, invictamque] Castra ducum et caeli victamque — 767. nigrum, *superscr. pr. m.* i. mennonem — 768. Lyciae] litiae — 769. Graecia] grecia — 773. Lycurgus] ligurgus *ex* ugurgus *refinxit pr. m.* — 774. Platon et] Plato nec — 776. quae] qui — 778. Horatia] oratia — 780. et cloelia] eo colia — 781. moenia] maenia — 782. commilitio] cum milicio — Corvinus adeptus] corvitus ademptus — 783. Phoebum] phaebum — 784. Camillus] camillis — 786. Pyrrhi] pirri — 787. pares] parens — 788. necato] notato — 789. Deci] decii — 790. Fabius] Flavius — 792. Carthaginis] Cartaginis — 793. trisque] tresque — 794. deum, *superscr. pr. m.* i. iulium — tullius, *superscr. pr. m.* i. cicero — 795. Claudi] Claudii — 798. Venerisque] ventrisque — 801. coetu] caetu — Quirinum] quirini — 802. candet] candit — 803. divum *ex* duim (*vel* dium) *corr. pr. m.*, *expuncto* ı *et superscr.* u — 804. virtute, te *ex* re, *ut videtur, refinxit pr. m.* — *Post v. 804 sequuntur vv. 809—812; dein vv. 805—808; postremo vv. 813 sqq.* — 805. *In marg. scr. man. XIII vel XIV seculi:* De cometis — 808. notandum est *om.; in marg. supplevit rec. man.* [β] — 809. sidera] sydera — 814. Protenus] Protinus — flammas] lammas — 815. factosque] tractosque — 820. torridus] cordibus — 821. Apta] Acta — 822. deprendit] depraehendit — rapacem] capacem — 825. coeptaque] ceptaque — fine] finem — 826. cometae *inest* — 830. Immersum] Immensum — *V. 833 om.* — 836. capillis] capillus — 837. ignis] ignes — 838. facies] species — 841. Quadratamve] quadratamque — teretemve] teretemque — 843. utero] uteros — pandosque capellos] partosque capillos — 844. parvos ignis] parvis signis — 845. menta] menses — 848. per liquidum] per nitidum — 850. Excurruntque] Exuruntque — volucris] volucres — 853. nubis] nubes — 854. penetrant] penitrant — Aetnamque] ethnamque — 860. coruscis, *super* o *scr. pr. m.* ⊢ — 863. cum videas] ne videas — 864. e mediis] et mediis — 866. potuit generare] posuit generarae (e *ex* a *effingere voluisse pr. m. videtur*)

— 867. ut cuncta] ob cuncta — 869. Titanius aestu] tytanius estu — 871. Cyllenius] cillenius — 874. miseratus] miseratur (miserat) — 876. Nunquam] Numquam — excanduit] excandunt — 879. maerentis] merentis — 881. letalis] laetalis — 883. succensis ... sepulchris] succensi ... sepulchri — 884. Erechtheos] ericteos — 890. coacervatis] coacervatis *ex* coatervatis *corr. pr. m. superscr.* c — 891. vix] via — heres] haeres — 895. Aegrotet] Egrotet — suum] novum — 898. foedere] faedere — 905. Saepe] Sepe — 910. arena] harena — 917. Roma pependit] pompa rependit — 920. hostis] hostes — 921. Pompeius] pompeus — cepit] caepit — *Post v. 926 spatium vacuum duorum versuum relictum est, in quo man. XV sec. rubr. litt. haec scripsit:* Explicit liber primus. Incipit secundus.

N = H ...

Lib. II.

V. 2. regnum *ex* rerum *corr. pr. m.* — 3. Hectoreasque facis] Haectoreumque facit. — 5. per aequora Ponto] per agmina ponto — 6. captisque] captis (*om.* que) — 7. patriae quem iura] patria quae (quę) iura — 8. profusos] profusas — 9. latices] lances — duxit] dixit — 12. parentis *inest* — 14. sidera] sydera — partus] corpus — 17. Bacchum] bachum — 18. lumina] numina — 19. Quin] Quique (Quiq;), *superscr. pr. m.* vel quin — notavit] notarit, *superscr. pr. m.* vel rogarit — 20. Bacchus] bachus — amaret, *superscr. pr. m.* vel rit — 21. Pallas] bachus — utrumque] utrunque — 23. munia nymphis] numina nimphis — 28. Persei] Persi — poenas] paenas — 29. Lycaone] licaone — 30. cynosuram] cinosuram — 31. cycnum] cignum — sidera] sydera 32. Erigonen] Erigonem — 33. Cythereide] chitereide — 34. sidera] sydera — 35. Ceteraque] Caeteraque — 38. Terrave] Terraque — quae (q̃) — 39. ritus pecorumque] pecorum ritus — 40. creatus] creatis — 42. in arva] in auras — 44. anguis *inest* — 45. sua] suam (suã) — 46. immersum] immensum — tartaron atrum] tartara natram (natrã) — 48. foedere] faedere — 50. Heliconis] helicones — 53. rorantis *inest* — 55. gustarunt] gustarint — 56. aethereo] aetherio — Phoebus] phebus — libaverit] libraverit — 60. Namque] Nanque — 62. foedere] faedere — 64. Et rationis] Et ‖ rationis, *inter* Et *et* rationis *una litt. erasa; fuit, ut videtur,* orationis — 67. membris] menbris — contexta] cotexta — 71. Haereretque] Hereretque — 72. sidera] sydera — 76. fontis . . . omnis *inest* — 77. Par semper] Pars semper — 78. nec sideret orbis] nec sidera orbis, *superscr. pr. m.* vel nobis — 79. minusve] minusque —

84. quamquam] quanquam — 87. Nec nimis] Nec minus — 89. ac *inest* — 90. sidere] sidera — 91. tenet] tenent — diverso] diviso — 92. Phoebum] phebum — 96. si reddis] sic reddis — 97. ex isdem] ex hisdem — relinquit] relinquis — 98. refers] refert — 99. si pecudes] sic pecudes — 100. Quum] Cum — 108. ipsumque] seque ipse — 109. Mitte] Mitto — 110. Infidas] Infidos — 111. Mitte] Mitto — 112. summi] summa — 114. Materiae fatum est] Materiaeque sat est — 115. possit] posset — munere nosse] munera nosset — 116. ipse] ipsa — 117. sine fine patentis] nisi fine parentis — 119. sidera] sydera — 121. possit] posset — 125. commercia caeli] commercia rerum — 132. secanda] secunda — 133. *In fine versus signum* ; *appinxit pr. m.* — 134. faciat *ex* faciet *corr. pr. m., expuncto* e *et superscr.* a — 136. sidera] sydera — 137. carmina condam *inest* — 139. Liber agam currus] Umbrato curru — non occursantibus *inest* — 145. fluat] fluit — 147. per aures, aures *ex* auras *corr. pr. m., expuncto* a *et superscr.* e — *Post v. 149 in marg. inter. haec adscripsit man. pr. vel alia eiusdem fere aetatis:* Quae signa masculina sint. quae feminina 7 quae humana. *In marg. autem exter. rubr. litt. man. saec. XV:* Que signa masculina quae feminina quae humana. — 150. Ac primum] Et primum — 151. utrumque] utrunque — 153. aversus] adversus — *Inter vocc.* adversus *et* surgat *spatium octo ferme litt. vacuum relictum est, om.* redeundo, *quod in marg. adscripsit man. rec.* [β]. — 156. mores *inest* — 158. sorte] forte — *Post v. 158 scr. pr. m.:* QVAE SIGNA DVPLA SINT ET BIFORMA — 159. potentis *inest* — 161. Ambiguisque] Ambiguis (*om.* que) — 162. sidera] sydera — 163. membris] menbris — 169. Admissumve] Admissumque — 170. membris] menbris — 171. Ut Capricornus *inest* — et is qui] et hic qui — 172. hominis] oris — priori] prioris — 174. gemina] gemini — duplave] duplane — 176. duplex ratio] ratio duplex — 177. auctumnus] autumnus — utrimque] utrumque — 178. Idcirco] Iccirco — 180. duplicis *inest* —

retinent] retinet — connexo] conexo — 181. quos] quod (qđ) — 182. E Geminis] Et geminis — veris] vires — 184. quia (q2), *superscr. pr. m.* vel q: — calorem *inest* — 185. veris] vires — 186. Aestatis *inest* — par est] pars est — sorti] parti — 187. Nec non] Nec iam, *superscr. pr. m.* vel nec ñ — qui te] *inter vocc.* qui *et* te *una litt. eras.* — 189. mollis *inest* — 190. membra] menbra — 191. mutantque] nunc iamque — 195. cum vernis roribus] cum ver tunc roboris — 196. sors humoris] sursum oris — *Post v. 196 scr. pr. m.:* QVAE SINT ADVERSA — 197. Quin] Quod — 200. membris] menbris — 201. Ne mirere] Nec mirere — 202. attollit] attollat — *Post v. 202 scr. pr. m.:* QVE NOCTVRNA AVT DIVRNA — nunc *ex* tunc *corr. pr. m.: expuncto* t *et superscr.* n. — 209. sacratas] sacrata est (ē) — 211. Sagittari] sagittarii — rapidique] rabidique — 213. Tunc Pisces, et Cancer, et acri Scorpion] Nunc pisces cancer et cancri scorpion — 216. Cetera ter numero] Caetera nec numero — ter vice] nec vice — 220. a Chelis] a libris — *Post v. 222 scr. pr. m.:* QVAE HVMANA· AVT TERRENA · AVT COMMVNIA. — 223. Quin] Quod — 225. aequore] in aequore — 226. sidera] sydera — 228. pestisque] positique — 232. Pars maris, urna nitens] Parsque marina nitens — 233. aequo illi foedere] atque illi degere — *Post v. 233 scr. pr. m.:* QVAE ‖ FAECVNDA — 235. quidquam] quicquam — frustra ve|||| creatum, *post voc.* frustra *una vel duae litt. eras.*, ve *superscr. pr. m.* — 236. Fecundum] Faecundum — genus, acer] gen' ‖ acer, *post* gen' *una litt. eras.* — 340. utrumque] utrunque — 241. Cretaeo] creteo — 242. aequantem tempore] aequantem ‖‖ tempore, *post voc.* aequantem *duae vel tres litt. eras.* — *Post v. 243 scr. pr. m.:* QVAE CVRRENTIA AVT RECTA — 247. librentur] librantur — membris] menbris — *Post v. 248 scr. pr. m.:* QVAE SEDENTIA AVT IACENTIA — 250. sopitus ‖‖ aratris, *inter vocc.* sopitus *et* aratris *duae litt. eras.* — 253. Prone, iaces] Contrat iacet — 253. Scorpios *inest* — sub pectore, *superscr. pr. m.* vel corpore — *Post v. 255 scr. pr. m.:* QVAE SINT

DEBILIA — 256. solerti] sollerti — 257. sidera] sydera — membris] menbris — 258. Scorpios *inest* — 259. Cancro] cancri — 264. sidera] sydera — *Post v. 265 scr. pr. m.:* QVAE VERNALIA · AESTVALIA · AVTVMNALIA · HIEMALIA · — 268. in partes] in part$^{e}_{\|}$s, *una litt. inter* t *et* s *eras.*, e *superscr. pr. m.* — sidera] sydera — *Post v. 269 scr. pr. m.:* QVAE EORVM DEXTRA AVT SINISTRA — 271. foedere] faedere — 272. aliis alia] aliis aliae — sorte, *superscr. pr. m.* vel f — 274. tris aequalis *inest* — 277. partitus] partitur — 279. Lanigeri] Laniger et — 280. Sagittari] sagittarii — conspicis] conspicit — 282. Cetera] Caetera — 283. sortis diiuncta ac condita] tortis desunt quae condita — 284. dextra, an sint laeva,] dextris seu causa — 286. Dextera erit] Dexter erit — 287. At quae] ad quae — 290. Haecce ferit Libram, tortus Capricornus et illam] Haec ta *(sic)* ferunt libram capricornus ∧ et illum; *in margine signum* r *apposuit pr. m.; item* ∧ spectat *adscripsit man. rec.* [α] *indicans h. v. ad voc.* capricornus *pertinere* — 291. illum partibus] ipsum a partibus — 292. laeva] leva — 293. censentur *ex* consentur *corr. pr. m.; expuncto* o *et superscr.* e — 294. Sic licet] Scilicet — partes] partis — 295. Ternaque] Terraque — quadrata effingere] quadrata fringere — 296. ordine: *hoc vocabulum, quippe macula obscuratum, in fine versus repetiit pr. m.* — *Post v. 296 scr. pr. m.:* DE MENSVRA EORVM SIGNILITER ATQVE PARTILITER — 298. Divisum ut signis] Divisum (*om.* ut) signis — 301. Foederaque] Faederaque — 304. nati *inest* — 308. Et ter vicenae] Et tunc vicinae — Phoebi] phebi — 310. perducti] praeducti (p̃ducti) — 313. sint ternis dirimentibus] sunt adiri mentibus — 315. voles] volens — 321. quum] cum — 322. Nongentae] Ter triginta — sidera] sydera — *V. 323 post v. 325 collocat.* — 325. sin summa] in summa — 326. subiuncti] subiunctis — 329. computet *inest* — 332. per signa quadrata] per signa quadrata *(h. voc. linea inferiore notavit pr. m.)* quaterna (q *ex* t *fecit pr. m.*) — 334. membra] menbra — 337. iunctis] cunctis — 340. foedera] faedera — 342. trigonis] trigonos — 343. Consu-

met] Consummet (Consũmet) — 344. partis] partes — 346. commercia] commertia — 347. linea, a *ex* i(?) *fecit pr. m.* — 348. Detractetne] Detractetque — 350. iubet] iuvet — 352. maius ius] maior vis — 353. quadratis] quadratus, *superscr. pr. m.* vel is — 357. demittit] dimittit — *Post v. 357 scr. pr. m.:* DE SIGNIS EXAGONIIS ·;· — 358. Debilia] Dubiaque, *superscr. pr. m.* vel devia — 359. foedera] faedera — 361. limos] limes — 362. Sidera] Sydera — 366. aversaque] adversaque — 367. Sidera] Sydera — coeperat] caeperat — *V. 368 post v. 369 collocat.* — 368. Alterius] Alternis — locus est] locus et — 370. similis sit circulus illi] similis it circulus illis — 372. acne] anne — 374. convexo] converso — 375. connexa et linea caelo est] convexo linea caelo — 377. vagatur] vagantur — 378. tenues] tenuis — 379. foedus] phebus — 380. genus est] est *om.* — 381. sex maribus] sed maribus — cetera] caetera — 382. sex coniungunt] se coniungunt — 383. Sic quoque in alternis] Sic quicquam alterius — *Post v. 384 scr. pr. m.:* DE INCONIVNCTIS SIGNIS ET QVAE V°I LOCO SVNT — 385. haerentibus] herentibus — 386. hebet] habet — 387. In seducta] In se ducta — 392. par] pars — 395. At quae diversis ex partibus] Atque ea diversis e partibus — *V. 395 in marg. adscripsit pr. m.:* DE CONTRARIIS — 398. submota] summota — 399. manent] valent — 401. foedus stellis] phebo · stellis — 402. sunt] sint — 405. diesque est] diesque (*om.* est) — 407. Scorpius] Scorpios — 409. Hos servant] Observant — 410. quamquam] quanquam — 412. amplexis] exemplis — 413. duorum est] suorum est — 421. Aestivosque] Aestivoque — aequat] aequant — 423. Ne mirere] Nec mirere — sidera] sydera — 426. hic] hoc — 427. aequatis] aequalis — 429. hiemem inter] inter hiemem, *sed signo ⌒ bis superscr. voces traiectas in ordinem verum restituit pr. m.* — 430. utrumque] utrunque — 431. sidera] sydera — *Post v. 432 scr. pr. m.:* SIGNORVM COMMERTIA ET QVAE CVIQVE DEO ATTRIBVANTVR SIGNA — 435. Et quae cuique] Et quaecunque — *Post v. 438 scr. pr. m.:* SIGNORVM COMMERCIA — 439.

Cytherea] citherea — 440. Phoebus] phebus — Cyllenie] cillenie — 441. regit] regis — 443. Mavorti] mavortis — haeret] heret — 445. sidera] sydera — 448. futuri *inest* — 449. per stellas] fert stellas — sidera] sydera — curret] curat — *Post v. 452 scr. pr. m.:* QVAE MENBRA HVMANA CVIQVE SIGNO ATTRIBVANTVR — 453. sidera] sydera — 454. membra] menbra — 456. Exer ‖ cent, *inter* r *et* c *una litt. eras.* — 457. Sortitus] Sortitur — colla] collo — 464. Aquari] aquarii — *Post v. 465 scr. pr. m.:* SIGNORVM COMMERTIA. — 467. commercia] commertia — 469. foedusve] faedusve — 471. Idcirco] Iccirco — non nunquam] nonnumquam — 474. Utrique aut sorti] Utrique (*om.* aut) sorti — 478. foedere] faedere — 479. possent *inest* — 486. Audit se] Audit si *(inest versus in G.)* — 487. fraudem nectit et] fraudem et, *om.* nectit, *quod in marg. supplevit rec. man.* [β] — *In marg. signum* 7 *appinxit pr. m.* — 488. Fulgentes] Fulgentis — sidera] sydera — 490. laeva] leva — 491. Iovi est] est *om. In marg. signum* 7 *appinxit pr. m.* — 493. animus] animum — 494. conditus] conditur — 495. Vertitur in semet oculis] In semet vertunt oculosque (*ex* oculusque *fecit pr. m.*). *In marg. signum* 7 *appinxit pr. m.* — in mutua *inest* — 496. Cancri] cancer — 497. aurem (aurē), e *rescripsit pr. m.* — 498. Centauro gemino] Centaurus geminos — 502. Scorpion infra] infra *om., sed in marg. supplevit rec. man.* [β] — 505. Aquari] aquarii — 506. adsuevit] assuevit — 508. visus] visūs — 509. quum] cum — 513. Pisces ‖ ad, *post voc.* pisces *una litt. eras.* — 515. sidera] sydera — 516. sensus] census — 518. ducantur *inest* — 519. captentur *inest* — 520. meant et iuncta trigona] meant etiam (*non* etiamque) trigona — 523. Namque] Nanque — trigono] trigona — 524. foedus] faedus — 530. Idcirco] Iccirco — 532. sidera] sydera — 533. Centaurus tergora vidit] centaurus ergo recedit — 534. homini] hominis — 535. Ingentis] Nascentis — 541. genitis] gentis — 542. pisces *ex* piscis(?) *fecit pr. m.* — protulit] pertulit (ꝑtulit) — 545. at quos] atque (atq:) hos — sidera] sydera — 547. femina lae-

dunt] semina ledunt — 549. aversi] adversi — sidere] sydere — 550. rabidique] rapidique — 552. Erigonae] Erigone — Cancrumque] taurumque — tum Scorpion acrem] geminumque sub arcu — 555. utrumque] utrunque — 559. Erigonem, Caprumque fugit] Erigone libramque fugit — 560. Sagittari] sagittarii — sidere] sydere — 562. natura et lege iubente *inest* — 565. Nemeaeus] Nemeus — 567. Piscis] Pisces — urguet] urget — 569. Sagittari] sagittarii — 571. generat] generet — 572. plerumque] plerunque — 574. quaecunque] quicunque — 577. Ne sit] Nescit — foedus] phebus — 580. totiens] quotiens — 581. Idcirco] Iccirco — 583. erat] erit — Pylades] pilades — 584. lis] levis, *superscr. pr. m.* vel lis — post secula] per (p) secula — 587. sponsor] sponso — 588. reus] reum — 592. quanta est scelerum moles] quantae scelerum mortes — 595. Phoebus] phebus — 598. caedesque] cedes (*om.* que) — moenibus] maenibus — 600. In populo] In populos — 602. Saevit] Sevit — 604. pax est] pars et — 605. paucisque] pacisque — 608. dignoscere] dinoscere — 609. ferantur *ex* feruntur *corr. pr. m., expuncto* u *et superscr.* a — 615. constans] constant — 619. At cum Laniger impetitur] At quin lanigeri partus — 621. animis contendere] magis pro tempore — 623. Nemeaee] nemee — 624. Idcirco] Iccirco — querela] querella — 626. foedera] faedera — 628. saepe] sepe — 629. Chelae, Geminique et Aquarius] Chelae et quos dat aquarius — *V. 631 om.* — 635. saepe] sepe — est *inest* — 637. assunt] adsunt — 639. foedera] faedera — 641. in signis] e signis — 648. secat *inest* — 649. detrahit] deterit — 654. quodque (qđq:) *inest* — 658. Bacchumque] bachumque — 659. genitosque] genitusque — piscis *inest* — 661. quaeque] quemque (quẽq.) — 662. iuvenis] iuvenes — 663. uno corpora textu] uno in corpore mixtum, *superscr. pr. m.* vel textum — 666. quemquam] quenquam — 667. censetur] censentur — 670. foedere] faedere — 671. Idcirco] Iccirco — adfines] affines — gradibusque] gravibusque — *Post v. 672 sequuntur vv. 677—686, dein vv. 673—676, tum vv. 687 sqq.*

thalamis — interseret] interserit — 243. est forma] et forma — 244. colet] colit — 245. emessis] emiseris — fruetur] fovetur — 249. Praecipue] Precipue — 250. crater, humoris] craterum (craterū) mortis — 251. cum tibi quinque feretur] cum ter quinque feruntur — 253. Ariadneae] adriadneae — monumenta] monimenta — 254. artis] artes — 256. floribus hortum] froribus *(sic)* ortum — 257. hyacinthos] hia cinctos — 258. Tyrias] tirias — 260. Caeruleumve oleis] Ceruleum foliis — in germine] in gramine — 261. depinget] depinguėt — 263—264. Effingetque suum (*om.* sidus) similes (*om.* que) in mutua pressos — 266. Et Medos] Et medios — 268. cultusque * artesque decorae] cultusque artesque decori — 269. praesensque] presensque — 272. prae se vallantis] praesens valentis — 274. in fenus] in faenus — 275. maiorem *inest* — 279. orbi *inest* — 280. ruris] iuris — tardaverit] tardaverit, *syllabam* ve *refinxit pr. m.; dein, cum* e *obscurior facta esset, superscr.* e — artis] artes — 282. fracturo silici] facturos luci — *V. 283 post v. 284 collocat.* — 283. pendentis] pendentes — farra] sacra — 285. variare] variasque — 286. habitatur] habeatur — 287. et structo] exstructos — 289. *In marg. infer. scr. rec. man.* [*a*]: Hi quinque versus *(sc. vv. 289—293) infra rejiciendi* 290. Condentemque] C o ondentemque *(prius* o *in spatio maiore litterae elutae locum tenet)* — Tonantis] tenacis — 295. lacertis *inest* — 299. potius] totius — Teucro] tecicro 300. Philoctete] philoctetae — malim] mallim — 301. telumque] teloque — 302. Moenibus Argivis ignes] Mittebatque suos ignes — 303. Hic sortem pharetra] Hic ortam pharetram — 307. somnumque] sonumque — 311. fato] fatum — 312. improvidus] inprovidus, *super* v *aliquid eras.* — haedus] hedus — 313. fratrum] frm̄ — 314. producitur] pruducitur — 315. Sollertis *inest* — 316. Effingit *inest* — 319. Non illo coram] Non ullo curam — digitos quaesiverit hasta] digito qui iuverit hastae — 320. poenamque] penamque — 322. urbis] verbis (verƀ) — amores] amaris — 323. sua datque Lyaeo] sua detque lieo — 324. Mobilis] Nobilis —

scenae mollior actor] seve mollior arte — 325. enatat undis] enatatundis *ex* enatatandis *corr. pr. m.* — 326. post fata] praefata (p̃fata) — 327. Oeagrius] oe graius — 329. lacrimas] lacrumas — 330. vocis dotes] voces dotis — chordaeque] boreaeque — 331. Garrulaque in modulos] Garrula quae modulos — tibia] tybia — 332. quodcunque] quodcumque — 334. Bacchum] bachum — noctemque] noctesque — 336. Carmina] Carmine *(Syllabam* Car *in ras. refinxit rec. man.)* — 337. Solus *ex* Solvis (Soluis) *expuncto* i *corr. pr. m.* — ad auris] ad aures — 338. Hinc] Hic — 338—339. Hic distante Lyra cum pars vicesima sexta | Chelarum surget quae cornua ducet ad astra (cum pars — surget *uncinis inclusit rec. man.*) — 340. Quid regione Nepai] Qđ regione pari — 341. turis] thuris — 344. Iupiter] Iuppiter — 345. Quid potius] Quod (Qđ) potius — colentis] colentes — 346. in tertia] int̃ cia — 347. venerantis *inest* — voce] voces — 349. Centaurus] centurus — 350. Sidera, et] Sidere et — mores] morem — 351. agitabit onus] agit autom̃is — 352. quadrupedes] quadripedes — 354. medicas] medias — 355. Et non (*an* noti?) — mutarum] mutarunt (mutart̃) — 356. exspectare] expectare — gementis] gementes — 357. aegros] egros — curae] corpus — 358. pars quinta] pars ·V· — 359. tempore] tp̃r — 361. sacra] sancta (sc̃a) — aeraria] eraria — servent] fervent — *Vv. 363—364 post v. 374 collocat.* — 363. gerant] gerunt — 364. Limine claudant] limite claudunt — 365. Arcitenens] Arcitenes, *superscr. pr. m.* n — 366. Terdecuma] Ter decima — feri] fieri, *sed prius* i *expunxit pr. m.* — 367. olor evolat alis] olore volantis — 370. Alituum] Altivũ ‖ que˙ *(post* ũ *una litt. eras.)*, *superscr. pr. m.* vel alituum — genus in studium] genus studium (*om.* in) — 373. Aut nidis] Aut nitidos, *superscr. pr. m.* vel nidis — damnare] clamare, *superscr. pr. m.* vel damnare — 374. ducere] dicere, *superscr. pr. m.* vel deicere — lina] vina — 375. itur *inest* — 376. Numidarum] mimidarum — oris] horis — 377. Phasidos et lucis] Fasidos et dulcis — 378. devecta est] convecta est — 380. com-

mercia] commertia — ducet *inest* — 382. Cygnus] cignus — 383. immurmurat] inmurmurat — 384. praetereant] pretereant — 385. Veneris gaudent] gaudent veneris — caelo] caecos — 389. Has erit et similis] Haeserit et similis — olor] color — 390. Anguitenens] Arcitenens — 393. Accipient *inest* — sinibusque] senibusque — fluentis] fluenti — 394. impune] inpune — 395. producet *inest* — 397. erit] ẽ — 398. ripisve] ripisque — 401. immersus] immensus (im̃sus) — 402. Quaestus] Questus — 403. exquiritur] exequitur — 405. lapidumque nitori] rapidumque notari — 406. Vix quisquam] Vix umquam — 407. sorte] forte — 408. pretio] praetio (p̃tio) — 409. Institor] Insitor, *superscr. pr. m.* vel institor — 411. Quaesitor] Quesitor — 413. latitantia] latentia — 414. poenaeque] penaeque — 415. verove favet] vero (v̊, *om.* ve) favit — 419. creatur] creatus — 420. pinnis] pennis — 422. Et sinibus virus signat fluctumque figurat] Et senibus vires sumit fructumque figurat — 424. Nunc] Hinc — tactus *inest* — 425. Explausa resonabit aqua] Et plausa resonabat aqua — mersas] m̃sas — 426. Diducet] Deducet — furtivus remes] furtivo remus (remus *ex* remis *corr. pr. m.*) — 427. passumque natabit] passumque notabit — 428. super aequore] super aequora — 429 in tergus *inest* — 431. tantum] tutum — velum] votum (v *ex corr.*) est — 432. iucundum est] iocundum est — 433. corporaque immergunt] corpora qui mergunt — 434. Nymphas] nimphas — 437. Par] Pars — studium, et] studet et — utrumque] utrunque — 438. Ingenium] Ingenus — 439. Adnumeres] Adnumeros — illa *inest* — 442. Nunc] Huc — 443. Membrave *inest* — 445. suo] suos — imitantia motu] natantia motus — 448. tamen] tam̃ — apta] acta — 449. volantia] vocantia — 450. humentis] umentis — 451. in lusum] illusum — severa] severae — 452. mentis] mentes — 455. Tutorisque] Tutorisve — patruive] patrui||ve, *post* i *una litt. eras.* — 457. dominus] dominis — praetextae] praetexta — 458. agat] agit] — 459. tragico] tragica — cothurno] coturno — 460. in chartis] in cartis —

cruentus] cruentis, *superscr. pr. m.* vel tus — 461. hac] haec — 462. Atrei] atri — sepulcra] sepulchri — 463. Ructantemque] Luctantemque — natos] nato — 466. Quaerent Medeae] Quaerere tune dee — 467. illinc flammas] flammas illinc — 468. natosque] nectosque — 469. alias] aliae — 470. Cepheus] gestus — in actus] in actis — 473. iuvenes] iuvenis — 476. Doctior urbe sua] Doctor urbe sua — 477. vitae] vita — chartisque] carusque — 479. His dexter tamen actor erit] Hesternis tamen actus erit — 480. tacito] tanto, *superscr. pr. m.* vel tum — 481. omnis] oms̃ — 483. magnos heroas] magnus heruas — civisque togatos] scenisque togatus — 484. Omnis] Oms̃ — per membra] per menbra — 486. Praesentem] Presentem — 488. Rorantis] Portantis — quem terris] quae terris — 489. et extentis] et externis — *Post voc.* circumvolat *una litt., ut videtur, erasa est* (*fort. scriptum fuerat* circumvolat talis) — 490. ales] alis — 491. Aquari] aquaris — 493. partas] partes — caede *ex corr.* (ęd *refinxit pr. m.*) — 494. Quasque] Cumque (Cũq;) — dederit *ex* ederit *corr. pr. m. superscr.* d — 496. cunque] cumque — 501. suggerit, r *ex* s *corr. pr. m.* — 503. minister] magister — 504. ingentisque *inest* — praestabit] prestabit — 506. Aequorei] Equoreae — 508. tornique] carnique — acquirere] adquirere (adqͥrere) — 510. Hinc] Hin *(sic)* — *Post v. 510 sequitur v. 515* — 511. Phoebeis] phaebeis — 512. Gemmarumque iubar, radiantes] Gemmarumque (Gẽmarũq;) vib *(sic)* radiantes — *Post v. 513 sequitur v. 543* — 514. Non exstincta acie] Non extincta lues — 515. Et Mithridateos] Et mithri dat eos — tropaea] trophea — 516. lenocinium] levo cinium — 524. Naturam rimari] Naturam (Naturã) eruere — praedae] predae — 525. gazam] gazas — 527. arenas] harenas — 528. Perfundetque] Perfunctoque — *Post v. 528 sequitur v. 530* — 529. Phorcyos ut regerat] Protulit ut legeret — 530. momenta] monumenta, *sed syllabam* nu *expunxit pr. m.* — 531. cupiens] cuperet — 532. immittet] emittet — 533. venamque latentem *ex* venaletentem *corr. pr. m.* — 534. rivo saliente] rivos

alienate — 535. Aut] At — 536. Alterum] Altū ni — 539. dextro] dextra — 540. poenae] paenae — culpa parentum *ex* culparurentum *corr. pr. m.* — 542. navifraga] nafragia, *sed* u *super* na *add. pr. m.* — 545. ut bellua manderet artus] ł bella manere tanis — 546. Hymenaeus] himeneus — solari] solaque (solaq;) — damna] dampna — 547. Privatis] Pro natis — poenae] paena — 552. Astrinxere] Adstrinxere — 554. in poena] in paena — 556. est palla] est ipsa — 558. haesere] hesere — 559. Alcyones pinnis] alchiones (c *dubium*) pennis — 560. Fleveruntque] Flevereque — 561. Et tibi] Nec tibi — 562. Ad tua] At tua — 563. Adsuetasque] Assuetasque — rupes] ripas — 564. liquido] liquidum — vultum] vultus — 570. Isque *inest* — 573. in Andromede] in Andromedē — 574. membra] menbra — 575. poenae] penae — 577. ire] ira — 579. promissu] promissum (promissū) — 580. iam] nam — 581. Coeperat] Caeperat — 583. Frendentis] Scindentis — vomit] movet — 585. vasti turgent] vastis urgent — 586. Phorcys] fortis — 589. quas . . . in auras] qua . . . in aura — 592. poenam] paenam — 593. Quassis] quantis — alis] undis — 596. versamque a gurgite frontem] versaque (v̄saq.) assurgit a fonte, *in marg. signum* 7 *et* rt *appinxit pr. m.* — 597. tortis] fortis — alte] altis — 599. spumam eiaculata] semper (sēp) iaculata — 600. laxumque per aethera] laxum per (p) & aethera — 601. ceti] caeti — 602. saevit] sevit — 604. mergitque (*super* m *erasum est* ~) — 605. exstillat] extollit — 606. puella *inest* — 609. bellua] belua — membris] menbris — 610. summasque iterum *inest* — remeavit] renavit — 613. Perfundit] Perfudit — 614. altas] alto — 615. haerentem] herentem — 617. stellisque] stellasque — 618. quo concidit] quod (qđ) condidit — 621. poenaeque minister] penaeque magister — 626. vendentis] vincentis — 627. securi] secure — 629. Pendentem et scopulis] Pendentem (Pendentē) e scopulis — 631. Intentus poenis dum noxia] Interdum paenis innoxia — 633. Signabit] Signato — limen] lumen — 636. membra ferentis] menbra ferentes — 637. gyros] cyros

— 639. Hic stadium *inest* — fide] fidem (fidē) — videri] videre — 641. Gnavus ab extremo] Quamvis ab extremo — 642. Nuncius, extremumve levis] Nuntius extremum vel (vł) bis — 645. humanos et quae] humano sed quae — 646. vel] et — 647. Engonasin, quicunque latet] Et comes inguicola vides — 650. mediam *inest* (*non* mediamque) — 651. animus *inest* — consurget] exsurgit — 652. vendetque] vincetque — 654. extentos] extinctos — ponet] ponit — *Post voc.* vestigia *quinque ferme litter. eras.* — funes *inest* — 656. E penna et pendens populum suspendet ab ipso] Et peneva & pendens porulum suspendit ab ipsa — 657. Laeva sub extremis] Leva sub extremi — Ceti] caeti — 659. caedis] cedes — natos] notos — 663. nectent *inest* — 664. nomine thynnos] numine thinnos — 666. Exspectantque] Expectantque — 668. Tum quoque, cum toto] Totum cum toto — 672. pretiosa] praetiosa (p̃tiosa) — floremque] florumque — 673. et mixto gustum] et guxto gustum — 674. turba est] turbat — 678. turbaque] turbaeque — 680. Ingentisque *inest* — Bacchi] bachi — 681. Humorisque vomit socias] Ut morisque volet saucia — dotes] dote — 684. virus] vires — 685. distendunt] distendant — 686. Adpelluntque] Ad bellumque — 687. regunt] negant — damnum] demum — unda] undas — 688. Aëris, et posito] Aepia et ponto — 689. mensisque] m̃sisque — 690. semota] sed nota — 692. Quo perit] Quodque (Qđq;) erit — 693. permutant *ex* permutat *superscr.* n *corr. pr. m.* — 696. Nunquam] Numquam — orbe] orbem (orbē) — 699. permittunt] promittunt (ꝓmittunt) — 700. ferae] fere — 701. Ora] Hora — commercia] commertia — 704. sideris] syderis — 705. munera *inest* — 706. premet] praemet (p̃met) — monebit] movebit — 707. cedentem] caedentem — punctis] cunctis — 708. tigrim] trigrim — domabit] donabit — 711. Pleiades dotavit *inest* — 712. rubro] rubo — pyropo] piropo — 713. Invenitque parem] In venti parem — Cynosura] cinosura — 714. Delphinus] delphinos — 716. et flexos in lubrica terga Dracones] et lubrica flexos in terga leones — 717. omne] omnem

(omnē) — 718. gradus quis iungitur unus] gradus (građ) qui (q̊) iungitur angue — 719. pars minimo] per (p) minimos — 721. Resplendent] Respondent — submota] summota — 723. Cumque vagae stellae terris sua lumina condunt] Cumque vaga est (ē) illa e terris sublimia condunt — 724. ignis] igni — 725. Phoebus] phebus — *Vv. 728—729 ita exhibet:* Cernere seminibus (*om.* solidis) totumque micare | Aut solidis desint sintque haec dcordia (is *superscr. pr. m.*) concors | Spatium stellis mundum nec caedere summa — *V. 728bis uncinis inclusit rec. man.* — 730. arenae] harenae — 731. Sed quot] Sed quod (qđ) — 732. Quot delapsa] Quod (Qđ) deliba — 734. ingentis *inest* — populus (popłs) *ex* populi (popłi) *corr. pr. m.* — urbes] orbes — 736. equiti] equitum (equitū) — 737. Volgus] Vulgus — et iam] etiam — 738. respublica mundo est] res pendere mundo (*om.* est) — 739. urbem] orbem — 741. Sidera] Sydera — gradu per lumina] gradus atque (atq;) omnia (omia) — priorum] priorem — 742. Maximus, u *ex corr. pr. m.* (*fuit fortasse* ie) — 743. Cui nisi] Cui si — 745. flagraret Olympo] fragraret olimpo — *Post v. 745 man. sec. XV rubr. litt. haec scripsit:* Explicit liber quintus; *et infra:* Liber iste pertinet monasterio Gemblacensi.

Halle s. S., Imprimerie de l'Orphelinat.

DE

MANILIO POETA.

SCRIPSIT

Dr. J. WOLTJER,
Gymnasii Groningani praeceptor.

GRONINGAE,
I. OPPENHEIM.
1881.

Inter poetas Romanos Augusti aevo florentes nullus fere adeo iacet neglectus, quin nostrum saeculum, omnium rerum humanarum atque divinarum studiosum, studia docta ad eius opera vitamque applicaverit; at unus Manilius animum mentemque doctorum in se convertere nequibat; nam pauci illi, qui non prorsus eum neglegebant, videntur censuisse Manilium ad studia grammatica promovenda tantummodo dignum esse, qui legeretur. Quin ipse Jacobus, qui hoc saeculo plurimum operae huic poetae impendit, ad eius poema ut anatomicus ad cadaver accessit, nempe ut particularum quarundam vim ac naturam plenius sibi aperiret. Et, quasi eum puderet ingenii labores in poetam astrologum contulisse, ut tantae temeritati audaciaeque suae ignosceres, ipse professus videtur: „quod autem ipse me altius in astrologicas superstitiones immergerem, in causa erat ipsa ista particularum consectatio." [1]) Eadem autem causa ad eundem poetam duxit Malvinum Bechert, virum iam nunc optime de Manilio meritum, qui plura tamen, novam editionem, nobis exoptatam, promisit. „Instituenti mihi, inquit, proximo anno in M. Manilii poetae usum atque elocutionem accuratius, quam adhuc factum esse videbam, inquirere statim apparuit, iis quidem auxiliis, quae nunc praesto sunt, nullo pacto ad certum finem perveniri posse." [2])

---

[1]) Fr. Jacob, De M. Manilio poeta. Progr. Lübeck 1832, pag. 2.

[2]) De M. Manilii emendandi ratione scripsit Malvinus Bechert. Leipziger Studien zur classischen Philologie. Erster Band, erstes Heft. 1878. Leipzig. Hirzel.

Et hoc quidem recte ille perspexit, neque negari potest quaestionem, in elocutionem huius poetae institutam, magnam habere suamque utilitatem; at nihilo minus, fortasse etiam magis dissentiunt viri docti inter se in iudicio de philosophia et arte Manilii ferendo.

Hic enim cum de astrologia scripserit, fieri non potuit, quin aut supra modum laudibus celebraretur aut omnino contemneretur, pro iudicio, quod lectores de superstitione illa ferebant. Et etiam nunc, quamvis concedatur debere nihil humani a philologo alienum esse, [1]) hoc ipsum, quod haec superstitio adeo nostris opinionibus repugnat, effecisse videtur, ut aequo animo legi et aestimari non potuerit, quo accedunt textus adhuc multis mendis inquinatus et obscuritas, minorem partem poetae, maiorem librariis imputanda.

Ex initio huius novi, quod dicitur, aevi, ante primam Scaligerianam editionem, quae anno MDLXXVIIII prodiit, non minus quam decem editiones Manilii aetatem tulerunt, [2]) inter quas tres ad codicum fidem exactae. Res a poeta prolatae potius quam poetae ingenium et ars in causis

---

[1]) Optime Reisig Vorlesungen über lateinische Sprachwissenschaft, Einl. § 2: Ergründung und Entwickelung dessen, was unter der Menschheit gefühlt und gedacht worden, in sofern es in und durch die Sprache dargestellt ist, ist Aufgabe der Philologie.

[2]) Cf. Graesse, qui tamen editionem, Basil. anno 1533 una cum aliis libellis astronomicis emissam, praeteriit, et ed. Aldinam Venet. 1499, quae etiam Firmicum, Aratum, alios continet (cf. Merkel. Ov. Fast. p. LXXXVI. Quae editiones publici iuris factae sunt annis (circa) 1472 Nurembergae a Regiomontano, 1474 Bononiae (sine nomine editoris), 1475 Neapuli (sic) Astronomicon primus (sic), (circa) 1480 liber primus (nec loco, nec anno indicatis), 1484 Romae comment. Bonincontrii cum textu latino, 1489 Mediol. P. Stephanus Dulcinius emendavit, denuo edita 1499, 1499 Venet. Aldin., 1510 Romae, 1533 Basil., 1551, 1561. 1566 Lugd. cur. Ant. Molinio. Cf. not. pag. 11, 3.

fuerunt. Sic ipse Scaliger „Manilius" inquit „non propter artem nobis carus esse debet, sed quia in eo rudimenta illius priscae astrologiae manifesta exstant, hactenus etiam a doctis ignorata." [1]) Et deinde: [2]) „Certe eius liber primus ita utilis adolescentibus futurus est, ut ad sphaerica elementa illis viam munire debeat." Neque tamen res solas laudat, nam alibi scripsit: „De Manilio autem nondum statui, magis optandumne fuerit, illum publice in scholis legi, an dolendum, quod hactenus neglectus iacuerit, poëta ingeniosissimus, nitidissimus scriptor, qui obscuras res tam luculento sermone, materiam morosissimam tam iucundo charactere exornare potuerit, Ovidio suavitate par, maiestate superior." Hanc dithyrambicam laudem reprehensio sane non iniusta sequitur, quod nimius sit poeta in verborum iteratione, sed tamen „hoc uno excepto, nihil ad perfectionem absoluti operis in hoc auctore requiras." Scaliger et de emendatione et de interpretatione Manilii optime meritus est, quamquam minus quam ipse de se iactat [3]), sed eiusmodi praeconium ad repellendum quam ad alliciendum aptius est.

---

[1]) In prolegom. Usi sumus ed. ann. MDCLV a Boeclero curata.

[2]) In prolegom. ad not.

[3]) Haec iactatio in notis tantum apparet. Ad I vs. 104: „Eripuitque Iovi fulmen, viresque tonantis" hanc notam scripsit: qui legebat *tonanti*, valde, ut in plerisque omnibus, hallucinabatur. Sed asinis respondere, asinorum est, non hominum." Ad I, 245 „nos in nocte sumus, somnosque in membra locamus": „puerile, ait, et nugatorium et asinorum potius quam hominum"; ipse legere iubet *somno!* Sed haec iam sufficiunt. In prolegomenis multo est modestior: „adhuc non pauca relinquimus, quae opem emendatioris codicis expectant (Usus est codicis Palatini et alius Germanici lectione et annotationibus Jacobi Susii ex codice monasterii Gemblacensis). Non dubito tamen et superesse, quae a meliore ingenio restitui possunt, et ut fiat, optamus." Monendum est non paucas emendationes, quas Scaliger in prima editione receperat, deinde ex codice Gemblacensi probatas et confirmatas esse.

Cum studium astrologiae obsolescere coepit propter novas astronomicas doctrinas, quae huius inveteratae superstitionis caliginem et tenebras paulatim dispellebant, fieri non potuit, quin eruditorum curae in Manilium minuerentur, sed etiam iudicium de eo verius et aequius ferretur. Petrus Daniel Huetius, episcopus Gallicus, olim inter Delphini praeceptores praeclarus, Scaligeri iactantiam perstrinxit et merito hoc quidem, licet severius. „Dum nodum, inquit, Scaliger saepe quaerit in scirpo, nimia sua περιεργίᾳ et anxia quadam ac morosa diligentia, tum et insano eruditionis ostentandae studio, egregium laborem corrupit." [1]) De poeta hoc optimum apud eum invenies iudicium: „Quamvis intricatum et subtile argumentum Latinis litteris explicare, et carminibus convestire aggressus Manilius ingenii sui felicitatem nobilitarit egregiaque aliqua, ac prope divina poeticae facultatis specimina ediderit, fatendum tamen est stilo usum esse praefractiore ac duro et ob hanc causam subobscuro; audacioribus etiam figuris: sicca ad haec et ieiuna oratione, non ubere, non locuplete, qualem amplitudo materiae, difficilis ut voles et perplexae, nobilis certe et late patentis facile admittebat. Hoc enim vel praecipuum est e Manilii vitiis, quod minuta quaeque consectatus est, et quod res docere contentus, uti prae se fert, ornare neglexerit. Officium hoc erat Hipparchi, vel Ptolemaei, alteriusve Astronomi praecepta disciplinae suae nude tradentis, non poetae, cuius partes sunt lectorum animos voluptate allicere et detinere; nec enim Georgica scribens Virgilius docere agricolas voluit, sed legentes delectare." [2]) Haec existimatio, quamvis non omnibus

---

[1]) Petri Danielis Huetii animadversiones in Manilium et Scaligeri notas (pag. 87), quae accesserunt ad Fayi editionem Manilii in usum Delphini. Parisiis anno MDCLXXVIII.

[2]) l. l. pag. 87.

numeris iusta, nam ut unum tantum referam, assentiri non possum Huetio iudicanti vel praecipuum esse e Manilii vitiis, quod res ornare neglexerit, tamen aequum in poetam animum et viri doctissimi elegantiam testatur.

A Britannis Manilio opera multa hoc tempore dabatur. Nam praeter Eduardi Sherburni versionem libri primi [1]) Creechius, qui paulo ante de Lucretio optime meritus erat, universos quinque libros Anglice vertit et notis instruxit, quas me inspicere non potuisse valde doleo. [2])

Richardus Bentleius, cuius editio Maniliana, per maiorem egregii philologi vitae partem elaborata, curis nepotis anno MDCCXXXVIIII Londinii evulgata est, quid de Manilio senserit, inde fortasse colligas, quod notis ad interpretationem pertinentibus abstinuisse dicitur, ne videretur velle hisce nugis pondus addere. [3]) In textu constituendo ingenio acutissimo indulgens, a coniecturis non temperavit, ut non aliquando, sed saepius, a recepta lectione longius paulo deflexerit; hunc enim poetam etiam post Scaligeri et Huetii, quos laudat, emendationes, omnium scriptorum, quotquot sunt, corruptissimum habuit.

Post Bentleium musae Manilio parum favebant. Ad intellegendum poetam non inutilis est editio cum versione

---

[1]) Londinii 1675.

[2]) The five Books of M. Manilius, cont. the System of the ancient Astronomy and Astrology: done into English verse with notes by Th. C(reech) London 1697, 1700.

[3]) Praef. pag. XV. Revera Bentleius minor pag. X ait pauca sibi esse praefanda, ut lector sciat, quid patruus doctissimus de hoc suo auctore senserit, et pag. XVI adiunxit duorum doctissimorum hominum gravissima de Manilio iudicia, Scaligeri scilicet, quod supra exscripsimus, et Barthii. at tamen nullus dubito, quin non patruus, sed nepo ssolus haec testimonia probaverit.

Gallica a doctissimo Pingreo curata; accedunt Arati phaenomena per Ciceronem latine reddita. [1])

Pingrei lectiones a Bentlei eo tantum differunt, quod critici falce parcius utitur; de poetae meritis non minus sentit quam Scaliger, cuius verbis, supra laudatis, prolegomenis suis finem imposuit. [2]) Post sexaginta demum annos denuo editus est Manilius a Friderico Jacob. [3]) At poeta, quare gratias referat Iacobo multas, non habet. Quamvis enim „absolutum, quantum id quidem per ingenium industriamque et annorum (viginti amplius) data tempora licuit" [4]), opus suum dicat, tamen textus, quem deterrimis iactis fundamentis constituit, Bentleiano est postponendus, et ad interpretationem quae annotavit parum profuerunt.

Falsel.

De poetae ingenio et arte „quamquam non solis, inquit, lunaeve splendore inter minora ingeniorum lumina fulget, habet tamen etiam ille, quo breviora quidem spatia, conclusaque arto parietum ambitu suavi luce collustret. Itaque minuta quaedam, quae ob argumenti subtilitatem per singula elaborari propiusque adspici cupiunt, tam nitide saepe describit, ut oculis paene ipsis depictas res nobis videre videamur. Quibus adde versus, nisi ubi Lucretianam simplicitatem affectat, ad unguem factos et rotundissimos, periodos magna plerumque cum arte conclusas et structas, denique formam diligentissime curatam. Quodsi breviore

---

[1]) Parisiis MDCCLXXXVI. Digna quae legatur est praefat. pars. II, quae inscripta est: Des éditeurs et commentateurs de Manilius. Stoeberi editionem (Argentorati MDCCLXVII), ut par est, praetereo.

[2]) Pingreum de poetae veri germanique ingenio et arte non magnam dignamque habuisse opinionem vel ex hisce verbis apparet: on dira peut-être que pour matière de ses chants, il pouvoit choisir un objet plus facile et plus intéressant. Nous répondrons d'abord d'après lui que les autres sujets avoient déjà été traités p. XIX.

[3]) Berolini 1846.

[4]) Praef. init.

hoc stadio industriam suam voluisset includere, ampliore, nisi fallor, laude dignus censendus esset. Nunc vero, despecta ista rerum terrestrium humilitate, in caeli dumtaxat maiestatem escendendum erat, Phaethontisque repetenda memoria. Nam excidisse ausis unusquisque eum qui legerit, affirmet, concedatque necesse est, non in quemquam mortalium magis posse illud Goethianum dici, quam in Manilium: Similis cicadae longipedis aethram petit, Mox cantilenam in gramine antiquam refert." [1]) Ad haec verba quod dicam nihil habeo, nisi hoc unum, Iacobo contigisse quod solet iis, qui, facetias ac lepores dum ostentare volunt in iudicio ferendo, summa iniuria afficiunt eos, quos iudicant, ipsique ausis excidunt.

De Manilio quid senserint viri doctissimi qui in hisce studiis versabantur, cum paucis ostenderimus, in poetam atque eius opus accuratius inquirere nobis proposuimus. De aetate et patria, de studiis [2]), de arte et philosophia [3]) disseremus; quae falso hodie quoque scripta nobis videntur [4]) refellere conabimur. Per minores quoque poetas atque etiam astrologos antiquitatis studium excolendum est.[5])

---

[1]) Progr. anni MDCCCXXXII pag 11, 12.

[2]) Bernhardy Grundriss der Röm. Litter. pag. 555 et 556: von Griechischen Studiën findet sich kaum eine Spur. — Ob der Dichter von Nigidius Figulus abhing, wäre zu untersuchen.

[3]) Bernhardy l. l. p. 555. Man war früher nicht unbefangen genug um den Geschmack und Ton des Manilius in seiner Eigenheit zu fassen; ebenso wenig ist der wissenschaftliche Gehalt und die Stellung des Dichters zu seinem Objekt untersucht worden, der für einen Astrologen zu sentimental redet und sogar den ungläubigen Atomisten widersprach."

[4]) Ut non pauca in opere Teuffelii: Geschichte der Römischen Literatur 3ed.

[5]) Cum duae gravissimae causae hoc opusculum interruperint, tempus prohibuit, quominus proposito convenienter perficerem omnia.

CAPUT PRIMUM.

De nomine auctoris *Astronomicon libr. V* codices manuscripti [1]) non consentiunt.

1. Omnium longe optimus et vetustissimus Bruxellensis, olim Gemblacensis, saeculi vel X exeuntis vel XI ineuntis [2]) inscriptionem carminis genuinam, quae quondam spatium duorum versuum explevit, erasam habet, manu autem

---

[1]) Ubi aliud non annotavi Bechert secutus sum in codicibus aestimandis; cf. not. 2.

[2]) Bentleius (pag. XIV edit. ann. MDCCXXXVIIII) cum ineunti saeculo X tribuit (DCCC annorum). Bechert dubitat num Bentleius ipse hunc codicem tractaverit, praesertim cum cognoverit etiam Eliam Stoeberum in editione Londiniensi anni 1828 ad versum IV, 637 pro certo affirmare, neque Scaligerum neque Bentleium „ipsum codicem Gembl. oculis usurpasse." Sed Stoebero fides non est habenda; stultitia eius omnia exsuperat: Pingreus de eo iam dixit: il laisse dans le texte (de Bentlei) et combat dans les notes des fautes d'impression, échappées à l'attention de Bentlei, et corrigées expressément dans l'*errata*. Quant aux notes, nous serions tentés de dire que la plupart sont un prodige de déraison. Ce soi-disant critique prend à tâche de dépriser Scaliger, et sur-tout Bentlei." In editione Bentlei, quae Bechert in manus non venit, leguntur haec ipsa verba (pag. XIV): usus est . . . Gemblacensi . . . quem per aliquod tempus penes se habuit „et ad editionem Scaligeri posteriorem *ipse bis* exegit." Ad vs. II 486, quem librarium per incuriam in Gemblacensi omisisse Scaliger ait, quem tamen ibi litteris ab omni parte satis claris scriptum vidit Bechert, dicit haec: Gemblacensis, Lipsiensis, et Venetus *taurum*. Lege igitur et distingue, *frustratur amando*", Quae omnia idcirco notanda censeo, ne quis Bentleium levitatis vel potius improbitatis accuset.

saeculi, ut videtur, XVI hanc appositam: M̄alius poeta. [1])

2. Lipsiensis praecedenti codice quinquaginta fere annis recentior [2]), inscribitur: ARATI · PHILOSOPHI · ASTRONOMICON · LIBER · PRIMUS · INCIPIT · PRELIBATIO. Manus altera, saeculi XVI, ut videtur, superscripsit: MARCI · MANILII. [3]).

3. Codex Leidensis primus (Vossianus V_1) saeculo XIV scriptus, hoc carmen exhibet ita inscriptum: ARATI · PHILOSOPHI · ASTRONOMICON · LIBER · PRIMUS · INCIPIT · PRELIBATIO; manus autem saeculi XVI superscripsit „Marci Manilii" apposuitque „Ad. Caes. Aug."

4. Codex Leidensis alter (Vossianus V_2) qui, ut ipse testatur, anno 1470 scriptus fuit, inscriptus est: *„M. Mallii EQUOM, astronomicon divo oct. quirino aug. prooemium liber prim."*

5. Codicis Bruxellensis, olim Cusani, saeculi XII, inscriptio cum Lipsiensis conspirat.

6. Cod. Laurentianus, saeculo XV scriptus, inscriptionem habet: *„Marci Manlii poetae clarissimi astronomicon libri V ad Caesarem Augustum."* In fine „Marci Manlii Vita" addita est.

---

[1]) De rasura Bentleius nihil: „nullum a prima manu praefert titulum; sed manu tandem recenti, quod ex ipsis litterarum ductibus abunde liquet, tituli loco ascriptum est *Manlius Poeta.* Neque sane est cur hoc casu aliquo ab exscriptore tantum praetermissum credamus: cum is in Prisciano, qui in eodem est volumine et ab eadem etiam manu, adeo se praebuerit diligentem, cett pag. X . . . . ex quo certissime, ut opinor, concludamus licet exscriptorum hunc nullum invenisse auctoris nomen in suo exemplari."

[2]) Bentl.: Lips. qui quidem huic (Gemb.) proxime accedit aetate."

[3]) Haec inscriptio loco ereptae antiquioris scripta esse videtur (Jacobius), attamen ab eadem manu quae totum cod. descripsit (Bechert), quamquam „simile aliquid a principio ibi scriptum fuisse inde colligitur, quod sub „astronomicon" voce ex vestigiis etsi valde tenuibus idem vocabulum erui potest". Bechert.


7. Codicis Vaticani saeculi vel XV vel XVI inscriptio, in secundo libro repetita, haec est: „*M. Mallii poetae illustris ad Octavianum Augustum astronomicon liber primus (secundus) incipit feliciter.*"

8 et 9. Duo codices Urbinates, saeculo XV scripti inscribuntur alter: „*M. Manilii Boeci astronomici liber primus incipit*", alter vero: „*M. Manilii Astronomicon liber primus incipit.*"

10. Cod. Cassinensis, cuius antiquitatem tantopere sed frustra iactitare Bonincontrium Bentleius opinatur, nam quas ex eo proferat lectiones omnes fere esse malae notae, et ex codice transcriptas Gemblacensi longe recentiore [1]), hanc inscriptionem exhibet: C. MANILII · POETAE · ILLUSTRIS · ASTRONOMICON · INCIPIT.

11. Codex Vossianus tertius, quem Bentleius ineuntis fere saeculi XV esse dicit, inscriptus est: MARCI · MALLII · ANTIOCHI · POENI · ASTRONOMICON · DIVO · OCTAVIO · QUIRINO · AUGUSTO.

Hi sunt codices quorum quidem inscriptio mihi innotuerit. Quattuor priorum affinitas hoc stemmate depingi potest:



Reliqui omnes notae sunt deterioris.

Apparet igitur illorum quattuor tres vetustissimos indicare nomen poetae non Latini sed Graeci, ex quo ille quaedam sibi assumpsit, nam Gemblacensis erasa inscriptio

---

1) Pag. 12.

eademne fuerit atque Lipsiensis et Vossiani primi, vix dubium videri potest, cum eandem habeat originem et duorum versuum spatium, ut in duobus illis, complevisse dicatur, et nomen Manilii si scriptum habuisset, id erasum et emendatum non esset. Cum hisce tribus ex reliquis Bruxellensis, olim Cusanus, conspirat unus. In archetypo igitur vitium iam latuisse vides. Sed reliqui codices unde nomen petierint poetae non facile est investigare. Nam e codice Vossiano 2 eos haurire non potuisse patet, cum hic plerisque illorum recentior sit. Omnium eorum qui Manilii nomine carmina haec inscribunt est veterrimus is, quem Antonius Panormita e bibliotheca in Monte Cassinensi nactus esse dicitur. Sed huic testimonio parum fidendum esse apparebit. Laurentius enim Bonincontrius, qui hoc codice usus est, de eo haec scripsit:[1] „Sed tamen multa de ipsius (astronomicon auctoris) nomine perscrutando accepi ab Antonio Panormita, viro doctissimo, atque poeta, quum Alfonsi temporibus[2]) Neapoli essem, quosdam quaterniones valde perturbatos vetustissimosque, quos ex Bibliotheca Cassinensi se accepisse dicebat, quosque mihi tradidit dirigendos, in quibus in omni librorum principio talis inscriptio erat: *C. Manilii Poetae Inlustris Astronomicon Incipit.* In caeteris libris numerus cum eadem inscriptione. Quos ego quinterniones transscripsi una cum Gallina Siculo, in quibus etiam quosdam versus pluribus locis inveni, quos in exemplaribus Poggii aut impressorum deesse cognovi: de quibus et aliis suo loco dicemus. Cuius vetustissimi codicis auctoritate permotus non verebor affirmare pro C. Manilio

---

[1]) Teste Scaligero pag. 5 proleg. ante notas.

[2]) Ann. 1442—1458. Panormita erat inter comites regis poeta, qui et librum de dictis et factis Alphonsi Regis scripsit.

impressores M. Mallium scripsisse." Hic codex Cassinensis cum evanuerit et Bonincontrii commentarium in Manilium, cui textus additus,[1]) cum praeter illud praenomen nihil nec novi nec boni contineat, vereor ne tota narratio ficta sit ab illo sciolo, ut librum suum commendaret. Sed sermo est in verbis laudatis de Poggii exemplaribus (scriptis), quae sine dubio transcripta sunt ex illo codice, quem Poggius in monasterio Sangallensi invenit.[2]) Hunc codicem nomine Manilii inscriptum fuisse multa testari videntur, et primum subscriptio in Asconii codice Florentino haec: *hoc fragmentum Q. asconii pediani repertum est in monasterio sancti galli prope constantiam · XX · milibus passuum a Poggio Florentino una cum parte · C · valerii flacci & balbi setini argonauticon · & · M. manilii astronomicon. et statii siluarum libri.*"[3]) Qui codices porro cum ante

---

[1]) Falli mihi videtur Bechert (et Fabric. in Bibl. Lat. Med. et inf. aetatis pag. 241 tom. I), qui dicat Bonincontrium primo anno 1474 Bononiae Manilium edidisse, secundo 1484. Illa editio enim inscribitur: *Marci Malii* (sic) *poetae clarissimi astronomicon ad Caesarem Augustum liber.* In fine legitur: *Bononiae, impressum per me Ugonem Rugerium et Dominum Berthochum anno Dom. MCCCCLXXIIII die vigesima Martii*, nullo nomine editoris addito quod dubito annon Bonincontrius omisisset: sed praeterea, et hoc iam sufficit, *Marci Manlii* inscribitur. Bonincontrii autem Comment. hunc habet titulum: „*Laur. Bonincontrii miniatensis in C. Manilium commentarium. Romae die 26 m. Oct. 1484*"; nota praenominis litteram C. — Nec minus fallitur Pingreus, pag. XX, qui scribat Poggi filium Joannem Franciscum Bonon. editionem e patris manuscripto comparasse; fallitur, si quidem recte intellego Boninc. verba illa: „quos in *exemplaribus Poggii* AUT *impressorum* deesse cognovi."

[2]) Georg Voigt: Die Wiederbelebung des classischen Alterthums 2te. Aufl. Berlin Reimer 1880, tom. I pag. 243. Voigt annotavit se neque in Iacobi neque in Bechert codicum Manil. serie commemoratum vidisse hunc codicem. Et hoc verum; non memorantur. Sed Pingreus pag. 20 mentionem fecit.

[3]) P. Papinius Statius vol. I edid. Baehrens, praef. init. Lips. Teubn. 1876. Vespasianum Pogg. § 2 diserte Manilium inter codices a Poggio repertos enumerare Voigt l.l. auctor est. Idem vir eruditissimus affirmat

1416 a Poggio reperti sint [1]), id est antequam codices Itali, praeter Cassinensum dictum, qui, si exstitit, Poggio ignotus fuit [2]), quin imo antequam codices, qui nunc quidem exstent et nomen Manilii prae se ferant, omnes, scripti erant, ex iis Poggius nomen poetae, qui eo tempore in Italia omnino ignotus fuisse videtur, discere non potuit. Haud igitur dubitandum est, quin ille codex Sangallensis nomine M. Manilii inscriptus fuerit. Quod cum ita sit, habemus testem satis antiquum, nam libri bibliothecae Sangallensis, cum Poggii tempore vetustate, pulvere, humore, monachorum neglegentia et incuria lamentabilem in modum, ut ille testatur [3]), lacerati et corrosi paene essent, non temere conicimus praesertim parum lectitatum Manilium diutius ante illam aetatem scriptum esse. Ex hoc exemplo utrum Itali transcripti sint necne, num affinitate coniunctus fuerit cum Vossiano secundo, qui et ipse M. Manilii nomine inscriptus est, investigari non potest, quoniam quid de eo factum sit, adhuc latet. Sed recentioribus libris non amplius opus est, ut certi aliquid de poetae nostri nomine ex codicibus manuscriptis statuatur, quamquam id fieri posse negavit Bentleius, qui Poggii inventum ignorasse videtur. Testis, quo utimur, ante illud tempus, quo litterae antiquae renatae esse dicuntur, cum iam diu exstaret, eum verum testari iam aliquanto certius est.

---

doctissimum Loewe in „bibliotheca nacional" quae est Matriti repperisse inter se quondam coniunctos codices quattuor illorum a Poggio repertorum auctorum.

[1]) Voigt l.l. pag. 240 not. 1.

[2]) De codice Veneto, saeculi XI ut Bentl. ait, a Io. Frid. Gronovio collato cuiusque variantes lectiones Jacobus Gronovius cum Bentl. communicavit, nihil affirmari potest, cum deperiisse videatur (Jacob. pag. 1. proleg.)

[3]) Voigt pag. 240.

Denique habemus praeter antiquorum codicum etiam aliud de Astronomicon poetae nomine testimonium. Gerbertus enim decimi saeculi eruditissimus atque doctissimus vir, antiquitatis studiosus, philosophiae, mathematices, astronomiae peritissimus per epistolam [1]) ab amico petiit, ut sibi M. Manilii libros de astrologia describendos curaret. Hic Gerbertus, qui anno 999 pontifex maximus electus est, nomine accepto Sylvestri II, et anno 1003 obiit, ante annum 983 aliquamdiu abbas fuit monasterii Bobbiensis celeberrima bibliotheca clari [2]), deinde archiepiscopus Remensis. Hoc autem tempore scripsit Rainando Monacho; „Unum autem interim plurimum exposco, quod et sine periculo ac detrimento tui fiat et me tibi quam maxime in amicitia constringat. Nosti quanto studio librorum exemplaria undique conquiram, nosti quot scriptores in urbibus aut in agris Italiae passim habeantur. Age ergo, et te solo conscio ex tuis sumptibus fac ut mihi scribantur *M. Manilius de Astrologia*, victorinus de Rhetorica, Demosthenis Ophtalmicus (sic!). Spondeo tibi frater et certum teneo, quia obsequium hoc fidele, et hanc laudabilem obedientiam sub sancto silentio habes, et quicquid erogaveris cumulatum remittam" . . . . .

Utrum hoc apographon acceperit necne ignoramus. Eiusdem Gerberti exstat [3]) Epistola ad Constantinum Monachum Floriacensem de Constructione globi, quae tamen lucem affert nullam.

---

[1]) Epist. CXXX in opere, quod inscribitur: du Chesne Historiae Francorum script. vol. II pag. 819. Amicissime praeceptor meus C. M. Francken prof. Ultrai. mihi locum exscripsit, cum in Biblioth. Acad. Groning. illud opus non inveniatur.

[2]) De Catalog. huius biblioth. e decimo saeculo, in quo etiam liber Lucretii commemoratur cf. Muratori antiq. III. p. 820.

[3]) In Joan. Mabillonii Veter. Anal. Parisiis 1723 pag. 102.

Ad quattuor igitur illos libros, qui hodie textui Maniliano fundamentum praebent, Gemblacensem dico et Lipsiensem et Vossianos duo, quique ex uno archetypo originem ducunt, ut redeamus, apparuit unum horum tantummodo, Vossianum scilicet secundum, genuinum poetae nomen ostendere, cum reliqui et antiquissimi Arato carmen hoc tribuant. Inde autem sequitur fontem primarium falso illo nomine inscriptum fuisse. Neque hoc mirum. Nam Arati ipsius carmen etsi minus erat notum, tamen versiones latinae Ciceronis, Caesaris Germanici, Avieni erant pervulgatae, Manilius autem paene ignotus. Cuius libro primo Astronomicon cum maior et singulorum versuum et totius libri affinitas intercedat cum Arati carmine, fieri non potuit, quin poetae ignoti nomen loco cederet nomini clarioris poetae, qui eandem fere rem tractaret. Praeterea conicere licet haec carmina variorum de eadem doctrina agentium poetarum interdum in unum volumen [1]) collecta esse, quod nomine Arateorum sive Arati inscriptum esset. Librarius autem Vossiani secundi cum eo tempore viveret, plus quam quinquaginta scilicet annis post Poggii inventum, quo Manilii nomen iam innotuisset, pro falsa veram inscriptionem facile reponere potuit. Hactenus de libris manuscriptis.

Antiqui nusquam mentionem fecerunt neque Manilii neque eius operis; attamen hoc non ignotum fuisse nonnulli probant loci posteriorum scriptorum. Et primum quidem in Anthol. Latina legitur carmen Claudii cuiusdam de Luna [2]), quod sic incipit:

---

[1]) Inter editiones vetustissimas Bononiensis (1474) cum Arato Germanici uno volumine comprehenditur, Aldina (1499) cum Arati Phaenomenis latine, cum comment. et metaphr. Ciceronis, Germanici, Avieni. Graesse l.l.; Buhle Arat. proleg. pag. XV.

[2]) Edit. Ries. 723 Lips. Teubn.

„Luna decus mundi, magni pars maxima caeli."

Manilius autem V, 12 hoc idem, et aptius etiam, de Orione praedicavit:

„Hinc vocat Orion magni pars maxima caeli." [1])

Martianus Capella haec verba cum scripsit:

„haec enim verecundae arbitror probitatis motus cursusque proprios ipsis edisserere qui moventur docereque deos velle quod faciunt" [2])

ad locum Manilii videtur mihi respexisse hunc:

„atque ideo faciem caeli non invidet orbi ipse deus, vultusque suos corpusque recludit semper volvendo, seque ipsum inculcat et offert, ut bene cognosci possit, doceatque videndis, qualis eat, cogatque suas attendere leges." [3])

Firmico Materno Manilium non ignotum fuisse loci quidam probare videntur. Scripsit enim ille in libro quarto: [4])

„his perscripsimus libris divinam hanc scientiam, Romanis omnibus intimantes, ut hoc quod quibusdam difficillimum videbatur propter Latini sermonis angustias, ostensa Romani sermonis licentia, veris ac manifestis interpretationibus explicarem."

Possit aliquis suspicari haec verba referenda esse ad Lucretii illa: „Nec me animi fallit Graiorum obscura reperta difficile inlustrare Latinis versibus esse, multa novis verbis praesertim cum sit agendum propter egestatem linguae et rerum novitatem" [5]); „nec nostra dicere lingua

---

[1]) Jacob. program. Lüb. 1832. pag. 5 in not.

[2]) lib. VIII, 812 edit. Eyssenh.

[3]) IV, 915 seqq.

[4]) Pag. 84 in edit. Basil. ann. MDXXXIII: „Julii Firmici Materni iunioris Siculi v. c. ad Mavortium Lollianum Astronomicon lib. VIII per Nicolaum Prucknerum Astrologum nuper ab innumeris mendis vindicati." Accesserunt XII alia scripta astronomica.

[5]) 1, 136.

concedit nobis patrii sermonis egestas" [1]; „abstrahit invitum patrii sermonis egestas" [2]. Cum tamen de Latini sermonis egestate in astrologorum arte tractanda apud Firmicum solum sermo sit, vix dubitari potest quin Manilium perstringat querentem: [3]

„At mihi per numeros ignotaque nomina rerum, temporaque et varios casus, momentaque mundi, signorumque vices, partesque in partibus ipsis luctandum est, quae nosse nimis, quid? dicere, quantum est? carmine, quid, proprio? pedibus, quid, iungere certis? Huc ades, o quicumque meis advertere coeptis aurem oculosque potes, veras et percipe voces. Impendas animum, nec dulcia carmina quaeras. Ornari res ipsa negat, contenta doceri. Et si qua externa referentur nomina lingua, hoc operis, non vatis erit; non omnia flecti possunt, et propria melius sub voce notantur."

Pag. 216 Firmicus scripsit: „In arietis sinistro latere, in parte scilicet decima oritur Orion. Si itaque Orion in horosc. partiliter fuerit, faciet homines, veloci corporis mobilitate perspicuos, et quorum animus, variis sollicitudinibus implicatus, pervigili cogitatione semper exaestuet; hi enim variabunt saepe domicilia et domos sedesque mutabunt, ac per omnium limina matutinis semper salutationibus discurrent."

Sequi videtur Manilium V, 57:

„Sed decuma lateris surgens de parte sinistri maximus Orion magnumque amplexus Olympum — sollertis animos, velocia corpora finget, atque agilem officio mentem, curasque per omnis indelassato properantia corda vigore.

---

[1] I, 831.

[2] III, 260.

[3] III, 31 seqq.

Instar erit populi, totaque habitabit in urbe limina pervolitans, unumque per omnia verbum mane salutandi portans communis amicus." [1])

Nemesianus Ecl. I. 40 scribens: „iam si sublimes animae caelestia templa sidereasque colunt sedes mundoque fruun-

---

[1]) Plura e Firmico contulit Bechert et pleraque, quae congruunt in utroque scriptore composuit Scaliger, qui Firmicum paraphrastae nomine designat. Si autem Firmicus a Manilio discrepat illum hunc non intellexisse exclamat Scaliger. Et facilis quidem haec ratio sed viro prudenti indigna. Quasi Manilius haec apotelesmata invenerit neque alii sexcenti exstiterint libri eandem rem tractantes, e quibus Firmicus haurire potuisset. Huiusmodi autem sententias de siderum viribus in humanam sortem non multum inter se differre potuisse, ipsa res fidem facit; nam si qua alia haec sane ars inventorum auctoritate nitebatur, atque ore et scriptis paene immutata tradebatur; cf. Lenormant sub voce Chaldaei in Dictionnaire des Antiquités Grecques et Romaines. Bechert componit Firm. VIII cap. 6: „In arietis parte decima oritur navis. Si quis ergo oriente hac parte natus fuerit, . . . erit gubernator, nauclerus . . . . et qui omne vitae suae spatium marinis semper optet actibus implicare" et Manilii V, 38: „Sed cum prima suos puppis consurgit in ignis — quattuor in partes cum Corniger extulit ora — illa quisquis erit terris oriente creatus, rector erit puppis clavoque immobilis haerens mutabit pelago terras ventisque sequetur fortunam." Similitudo hic obvia non ea est, quae nobis persuadeat Firmicum Manilium ante oculos habuisse; uterque suis verbis artis dictum expressit. Quin imo Firmicus cum scripserit: „hoc astro oriente Salmoneus et Bellerophontes a priscis auctoribus nati esse narrantur", tamen inde non evincere potest Bechert illum Manilium imitari scribentem V, 91: „hinc mihi Salmoneus . . . generatus possit haberi, hoc genitum credas de sidere Bellerophontem."

Utrumque ab astrologis saepius commemorari et tamquam exempla poni non mirum est; cf. quae de Bellerophonte ait Lucian. de Astrol. cap. 13.

Sed artum est vinculum inter hanc quaestionem et iudicium, quod Bechert tulit de Firmici fontibus eorumque usu. Scripsit enim pag. 19: „Quorum fontium quin ille plerosque fraudulenter ipse finxerit, ceterorum autem, quorum aditus re vera ei patuit, vix unum adierit, ei non dubium videbitur, qui quamvis refragante animo in maxime sterilem illum agrum exspatiari et quaslibet binas paginas ieiuni illius atque aridi scriptoris perlegere passus erit." Iudicium iusto severius, vel potius falsum, cum latum sit de rebus et scriptis nobis ignotis. Ieiunum esse et aridum et gloriosum scriptorem et sterilem agrum, quem colat, nemo negabit, sed

tur" postremam sententiam nobilem e Manilio mutuatus esse videtur, I 759: „Huc migrant ex orbe suumque habitantia caelum aethereos vivunt annos mundoque fruuntur."

Ad Manilium etiam referri possit versus 230 Aetnae, quod carmen Lucilium iuniorem auctorem habere dicitur[1]); ibi legitur enim:

„Et firma aeterno religata est machina (mundi) vinclo."

Apud Manilium autem III, 55:

„Staretque aeterno[2]) religatus foedere mundus."[3])

---

de fontium usu, cum longe maior pars vel potius omnes aetatem non tulerint, iustus iudex dicet: „non liquet."

Bechert ad sententiam suam stabiliendam alia attulit et haec Firmici verba l. IV cap. 10. p. 98: „quae divinus ille Abraham et prudentissimus Achilles verissimis conati sunt rationibus invenire et nobis tradere" tumque exclamat: sic! Sed cur tandem? Abraham certe non fuit astrologus, sed habebatur: *μνημονεύει δὲ τοῦ πατρὸς ἡμῶν Ἀβράμου Βηρωσσός, οὐκ ὀνομάζων, λέγων δ᾽ οὕτως· „μετὰ τὸν κατακλυσμὸν δεκάτῃ γενεᾷ παρὰ Χαλδαίοις τις ἦν δίκαιος ἀνὴρ καὶ μέγας καὶ τὰ οὐράνια ἔμπειρος." Ἑκαταῖος δὲ καὶ τοῦ μνησθῆναι πλέον τι πεποίηκε· βιβλίον γὰρ περὶ αὐτοῦ συνταξάμενος κατέλιπε, κ.τ.ἑ.* Flav. Ios. ed. Bekker Archaeol. I, 7, 2 (pag. 30); de reliquis testimoniis cf. Weidleri Historia Astronomiae, Vitembergae 1741 pag. 19—23. — Achillis *Εἰσαγωγὴ εἰς τὰ Ἀράτου Φαινόμενα* partim superest. Cf. Pauly Real-Encycl. sub voce Achilles et Weidl. Hist. Astron. pag. 191. Modestius quam Bechert de hac re indicavit Pingreus pag. VIII, IX. A parte opposita stat Salmasius, qui negat Firmicum e Manilio hausisse. Cf. Bernh. R. L. pag. 556.

[1]) Cf. tamen Baehrens. Poet. Lat. min. vol. II, pag. 30, 31.

[2]) *aeterno:* sic sine dubio cum Bentl. est legendum, non *alterno*.

[3]) Ab aliis aliae notantur Manilianae sententiae aut verba in aliis scriptoribus obvia, quae tamen e Manilio sumpta esse nego. Pauca afferam. Fridericus Iacob in Lucilii Iunioris Aetna Lips. 1826 ad vs. 104:

— et qualis acervus
Exilit inparibus iactis ex tempore saxis,

ait Lucilium Manilii sequi hos versus I. 165:

Emersere fretis montes orbisque per undas
exsiliit, vasto clausus tamen undique ponto.

Quae omnia si reputamus dubium est nullum, quin Manilius sit germanum nomen poetae, qui Astronomicon libros V scripsit, et antiqui, licet nomen eius nunquam referant, eius carmina legerint.

De aetate Manilii ipsum carmen quaedam exhibet indicia. Augusto regnante carmen conscribi coeptum esse docent I vss. 7 seqq.: „Hunc mihi tu, Caesar, patriae princepsque

---

Sed quid praeter verbum *exsilire* commune habeant hi versus non video.

Primum mihi legenti Aetna quod inscribitur carmen quaedam Maniliana videbantur ut:

vs. 6: „tecumque faventes
in nova Pierio properent a fonte sorores
rura; per insolitum Phoebo duce tutius itur."

Manil. II. 53: „Integra quaeramus rorantis prata per herbas
undamque occultis meditantem murmur in antris,
quam neque durato gustarunt ore volucres,
ipse nec aetherio Phoebus libaverit igni."

Nunc tamen credo eum Lucretium sequi I, 926.

Aetn. vs. 191: „Res oculos ducent, res ipsae credere cogent"

Manil. I: 701: „Nec quaerendus erit, visus incurrit in ipsos
sponte sua, seque ipse docet cogitque notari."

Sed hic quoque imitatio non patet, quanquam suspicari licet.

Mayor ad Iuvenalis sat. X vs. 175 (Sec. edit. Lond. et Cant. 1878)
„creditur olim
velificatus Athos et quidquid Graecia mendax
audet in historia, constratum classibus isdem
suppositumque rotis solidum mare";

laudat Man. I, 776, quem iam Bentl. annotavit;

„Persidis et victor, strarat quae classibus aequor"

additque (in Iudicibus) Iuvenalem Manilium esse secutum. Sed sive Bentl. sequeris, *quae* corrigentem, sive codicum lectionem tueris *qui*, ut Mayor, sententia est alia. Praeterea, neque hoc est minimi momenti, verba illa nihil habent, quo non cuique scriptori vindicari possint cf. Liv. 35, 49 et Manil. V, 49: nec pelagus Xerxes facietque tegetque." — Minor etiam est similitudo, quam Mayor exstare putat inter Iuven. X, 276—282 et Manil. IV, 45—48. Neque est cur censeas Iuven. XIV, 40—43 sumptos esse e Manil. IV, 86, 87, Iuven. X, 133 seqq. e Manil. IV, 37 seqq., quae nimis sunt communia ac vulgata. Falsum imitationis specimen laudatum vidi a Bentl. ad. I, 795.

MAYOR.
Exam.

paterque, qui regis augustis parentem legibus orbem, concessumque patri mundum deus ipse mereris, das animum." Vs. 384: „Uno vincuntur (qui partem australem orbis incolunt) in astro Augusto, sidus nostro quod contigit orbi, Caesar nunc terris, post caelo maximus auctor." Dilucide Augustum indicat I, 922, ubi de bellis civilibus locutus perorat ad templum Iani clausum spectans: „Sed satis hoc fatis fuerit, iam bella quiescant, atque adamanteis discordia vincta catenis aeternos habeat frenos in carcere clausa. Sit pater invictus patriae; sit Roma sub illo, cumque deum caelo dederit, non quaerat in orbe." IV 943: „Iam facit ipse (homo) deos, mittitque ad sidera numen, maius et Augusto crescet sub principe caelum." Accuratius tempus indicant I, 888 seqq.: „ut foedere rupto cum fera ductorem rapuit Germania Varum infecitque trium legionum sanguine campos." Conspirat hic locus optime cum illis: Augustus illius cladis tempore iam senex erat septuaginta duorum annorum; itaque saepius poetam ad eius mortem veramque consecrationem spectare, non est quod mireris. Possit sane obici huiusmodi verba mali esse ominis „Augustum post mortem (cuius quidem mentio etiam sub hac immortalitatis pollicitatione minime grata ei futura erat) in deorum numerum adscriptum iri" [1]), noster haec non curat, neque Ovidius: „optavi peteres caelestia sidera tarde." [2])

Manilium carmen suum Augusto mortuo nondum ad finem duxisse conicere licet ex illis versibus, quibus prooemio finem imposuit (I, 114): „Faveat magno Fortuna labori, annosa et molli contingat vita senecta, ut possim rerum

[1]) Orell. ad Horat. Carm. III, 3, 12. Praeterea Peerlkampius animadvertit habere illam dictionem (bibit) omen infaustum cf. not. pag. 22, 1.

[2]) Trist. 2, 57.

tantas emergere moles magnaque cum parvis simili percurrere cura." Haec enim verba sensu carerent si poeta speravisset fore ut intra spatium quinque annorum opus conficere posset. Nullum tamen certum vestigium nos ducit ad Tiberium. Lib. I, vs 798 enumeratis qui ex orbe nostro migraverunt in galaxiam suumque habitantes caelum aethereos vivunt annos mundoque fruuntur, heroes, sic concludit poeta: „Venerisque ab origine proles Iulia descendit caelo caelumque replevit; quod regit Augustus socio per signa Tonante, cernit et in coetu Divum magnumque Quirinum, altius aetherei quam candet circulus orbis." Quae verba de Augusto mortuo et vere consecrato tantum intellegi posse et contextus et ipsa verba clare mihi docere videntur. Cum tamen in fine libri primi et quarti diserte sermo sit de Augusto vivo, aut hi versus in libro primo postea sint adscripti a poeta mutata tota extrema parte huius loci, aut legatur *reget, cernet* necesse est.[1])

Libr. IV vs. 764 seqq. de Rhodo scripsit poeta haec: „Est Rhodus hospitium recturi principis orbem tumque domus vere solis, cui tota sacrata est, cum caperet lumen magni sub Caesare mundi." Rhodi Tiberius morabatur septem annos usque ad alterum annum post. Chr. n. neque tum recturus princeps orbem dici poterat. Anno 9. p. Chr. nat., ante quem annum Manilium librum primum non scripsisse monuimus, Tiberius erat in Pannonia, annis sequentibus in Germania, unde anno 11mo post Chr.

---

[1]) Quod negavit Huetius ad vs. 798 allatis Horatianis his:

Hac arte Pollux et vagus Hercules
innixus arces attigit igneas,
quos inter Augustus recumbens
purpureo bibit ore nectar (Carm. III, 3, 9.)

ubi optimi tamen codices et editores recentiores praeter Orell. *bibet* legunt recte.

nat. exeunte rediit. Sequenti demum anno in gratiam Augusti rediit, postquam „se praesidenti patri ad genua summisit" [1]), „ac non multo post lex per consules est lata ut provincias cum Augusto communiter administraret simulque censum ageret" [2]). Ante annum 12^{mum} vel 13^{mum} p. Chr. nat. igitur illa scribere non potuit Manilius; sed cum Augustus tum, cum illa scribebat Manilius, nondum mortuus esset, ut finis libri IV ostendit, illi versus ante annum 14 exeuntem scripti sunt.

De Tiberii regno certum indicium, quale Iacobus se invenisse putat vs. 513 seqq. libri V, nullum est. Totus locus est hic:

At cum Cassiope bis denis partibus actis
Aequorei iuvenis dextra de parte resurgit,
Artifices auri faciet, qui mille figuris
Vertere opus possint tornique acquirere dotem
Materiae et lapidum vivos miscere colores.
Hinc augusta nitent sacratis munera templis,
Aurea Phoebeis certantia lumina flammis,
Gemmarumque iubar, radiantes lucibus ignes.
Hinc Pompeia manent veteris monumenta triumphi
Non extincta acie, semperque recentia flammis.
Et Mithridateos vultus induta tropaea.

Post vs. 513 unus omissus est: „Et quod erat regnum, pelagus fuit; una malorum", quem Iac. post 542 collocavit. Praeterea vs. 514 *acie* scripsit pro eo quod est in codicibus *lues*. Locum sic emendatum interpretatur Iacobus de theatro Pompei, quod flammis non semel absumptum et sub Tiberio restitui coeptum est. — Sed longe a vero aberravit ni fallor. Poeta intellegit opera eorum, quos artifices auri

---

[1]) Suet. Tib. 20.

[2]) l. l. 21.

dicit vs. 507, qui mille figuris vertere opus possint cett.; hinc de augustis muneribus in sacratis templis expositis loquitur, non de templis ipsis, nec de theatris. Optime Scaliger de triumpho Pompei Magni interpretatur. Ut vero appareat quo iure nostro loco, ubi de auro et gemmis sermo est, intellegantur res, quas ille tertio triumpho transtulit, quae Plinius de iis notavit tota exscribam [1]). „Victoria tamen illa Pompei primum ad margaritas gemmasque mores inclinavit, sicut L. Scipionis et Cn. Manli ad caelatum argentum et vestis Attalicas et triclinia aerata, sicut L. Mummi ad Corinthia et tabulas pictas. Id uti planius noscatur, verba ex ipsius Pompei triumphorum actis subiciam. Ergo tertio triumpho, quem de piratis, Asia, Ponto gentibusque et regibus in septumo volumine operis huius indicatis M. Pisone M. Messala consulibus pridie kalend. Octobris natali suo egit, transtulit alveum cum tesseris lusorium e gemmis duabus latum pedes tris, longum pedes quattuor, et, ne quis effetas res dubitet nulla gemmarum magnitudine hodie prope ad hanc amplitudinem accedente, in eo fuit luna aurea pondo XXX —, lectos tricliniaris tris, vasa ex auro et gemmis abacorum novem, signa aurea tria Minervae, Martis, Apollinis, coronas ex margaritis triginta tris, montem aureum quadratum cum cervis et leonibus et pomis omnis generis circumdata vite aurea, musaeum ex margaritis in cuius fastigio horologium. Erat et imago Cn. Pompei e margaritis, illa relicino honore grata, illius probi oris venerandique per cunctas gentis, illa, inquam, ex margaritis, severitate victa et veriore luxuriae triumpho." Vs. 514 cum Bentleio eiciendum puto. Quae ad II, 290 de torto Capricorno annotavit Iacobus,

[1]) Hist. Nat. XXXVII, 12 seqq.

tanquam hic ad Tiberium spectaret poeta et alia eiusmodi merae sunt nugae.

Ex patrui notis ad Terentii Andriam II, 1, 20, ubi haec habet: „Veteres in nominibus substantivis exeuntibus in *ius* vel *ium* semper genitivos casus *i* simplici efferebant; nunquam *auxilii*, *consilii*, cett. sed *auxili*, *consili*. Primus ex poetis qui hodie extant Propertius bis vel ter, Ovidius saepissime, et post eum alii omnes geminum *ii* usurpant: sub Augusti scilicet senescentis aetate mutatio illa facta est", — ex iis notis dico Bentl. iunior haec conclusit: [1])

„Cum igitur noster habeat *consilium*, *auxilium*, *ingenium*, *imperium*, *pretium*, *vitium*, *principium*, *connubium*, *coniugium*, *solstitium*, *spatium*, *hospitium*, *officium*, *supplicium*, *studium*, *odium*, *spolium*; numquam vero: *consilii*, *auxilii*, cett., licet ceteris casibus obliquis saepissime utatur: omnino concludendum est illum vixisse ante hunc inductum morem." Per se hoc argumentum inutile est, nam, ut unum tantum moneam, etiam Martialis religiose ab usu genitivorum in *ii* desinentium abstinuit, [2]) sed cum aliis argumentis conjunctum suam habet vim.

Cum igitur de Manilii aetate constet eum floruisse Augusti regno exeunte (et Tiberii ineunte fortasse), fere omnia de eo diximus, quae investigari possunt. Nam quae praeterea de eo narrantur omnia certo stabilique fundamento carent. Iam inde a renatis litteris multi nostri poetae nomen in antiquis scriptoribus quaesiverunt. Quod tamen frustra cum facerent, eius nomen in codices quosdam Plinii intulisse videntur. Narratur enim in fine editionis Basil. (1533) atque idem iam in Cod. Laurentiano saeculo XV scripto [3]): „floruit divi Augusti temporibus, quod ipse in

[1]) Bentl. ed. praef. pag. XIII.

[2]) Cf. Neue Lat. Formenl. I² pag. 92.

[3]) Bechert pag. 13.

principio huius operis indicat et Plinius testatur, cum refert XXXVI lib. naturalis historiae, cuiusdam obelisci cacumini per Manilium Mathematicum auratam pilam fuisse additam ad dignoscendum horarum rationes."

Sed nullus codex Plinianus ante saeculum XV hoc loco (§ 72) Manilii nomen scriptum habet, sed Facundi Novi mathematici; saeculo XV demum in Italicis codicibus reperitur. [1]) Videtur igitur aliquis, ut antiquitatis testimonium suo Manilio vindicaret, consulto codicis cuiusdam lectionem immutasse; nam censere id casu quodam factum esse litterarum ductus nos vetant.

Patria vero poetae equidem nullus dubito quin Romà fuerit, aut certe Italia. Lib. I vs. 7 Augustum alloquitur: „Hunc *mihi* tu, Caesar, *patriae* princepsque paterque, qui regis augustis parentem legibus orbem, concessumque patri mundum deus ipse mereris, das animum," ubi, nisi *patriae* intellegas *patriae meae* vel *nostrae*, sententiam debilites II 888: „censum sic proxima Graiae nostra subit linguae." Quî peregrinus scribere potuisset haec?: „Et si qua externa referentur nomina lingua, hoc operis, non vatis erit; non omnia flecti possunt, et propria melius sub voce notantur" III, 40—42. „Quid referam Cannas, admotaque moenibus arma? Postque tuos, Thrasimene, lacus Fabiumque morantem, Varronemque fuga magnum, quod vivere posset, accepisse iugum victae Carthaginis arces? Speratum Hannibalem *nostris* cecidisse catenis, exiliumque rei furtiva morte luisse?" IV 37—42. [2])

---

[1]) Cf. edit. Sillig.

[2]) Recte eos poetae vindicavit Iacobus in progr. Lub. 1835 et ante eum Huetius, qui optime eos interpretatur: „Sensus hic est, periisse Annibalem, quem vincula nostra expectabant et fugam illam, qua nobis ereptus latuit apud Prusiam, luisse hoc mortis genere, quod ei ut pote noxio conveniret. Nec immerito addit vir candidus et ingeniosus: „Parcendum est veteri

Haec testimonia quamvis certo testentur poetam fuisse Romanum aut certe Italum, tamen iam dudum fuerunt, qui eum peregrinum putarent, quod inquinate, ut aiunt, loquatur. Inter eos primus videtur fuisse Lilius Gregorius Gyraldus, qui anno 1552 obiit et Historiam Poetarum Graecorum Latinorumque dialogis decem erudite descripsit.

Quod vulgo fit etiam in hac re factum esse videtur: quae prava sentimus de aliqua re saepe inveterascunt in animo, aliis rebus, quae illis falsis opinionibus ducti observasse nobis videmur, se corroborant atque facile propagantur. Bonincontrius censebat hunc nostrum Manilium non alium esse atque illum de quo Plinius scripsit haec: [1] „Alia creta argentaria appellatur nitorem argento reddens. Est et vilissima qua circum praeducere ad victoriae notam pedesque venalium trans maria advectorum denotare instituerunt maiores, talemque Publilium Lochium mimicae scaenae conditorem et astrologiae consobrinum eius Manilium Antiochum, item grammaticae Staberium Erotem eadem nave advectos videre proavi." At Bonincontrius, qua erat stupiditate in rebus philologis, nesciebat Staberium illum inter ceteros iam docuisse Brutum et Cassium et temporibus Sullanis vixisse, [2] neque igitur potuisse aequalem esse Augusti et Tiberii. Lilius Gyraldus deinde aliud protulit argumentum: Manilium peregrinum fuisse ex multis eius barbarismis apparere. [3] Aliud etiam

---

scripturae neque codicum fides sollicitanda est, aut audiendi bonae Criticae susurri et coniecturae, quam cum deplorata penitus sententia est. Hac lege si starent interpretes, minus depravatos haberemus Auctores, qui misere interpolati sunt et depravati."

Consulto omisi IV, 776: „qua (Libra) genitus Caesarque meus hanc condidit urbem." Bentl. et Iacob. eum eiecerunt; num iure adhuc dubito; sed cod. Gembl. est conferendus.

[1] XXXV, 199.

[2] Suet. de Gramm. 13.

[3] Scalig. in proleg. ante notas.

Bentleius: [1]) „suspicatur eum fuisse alicubi forsitan ex Asia peregrinum, tum ex singulari eius quorundam verborum constructione, tum quia nusquam apparet ipsos Romanos hisce artibus adeo mature operam dedisse." Denique Jacob in progr. anni 1832 pag. 14 Manilium Afrum esse putavit. „Eo iam libri nos ducunt, qui *Poenum* nuncupant, eo etiam oratio luxuriante ubertate diffluens, eo praepositionum usus laxior." In edit. anni 1846 praef. pag. 17 tamen scripsit: „Utrum autem homo Asianus fuerit, quod Bentleio visum est, an Afer natione, quod mihi diu videri solebat, incertior quam quondam haereo."

Tria sunt igitur argumenta quibus iudicia, quae peregrinum Manilium faciunt, nituntur. At illud Jacobi, Poenum nuncupare codices Manilium, nullius esse momenti facile videbis, si animadverteris haec. Primum illud *Poeni* in uno tantum eoque malae notae codice reperitur, in Vossiano tertio scilicet, qui inscriptus est: *Marci* · *Mallii* · *Antiochi* · *Poeni* · *Astronomicon* · *Divo* · *Octavio* · *Quirino* · *Augusto* · Vocabulum *Poeni* autem corruptum videtur e vocabulo *poetae*, quod plures codices habent post nomen scriptoris. Simili vitio corrupta est inscriptio codicis Urbin. haec: *M. Manilii Boeci astronomic. liber primus incipit.*"

Secundum argumentum, quod est Bentlei, nusquam scilicet apparere ipsos Romanos hisce artibus, astrologiam dicit, adeo mature operam dedisse, firmius est nihilo. Multo ante Manilium Romani astrologiae iam studebant. Etruscorum divinatio ad illam artem quam proxime accedebat; Romani ab illis didicerunt." [2]) Astrologiam ipsam

---

[1]) Praef. X.

[2]) Diod. Sicul. V, 40, 2. Senec. Nat. Quaest. II, 32. Gell. IV, 5, Luc. I, 587, Lucr. VI, 381. Etrusci longitudinem anni, qui tropicus dicitur, 365 dierum 5 hor. 40 minut. esse dicebant, Niebuhr. Röm.

Manilium Antiochum illum, de quo supra sermo erat, condidisse Romae Plinius testatur.[1]) Inter doctissimos astrologos etiam numerandus est qui ante proelium, apud Pydnam commissum, lunae defectum praedixit, Gaius Sulpicius Gallus.[2]) Varro de astrologia scripsit.[3]) De Lucio Tarutio Firmano, familiari suo Cicero scripsit haec: „imprimis Chaldaeicis rationibus eruditus, urbis etiam nostrae natalem diem repetebat ab iis Parilibus, quibus eam a Romulo conditam accepimus, Romamque, in iugo cum esset luna, natam esse dicebat nec eius fata canere dubitabat." [4]) De alio Ciceronis aequali, Nigidium Figulum dico, recte Martinus Hertz: „Quodsi non dubitamus, inquit, quin Nigidius et Pythagoricae disciplinae assecla fuerit et resuscitator, et magicam atque astrologica . Chaldaeorum quae dicitur disciplinam coluerit, quae cum ipsa illa philosophia arctissimo vinculo ista aetate coniuncta fuisse videbatur, ex altera parte id etiam

---

Gesch. I pag. 288. Quod Mommsen ait I[6], pag. 181: „Wie tief dies Gaukelspiel dem römischen Wesen widerstand, zeigt, dass, selbst als man später in Rom es benutzte, doch nie ein Versuch gemacht wurde es einzubürgern", id probare non possum a Cicerone haec doctus (de Div. I. 92): „Etruria autem de caelo tacta scientissime animadvertit, eademque interpretatur quid quibusque ostendatur monstris atque portentis. *Quocirca bene apud maiores nostros senatus tum, cum florebat imperium, decrevit ut de principum filiis X singulis Etruriae populis in disciplinam traderentur, ne ars tanta propter tenuitatem hominum a religionis auctoritate abduceretur ad mercedem atque quaestum."* Val. Maxim. (ed. Halm) pag. 2: „Tantum autem studium antiquis non solum servandae sed etiam amplificandae religionis fuit, ut florentissima tum et opulentissima civitate decem principum filii senatus consulto singulis Etruriae populis percipiendae sacrorum disciplinae gratia traderentur." Exc. Parid. „percipiendae disciplinae gratia."

[1]) Hist. Nat. XXXV, 199.

[2]) Liv. XLIV, 37; Plin. II, 12; Valer. Max. VIII, 11; Quint. I, 17.

[3]) Cf. Ritschl. Quaest. Varron. — Cassiod. de mathem. discipl. pag. 579 edit. Genev. 1656. Fabr. B. L. I, 7. 4.

[4]) de Div. II, 98.

animadvertendum est, non minus iis divinationis generibus eum studuisse, quae ab ipsis Romanis adoptata ex Etruria imprimis originem suam ducebant."[1]) De Bentleio igitur, si verum nepos rettulit, vereor ne valeat illud Horatianum: „quandoque bonus dormitat Homerus."

Restat tertium atque gravissimum argumentum, quod est e dictione poetae petitum. Cum Jacobus uberrime illum locum tractaverit, ut videamus quanti sit momenti, age eum sequamur. Scripsit autem:[2]) „Nulla linguarum pars neque ad elegantiam gravior neque ad usum difficilior est quam qua per particulas vincitur oratio. Iam mihi vide, quam ab hac parte debilis sit Manilius. Dum enim paucarum (*si*, *donec*, *quod*) se gyro includit, alias maximeque usurpatas poetis in orationem inferre non potuit. Veluti *quoniam* locis 5, *quamvis* 4 vel 5, *postquam* 4, *simul* (simulac) 4, (et quod nescias mirone casu an consilio accidisse dicas, ubique addita particula *At*, *At simul*,) *priusquam* 3, *quippe* 3, *antequam* 1, *ut* temporale 1, *quando* nullo loco invenitur. *Quum* vero (siquidem) praeter consuetudinem saepe cum indicativo coniungit; I 139: *Prohibentque requiri ultra se quicquam, quum per se cuncta creantur*, cf. I, 742, 854. II, 201, 485. III, 281. IV, 334, 515 et saepius."

Huiusmodi argumenta nihili aestimanda sunt, nisi nituntur accuratis investigationibus et scriptoris, in quem inquiritur, et aliorum, qui cum eo sunt comparandi. Neutrum Jacobus fecit. Nam *quoniam* non locis 5 sed 8 invenitur:[3]) I 118, 521, II 603, III 160, 208, 385, 560, IV 119; *quamvis* locis 5: II 313, 329, 398, IV 196,

---

[1]) M. Hertz, de P. Nigidii Figuli studiis atque operibus Berol. 1845, pag. 32.

[2]) Dissertat. prim. pag. 15.

[3]) Iacobi edit. laudo.

V 588; *simul* (simulac) I 232 (simul atque), III 323, 370, 439 (sine *At*), V 550 (cum *Ac* coniunctum); *prius quam* reperitur locis 4: I, 96, 805, V 162, 343; *ante quam* locis 3: II 774, V 183, 344, *ut* temporale 2: II 273, V 140 (codd. *attollitur*); *quando* 2: I 641, III 335.

Quom autem causale et apud alios, et imprimis apud Lucretium saepius coniunctum invenitur cum indicativo. Omnis comparatio cum aliis poetis deest; non est igitur argumentum. Videamus num validiora quae sequuntur.

„Eademque infantia in verbis iisdem crebro et ad fastidium regerendis notatur. Non loquor nunc de axis, cardinis, verticis, luminum, siderum, stellarum aliorumque ad artem pertinentium verborum repetitione, qua fortasse Lucretii simplicitatem imitari voluit, sed etiam ubi venustus esse cupit, in eodem saepe vado haerere videtur. Pauca apponam. I, 255: *Flammas* Ordinibus *certis referam, primumque canentur Quae medium obliquo praecingunt* ordine *mundum.* vs. 295 et 297: *Quoque semel coepit, totus volat undique in* ipsum. — *Usque adeo tenue ut verti non possit in* ipsum. In quo simul notare te velim *ipsum* esse *se ipsum*, idque praeter Augustei aevi consuetudinem ei esse familiare. Iisdem vocibus ac casibus praeter multos alios hi versus finiuntur initio libri primi; 149, 152, 156: *auras*; 162, 165: *undas*; 223, 224: *gentes*; vs. 395: *In magnam caeli* tendentem *brachia partem, Nec minus* extento *surgentem ad sidera passu;* V, 54: *His* ducibus *caeco* ducuntur *in aequore classes;* I, 476: *Praecipue medio* cum luna *implebitur orbe, Certa nitent mundo;* cum luna *conditur omne stellarum vulgus.* Ubi non sane suavi oratione cum modo particula modo praepositio, modo cum nominativo modo cum ablativo *lunae* coniuncta regeritur."

Haec eadem de quovis fere poeta similes tractante res, tunc temporis vivente affirmari possit. Eandem particulam *cum* sumam. Suavis num oratio est Germanici haec:

Myrtilos exoritur summo **cum** fluctibus *ore*,
totus **cum** tauro lucet; ruit oceano bos
Ante, super terras **cum** fulget *Myrtilos ore*
Iasides etiam caelum **cum** coniuge Cepheus cett.?

An eiusdem versus hi:

Ferrique invent**o** *mens est* laetata metall**o**
Polluit et taurus *mensas* adsuetus aratr**o**
Deseruit propere *terras* iustissima virg**o** cett.? [1])

Sane suavis non est oratio, sed hanc ob rem Germanicus num est peregrinus? Quotiesne Lucretius, etiam ubi nullo doctrinae vinculo vincitur, intra spatium paucorum versuum eadem verba usurpavit! Cf. idem quod e Manilio laudavit Jacobus *auras*: V 501 aerias auras et 502 aeris auris; VI 891 in fine versus *undas*, idem in fine vs. 894; *caeli* in fine vs. I 1062 et 1066; *prima* in fine vs. V 677 et 678; uno tantum versu intermisso *noctes* finis est vs. 680 et 681; IV 275 et 277 *aër*; II 682 et 685 *figuris*, I 66 et 67 *contra*; I 156 et 158 *creari*; I 283 et 285 *aquai*, quae exempla sexcentis aliis augeri possunt. Haec, ni fallor, iam monent ne Jacobo obsequamur.

Idem deinde pergens „Simulque attende mihi, inquit, ad orationem recte quidem formatam ad analogiam, sed non recte ultra consuetudinem linguae prolatam. . . . . Atque in his analogiis ultra usum vagis praecipue Manilii peregrinitas potest cognosci. Cum enim innatus ille linguae patriae sensus penitusque inhaerens animo eis deesse necessario debeat, qui linguam aliquam addidicerunt, destituti isto

---

[1]) Germanici Aratea 181—184, 135—137 edit. Baehrens.

optimo duce ac secuti rationem facile saepeque labuntur; idque vel in verbis singulis, ut in synonymis non recte commistis, vel in continuata oratione cernitur, dum modo figuras non recte transferunt, modo grammatica licentius abutuntur."

Haec esse vitia sermonis hominis peregrini et quasi indicia, quibus cognosci possit a peritis, non negamus; cum tamen innatus ille linguae patriae sensus neque sit semper tam excultus et tam certus, quin saepius etiam ingenui labantur, neque tam firmus et stabilis, quin lectis peregrinorum scriptorum operibus multis non numquam obscuretur, non opus est enumeratis aliquot exemplis sed accurate instituta inquisitione in usum scriptoris, comparatum cum aliorum scriptis. Quo praemonito recenseamus exempla a Iacobo prolata. Atque primum I, 469, ubi poeta docet signorum figuras optime discerni posse luna cum plena niteat in caelo, quoniam minores stellae tum non turbent visum:

Praecipue medio cum luna implebitur orbe,
certa nitent mundo; cum luna conditur omne
stellarum vulgus, fugiunt sine nomine signa."

Illud „medio cum luna implebitur orbe" Iacobo obscurum et vitiosum videtur. Non repugno, nam librarii lapsu mendum irrepsit. Pro *implebitur* legatur *impletur in*. Hic ablativus loci modo cum praepositione a Manilio ponitur, modo illa omissa, IV 744: „Laniger in medio sortitus sidera mundo." Signa tum praecipue cernuntur cum luna plena est in medio menstruo suo orbe, quoniam minores stellae, quae visum turbant, tum non apparent; Cf. Sappho (Poetae Lyrici ed. Bergk. [3], pag. 880):

Ἄστερες μὲν ἀμφὶ κάλαν σελάνναν
ἂψ ἀποκρύπτοισι φάεννον εἶδος,
ὄπποτά π λ ή ϑ ο ι σ α μάλιστα λάμπῃ
γᾶν . . .

I, 73: „Necdum etiam doctas solertia fecerat artes"; i. e. *invenerat*. Est haec analogia ultra usum vaga ait Iacobus. *Artes facere* re vera nusquam inveni, sed Cicero [1]) *artes efficere* scripsit: „Ex quibus collatis inter se et comparatis artes quoque efficimus, partim ad usum vitae, partim ad oblectationem necessarias." — I, 774: „Aethereusque Platon et qui fabricaverat illum." Est sane non vulgaris ratio Socratis denotandi, sed cur magis barbari sit quam Senecae [2]): *animum format et fabricat philosophia* non video, cum etiam *sapientem, perfectum oratorem formare* latine dicatur.

IV 602: Laeva freti caedunt Hispanas aequora gentis
teque in vicinis haerentem, Gallia, terris,
Italiaeque urbes dextram sinuantis in undam
usque canes ad, Scylla, tuos avidamque Charybdim.

Merito Iacob. reprehendit verbum *caedunt*, cum *aequora caedunt gentes* non dicatur, et *sinuantis*, quod omissum sit *se*, idem cum haec vitia Manilii peregrinitatem testari censet, fallitur. Pro FRETICAEDVNT legere velim FRETIALVDVNT, pro *alludunt*; Val. Flac. VI, 665: „summa cacumina siluae lenibus adludit flabris levis auster"; Plin. XXVI, 39: „Tripolion in maritimis nascitur saxis ubi alludit unda, neque in mari neque in sicco." Stat. Theb. IX, 336: „extremis adludunt aequora plantis." — *Sinuare* toties recte transitive a Manilio scriptum invenio: I, 333, 692; IV 600, 755, V 14, ut inscitiae eum accusare in hac re non liceat. Si *sinuare* omnino intransitive non est ferendum, cum Scaligero legas velim *insinuantis*, quod et intransitive usurpari notum est. — Huc non puto referendum, ut Iac. vult, verbum praeter usum absolute positum in: *fundentis semper Aquari* II, 232 et *fundentis Aquari*

[1]) de Nat. Deor. II, 148.

[2]) Epist. Mor. Lib. II epist. IV, 3.

arbitrium est 464; nam hoc si est praeter usum, id inde oritur, quod perraro occasio offertur huius verbi absolute adhibendi; aliis locis Manilius quoque obiectum addit; II 248: „fundens et Aquarius undas." Ceterum si *fundere* ita absolute, ut dicunt, positum Latine non dicitur, reponendum puto cum Bentl. ad II, 464 humentis, ut V, 450: „Sed regione means Cepheus humentis Aquari."

I, 116 legitur: „ut possum rerum tantas emergere moles", quod suo iure vituperat Iacob, ut alii ante eum. Bentleius legere iubet *evincere* ut Verg. Aen. II, 496: oppositasque evicit gurgite moles"; „In codicibus scriptis, qui scribendi compendia sectantur, *emgere* et *evicere* non nisi littera differunt." Recte Manilius V, 198: septimaque ex undis pars *sese emergit* in astra." Cf. „taceo emergentia ponto littora" IV, 636.

IV 285: placidum ductis everrere retibus aequor
littoribusque suis populos exponere captos
aut uncos celare cibis;

populos sic scribi posse pro vocabulo proprio, quod est *pisces*, Iac. negat. Addere potuerat V, 369, ubi aves vocat poeta *aerios populos, caeloque dicatum alituum genus*. Columella 9, 13, 12 habet *apum populi*, sed eodem libro (9, 6) *gentes* de animalibus dicit, ut Lucr. I, 1033: „efficit ut largis avidum mare fluminis undis integrent amnes et solis terra vapore fota novet fetus summissaque *gens* animantum floreat", et Vergil. multis locis, qui tamen et *gentes* et *populos* dicit *apium* Georg. IV, 4 et 5: Idem Georg. I, 382 et saepius *corvorum exercitus*, Lucr. V, 1084 *corvorum greges*. Simili modo haec vocabula, quae multitudinem designant de hominibus et de animalibus a poetis usurpantur. Quod cum ita sit, dubito an non haec metonymia peregrinitatis convincat poetam.

IV 821: immenso nihil est aequale sub aevo
perpetuosque tenet flores unumque tenorem.

Iacob. vituperat *flores*. „Florem, ἀκμὴν, omnes dixere, praesertim genitivo addito, velut aetatis; *flores* nemo, ne distributive quidem, licet innumeris exemplis pluralis pro singulari scribatur in nominibus multis." — Video tamen Plinium (Nat. Hist. XIV, 1, 7) scripsisse: „quamquam videmus Vergilium praecellentissimum vatem ea de causa hortorum dotes fugisse et in his, quae rettulit, *flores* modo rerum decerpsisse." Praeterea animadvertas velim *florem* hic et metrum vetare et vocabulum in eundem sonum desinens *tenorem* exeunte versu.

I 245: „nos in nocte sumus somnosque in membra locamus. Iacobus: „affirmo eum qui ita scriberet, probe quidem didicisse linguam, sed isto caruisse sensu patriae linguae, qui quid deceat, quid non, unice docet." Mirum hoc. Si unice sensus *patriae* linguae quid deceat, quid non, docet, quinam Iacobus scire potuit hunc versum esse poetae peregrini? Num ipse erat antiquus Romanus? — At locus procul dubio est corruptus. *Loco* a Manilio cum praep. *in* et *sub* cum *ablativo* coniungitur: I 575: „in media mundi regione locatus"; 811: „sub illis.. locatus"; II, 459: „pectus locatum sub cancro est"; 723: „pluribus inque modis rerum natura locavit"; 745: „in quocumque . . . stellae . . . locatae dodecatemorio fuerint"; III, 111: „in quarto . . . locavit"; 138: „in sorte locata"; IV, 215: „in ambiguo . . . locatum"; 344: „in prima parte locavit"; 929: „sub corde locata." Reliquis locis absolute est positum aut coniunctum cum praep. *ad* et *per*. Locus unus, ubi inveniebatur *locare in* cum accusat. II 732—734: „Hic ubi deficiet numerus, tunc summa relicta in binas sortes adiecta parte locetur dimidia, reliquis tribuatur ut ordine signis" a Bentl. merito est eiectus, quem cf. ad

736. Mirum igitur foret si hic cum accusativo esset coniunctum; mira praeterea est tota sententia. Feliciter iam Burmannus[1]) locum emendasse mihi videtur. „Lege", scripsit „somnosque in membra vocamus." Nec multum ab hac locutione differt illa Ovid. Met. II, 235:

Sanguine tunc credunt, in corpora summa vocato,
Aethiopum populos nigrum traxisse colorem.

Confuderunt iterum *locare* et *vocare* apud Manilium librarii lib. III, 70: „tot et in partes, quot et astra locarat, disposuit." Cf. II, 125: „quod vocat in caelum."

De eo qui sub signo Leonis natus est poeta dicit, IV, 182 eum:

„Et pacare metu silvas et vivere rapto"

Iacobus explicat:" i. e. formidine, qua in retia ferae compelluntur," minus recte; melius Pingreus: „*il répand dans la forêt le silence et la terreur*" id est *par la terreur*; simili modo Caesar scripsit: [2]) „Dumnorix . . . principes Galliae . . . coepit . . . metu territare." Cf. etiam Verg. Aen. VI, 802: „Fixerit aeripedem cervam licet aut Erymanthi *pacarit nemora* et Lernam tremefecerit arcu." Nihil video quod peregrinum esse M. testetur.

„*Tueri* i. e. curam gerere alicuius (liberos tueri) usurpatum est; Manilius vero eum usum in synonymum non recte transtulit, IV, 709: Cruraque *defendit* Iuvenis." Iacob.

Sermo est de partibus corporis, quae sub singulis sunt signis. Bentl. hoc verbum non offendit, quin imo laudat poetam: „compara hos versus (704—709) cum II, 456 cett. et miraberis poetae ingenium cum facilitate et copia." [3]) Ceterum confer: Caesar. B. C. III, 94, 6:

---

[1]) Ad Phaedri Fab. I, 16, 1.

[2]) de Bello Gall. V, 6.

[3]) II, 456 seqq.

Aries caput est ante omnia princeps
sortitus censusque sui pulcherrima colla

„*Tuemini*, inquit, castra et *defendite* diligenter" et Tac. Germ. 14: „illum (principem) *defendere*, *tueri*", ut videas non iuste Iacobum censuisse.

„Sic etiam *totum* et *omne* inter se ita confunduntur, ut eo aevo a nemine factum videas; unum exemplum nunc afferam, IV, 739: Cinnama, non *totis* passim nascentia *campis*, i. e. non ubique." Iacob. Idem in indice ad suam editionem praeterea duo affert: I, 560: „sex *tota* surgentia sidera *luce*" et IV, 233: „et *totis* armenta sequi pascentia *campis*". Sed *totus* hic, ni fallor, ut vulgo, cum ablat. sine praepositione coniunctum, fere idem significat atque *per* cum accus., ut *tota luce* paene idem sit atque *per totum diem* (Iacob. ipse interpretatur atque supplet: „sed sena unoquoque die signa surgentia memineris — totidemque nocturno tempore per caelum volitantia;" vereor tamen ne illud *unoquoque*, quod inseruit, nimis urgeat; Pingreus: *un jour entier*), et *totis campis* fere idem atque *per totos campos*, ut verg. Aen. VII, 793: „Insequitur nimbus peditum clipeataque *totis* Agmina densentur *campis*. (Pingreus vertit IV, 233: *dans de*

Taurus, et in Geminis aequali brachia sorte
scribuntur connexa humeris, pectusque locatum
sub Cancro est, laterum regnum scapulaeque Leonis;
virginis in propriam descendunt ilia sortem;
Libra regit clunes, et Scorpios inguine gaudet
Centauro femina accedunt, Capricornus utrisque
imperat et genibus, crurum fundentis Aquari
arbitrium est, Piscesque pedum sibi iura reposcunt.

IV, 704 seqq.

Namque Aries capiti, Taurus cervicibus haeret,
brachia sub Geminis censentur, pectora Cancro,
te scapulae, Nemeaee, vocant, teque ilia, Virgo;
Libra colit clunes, et Scorpius inguine regnat,
et femina Arcitenens, genua et Capricornus amavit,
cruraque defendit Iuvenis; vestigia Pisces.

vastes prairies; quod Iacob. requirit *omnibus* IV, 739 continetur, opinor, in vocabulo illo *passim.*)

Quae Iac. rettulit exempla, unde appareat audacia quaedam orationis, non consulto quaesita, neque usui congruens et praecipue figurarum licentia,[1] hic praetermitto, quoniam, si aliunde constaret Manilium fuisse peregrinum, illa exempla hanc sententiam corroborare possent, nunquam vero ex iis, quae *videntur* nimis audacter dicta, efficere atque concludere merito possumus auctorem comfuisse peregrinum; complures enim alias invenias causas, quae idem possint efficere: exempla quae sequitur quis et institutio et exercitatio; nam aliter qui Asianorum genus dicendi, aliter qui Atticorum sequitur scribit vir Romanus; aliter qui a rhetoribus est institutus, aliter qui nativo utitur stylo; aliter qui longa exercitatione excultus est, aliter qui exercitatione caruit, ne plura addam.

Omnia quae praeterea Iacobus invenit atque in programm. hic illic et in indice editioni suae affixo notavit recensere neque tempus permittit et inutile puto, cum parvi ea esse momenti ad sententiam probandam ex supra dictis satis atque abunde appareat. Age potius exscribam quae Scaliger[2]) de hoc loco protulit. „Quod autem peregrinum ex eo caussatur Gyraldus, quod, ut ipsius verbis utar, inquinate loquitur: prius nos debebat docere, quid sit inquinate loqui. Nam si id est *βαρβαρίζειν*, ut revera est, quare non indicat barbarismos in scriptore saeculi florentissimi, quo et mancipia ipsa pure et Romane loquebantur? Sed si ulli sunt barbarismi, quare nos fugiunt barbarismi, quos deprehendere si nobis per ingenium non liceret, quod in nobis perexiguum est, tamen

---

[1]) Progr. I pag. 18—22.

[2]) Proleg. ante not. pag. 2 et 3.

usus ipse aperuisset, qui et in nobis aliquis est, et stupidorum etiam est magister? Sed quemadmodum aliud est ornate loqui, aliud pure; ita aliud est *βαρβαρίζειν*, aliud incondite loqui; quod quidem multis imposuit, qui *βαρβαρισμὸν* vocant inconditum sermonem. Illa anus, quae in Theophrasti sermone peregrinitatem notavit, magis Attice, at minus ornate, quam Theophrastus loqui potuit. Idem dicas de Livio: cuius dictio ornatior, quam Latinior illi Critico videbatur, qui Patavinitatem in eo animadvertebat, et quidem fortasse iustius, quam ii, qui militem, qui scripsit diarium belli Hispanici[1]), barbarum vocant; cum tamen eo scripto nihil Latinius concipi possit. Sed horride loqui illum militem, quem horridum vocant poetae, non tam mirum videri debet, quam putare ideo barbare loqui, quod incondite. Futilissimo igitur argumento Lilius peregrinum suspicatur Manilium ex sordibus eius orationis, quae nullae sunt. Idiotismos vero in illo esse non paucos animadvertet, qui eum auctorem aequiore animo legerit, quam Gyraldus. Sed idiotismos, et si qua sunt similia, ipsemet Poeta excusat, tum asperitate materiae, tum egestate Latini sermonis; contentus nude docere, quod ornate non possit. Neque vero statim omnia damnanda sunt, quae nitorem sermonis non admittunt: quasi minore cura et ingenio tractanda sint, quae ab omni cultu eloquentiae sterilia sunt, quam quae ornamenta orationis admittunt. Quis sanus dixerit Vitruvium barbare loqui? Tamen nemo magis incondite." [2])

---

[1]) Cf. Teuffel. R. L.³ pag, 373. 8.

[2]) Cf. etiam quae Huetius in eandem sententiam scripsit pag. 85.

CAPUT SECUNDUM.

Quod exoptavit Manilius: „Faveat magno Fortuna labori annosa et molli contingat vita senecta, ut possim rerum tantas evincere moles" id videtur ei non contigisse, nam carmen non est ad finem perductum neque iis, quae erant scripta, manus accessit extrema.[1]) Quod cum e ratione et consilio totius operis appareat, ut ea videantur, prius singulorum librorum argumenta percurramus.

Liber primus brevi in conspectu ponit universitatis corpus pluribus additis excursionibus, quae ieiunam aridamque materiam copiosiorem reddant. Praemisso prooemio [2]) de astrologiae inventione varias recenset philosophorum de mundi origine sententias [3]), mundique figuram, qualem nunc se praebet, describit [4]), uberius agit de forma rotunda terrae in medio rotundo mundo pendentis [5]), monetque universas res divina ratione gubernari. [6])

Deinde ad signa referenda transit poeta et hac quidem ratione, ut primum duodecim signa orbis signiferi quam brevissime describat [7]), deinde exposito quid sit axis

---

[1]) Bentl. praef. XI. Iacob. proleg. XVII.

[2]) Vs. 1—117.

[3]) 118—148.

[4]) 149—193.

[5]) 194—246.

[6]) 247—254.

[7]) 255—274.

mundi [1]) reliqua, cum quae in septentrionali, tum quae in australi caeli plagis sunt posita atque ea, quae nusquam in conspectum veniunt, sed ad analogiam et exemplum aquilonarium signorum sunt intellegenda. [2]) Huc cum poeta venit, caeli descriptionem abrumpens lectorem monet ne corporeis similes quaerat figuras [3]), et animo contemplatur divinam prudentiam et rationem, quibus omnia ordine convertantur et gubernentur. [4])

Tum de mundi magnitudine disputatione inserta [5]) circulos caelestes describit: quinque parallelos [6]), qui duobus coluris, per polos mundi ductis, secantur [7]), meridianum et finitorem [8]), circulum signiferum et orbem lacteum. [9]) Haec via lactea imprimis acrem poetae animum incitavit, quo factum est ut splendidam excursionem huic carminis parti addiderit [10]), qua inquirit in naturam huius stellarum turbae crasso lumine candentis.

In fine libri primi agitur de planetis, quos iam prius se descripturum esse pollicitus erat [11]), breviter, uberius de cometis [12]), quorum natura praesignificans aptum huic libro imponit epilogum et transitum ad sequentem.

In libri secundi exordio Manilius gloriatur, alii poetae cum alia cecinerint, se primum canturum deum et rationem quae cuncta gubernet ducatque ab aeternis terrena ani-

---

[1]) 275—293.
[2]) 294—455.
[3]) 456—482.
[4]) 483—539.
[5]) 540—560.
[6]) 561—602.
[7]) 603—631.
[8]) 632—665.
[9]) 666—704.
[10]) 705—804.
[11]) 259, 805—812.
[12]) 813.

malia signis [1]), nec „turbae" carmina conditurum sed divino flatu vectatum ad sidera laturum.[2]) Haec praefatus ad propriam transit artem astrologorum hoc libro divisiones signorum tractans. Et primum divisionem siderum καθ' αὑτά refert: principia divisionis sunt ἡ φύσις, τό εἶδος, τὰ ἤθη κ. τ. ἑ: sunt igitur mascula et feminea, humana et ferina; gemina, biformia, duplicia; aversa et recta, diurna et nocturna, aquatica et terrena et ambigua, fecunda et sterilia et communia, currentia et stantia, sedentia et iacentia, truncata, hiberna, aestiva, autumna, verna.[3])

Deinde quomodo πρὸς ἄλληλα dividantur exponit, id est eas siderum configurationes, quas diversos aspectus astrologi vocant; ad figuras: trigona, tetragona, hexagona; ad similitudinem: singularia, asyntheta, contraria; enumerat tutelas deorum, id est „quae cuique deo rerum natura dicavit", tutelas membrorum humanorum; signa, quae inter se vident, audiunt, amant, oderunt; sic etiam configurationes, quae sibi vicissim contrariae sunt aut amicae. [4])

Tum de dodecatemoriis agit, id est de divisione cuiusque signi in duodecim partes, de dodecatemorio lunae atque de dodecatemoriis dodecatemoriorum [5]); quattuor geniturarum cardines describit, quae „loca praecipuas vires summosque per artem fatorum effectus referunt, quod totus in illis nititur aethereis veluti compagibus orbis" [6]), horum cardinum effectus ac dignitates exponit. [7])

Finis huius libri totus in duodecim caelestium domorum

---

[1]) II, 82, 83.
[2]) II 1—149.
[3]) 150—270.
[4]) 271—692.
[5]) 693—787.
[6]) 801 seqq.
[7]) 788—855.

descriptione versatur, quarum tituli et tutelae enumerantur et singulis suus cuique planeta datur. [1])

Astrologorum caelo descripto liber tertius „certas dat in arte vias ad fata videnda.” [2]) In prooemio, libri secundi prooemio non dissimili, poeta queritur se rem omnium difficillimam sermone reluctante tractare [3]). Tum de athlis canturus, primum quid sint explicat [4]). Athla enim sive opera, labores, studia, artes alia huius modi, quibus hominum vitae occupantur, erant numero duodecim, respondentia numero signorum signiferi et caelestium domorum. Haec athla enumerantur: 1 fortuna, 2 militia, peregrinatio, 3 urbani labores, 4 iudicia forensia, eloquentia, 5 coniugia, societates, hospitia, 6 opum dispensatio et conservatio, 7 pericula, 8 nobilitas, fama, gratia, 9 natorum educatio, nutritia, 10 mores, instituta familiae, 11 valetudo, 12 vota eorumque effectus. [5]) Quae cum „tempora mutent, nunc huc nunc illuc signorum mota per orbem, incolumis tamen ut maneat, qui conditus ordo est”, ratio est investiganda qua eorum sedes inveniri possit, quae ratio exemplo de fortunae primae sortis sede quaerenda sumpto illustratur. [6])

Deinde ad horoscopum, sive constellationem orientem cum quis nascitur, inveniendum deducitur carmen. „Sed quanta effectu, res est tam plena laboris” [7]), cum geometrica subtilitas requiratur. Ratio vulgaris, „quae binas

---

[1]) 856—970.
[2]) III, 45.
[3]) 1—42.
[4]) 43—95.
[5]) 96—159.
[6]) 160—202.
[7]) III, 211.

tribuit signis orientibus horas" refutatur [1]), ratio vera proponitur [2]) et exemplis illustratur. [3])

Quibus expositis alia docentur, quae si teneat lector, fata ex sideribus legere possit, scilicet cuius signi quisque annus aut mensis aut dies aut hora sit [4]), quot vitae annos quaeque signa et domus duodecim caelestes tribuant.[5]) Denique disseritur de potentia signorum, „quae tropica appellant, quod in illis quattuor anni tempora vertuntur", cancri, capricorni, arietis, librae. [6])

Liber omnium fere elegantissimus est quartus. In prooemio, quod praemittitur,[7]) poeta ostendit nequicquam homines tot curas ponere in opibus comparandis, cum omnia pendeant a fato; totum hisce versibus comprehenditur: „solvite, mortales, animos, curasque levate, totque supervacuis vitam deflere querelis: fata regunt orbem, certa stant omnia lege." [8]) Tum „signorum mores . . . et studia et . . . artes ex ordine" redduntur.[9]) Ut exemplum afferam: „quis dubitet, vasti quae sit natura leonis, quasque suo dictet signo nascentibus artes? Ille novas semper pugnas, nova bella ferarum apparat, et spolio vivit pecorumque rapinis." [10]) „Sunt quorum similes animos nec moenia frenent, sed pecudum membris media grassentur in urbe, et laceros artus suspendant fronte tabernae, luxuriaeque parent caedem, mortesque lucrentur. Inge-

---

[1]) 203—247.
[2]) 248—384.
[3]) 385—509.
[4]) 510—559.
[5]) 560—617.
[6]) 618—682.
[7]) IV 1—121.
[8]) 12—14.
[9]) 122—291.
[10]) 176—179.

nium ad subitas iras facilesque receptus aequale; et puro sententia pectore simplex." [1])

Hoc tamen scire nondum sufficit: „nihil in semet totum valet." Signa quoque inter se quasi hospitii foedere utuntur et suas quaeque vires per partes aequales communicant. Nam cum in ter denos gradus signum quodque dividatur, partem tertiam sibi vindicat, bis deni aliis sideribus binis tribuuntur, quo fit ut „invicem ternis habitentur sidera signis et altis natura maneat consepta tenebris et verum in caeco sit multaque ambagine rerum." Haec est doctrina de siderum decanis. [2])

Neque hoc satis est ad fatum in caelo legendum. Ut nihil usquam aequale est . . „sic etiam caeli partes variantur in astris. Ut signum a signo, sic a se discrepat ipsum." Est difficilis res ad exponendum, sed tamen poetae „ad iussa loquendum est." [3]) Tum enumerantur quae singulorum siderum partes sint malae et metuendae. [4]) Deinde quae sint eorum propriae vires, cum oriantur [5]), mutantur enim quaedam in tempus.

At ne haec quidem qui didicit satis est doctus: sidera sunt cognoscenda, quae in diversis orbis terrarum partibus dominantur. Quod ut fiat primum orbis ipse describitur [6]); quae tamen terrae quibus signis sint addictae non ostendit poeta, summam rei hic tantum attingens [7]), priusquam varii terrae incolarum habitus recensentur. [8]) Tum in quorum

---

1) 183—188.
2) 292—408.
3) 437, 409—443.
4) 444—501.
5) 502—584.
6) 585—695.
7) 696—710.
8) 711—743.

signorum tutelis sint variae orbis terrarum partes describitur. [1]) Postremo eclipticorum signorum mentionem facit, quae hoc nomine dicuntur, „quod certos quasi delassata per annos nonnunquam cessant sterili torpentia motu." [2])

In epilogo huius libri eorum poeta sententiam refellit, qui vasto naturam recessu condi docent mortalesque fugere visus et pectora nostra. Iis haec opposuit: „quid mirum noscere mundum si possunt homines, quibus est et mundus in ipsis, exemplumque dei quisque est in imagine parva?" Hanc ob rem: „Iam nusquam natura latet; pervidimus omnem, et capto potimur mundo, nostrumque parentem pars sua perspicimus, genitique accedimus astris." [3])

Liber quintus a ratione priorum diversus est, quod ipse poeta testatur: „hic alius, inquit, finisset iter, signisque relatis, quis adversa meant stellarum numina quinque, quadriiugis et Phoebus equis et Delia bigis, non ultra struxisset opus caeloque rediret." At poetae signorum signiferi viribus relatis reliquorum etiam vires et tempora sunt canenda. [4])

Sequuntur *ἀποτελέσματα* sphaerae barbaricae sive Aegyptiorum, qui plura observare solebant astra quam Graeci. Astra huius sphaerae eorumque vires eo ordine referuntur, ut quae cum singulis signiferi orbis constellationibus simul oriantur enumeret poeta. Cum Ariete oriuntur: Navis, Orion, Heniochus, Haedi, Hyades, Capella [5]), cum Tauro Pleiades [6]), cum Geminis Lepus [7]) cett. Navis procreat

---

[1]) 744—817.
[2]) 819, 20; 818—865.
[3]) 893, 94; 883—885, 866—935.
[4]) V, 1—31.
[5]) 32—139.
[6]) 140—156.
[7]) 157—173.

navium rectores, naucleros, navalia bella amantes; Orion sollertes animos, velocia corpora cett. Copiosissime de Andromeda agitur. [1]) Denique de siderum varia magnitudine breviter disserit poeta. [2])

Neque Lucretio, neque Vergilio, neque Manilio contigit ut opus susceptum, per longam seriem annorum elaboratum, ad finem perducerent; ceciderunt omnes ante diem. Manilii opus non esse perfectum ex iis, quae ipse dicit, apparet II 958: „Tali sub lege notandae templorum tibi sunt vires, quae pervolat omnis astrorum series, ducitque et commodat illis ipsa suas leges, stellaeque ex ordine certo, ut natura sinit, lustrant variasque locorum efficiunt vires, utcumque aliena capessunt regna, et in externis subsidunt hospita castris. *Haec mihi sub certa stellarum* (i. e. planetarum) *parte canentur*"; quod promissum tamen non solvit poeta. — Item III, 155: „Si bene convenient stellae per signa sequentes. Quarum ego posterius vires in utrumque valentis ordine sub certo reddam, cum pandere earum incipiam effectus; nunc ne permixta legentem confundant", cett.; et III, 586: „Sed mihi templorum tantum nunc iura canentur; mox veniet mixtura suis cum viribus omnis; cum bene materies steterit per cognita rerum, non interpositis turbabitur undique membris." [3]) — Etiam liber primus non absolutus videtur. De signifero et de planetis, quae praecipue astrologis maximi erant momenti, tam pauca scribit, ut pro rei gravitate, et reliquorum siderum descriptione cum hac comparata, neglecta videantur. Et tamen utraque et signiferi signa et planetas se canturum dicit: „Nunc tibi signorum lucentis undique flammas ordinibus certis referam, primumque canentur

---

1) 538—631.

2) 711—745.

3) Scalig. Proleg. p. 4, Pingr. pag. VIII.

quae media obliquo praecingunt ordine mundum, solemque alternis vicibus per tempora portant, atque alia adverso luctantia sidera mundo omnia, quae possis caelo numerare sereno, e quibus et ratio fatorum ducitur omnis." Quod tot verbis promittitur intra spatium datur viginti versuum in duas partes distractum 263—274, 805—812. De signiferi obliquitate, de qua Plinius „signiferi, inquit, obliquitatem intellexisse, hoc est rerum fores aperuisse" [1]) in libro primo, ubi caeli aspectus describitur, nihil, si illud „obliquo ordine" vs. 257 excipias, quamquam in reliquis libris commemoratur. [2]) Signorum divisio in libro secundo non ea est, quam merito exspectas, cum principium divisionis, quod dicitur, saepius desideretur, cum interdum quaeras frustra, cur aliud nomen alii signorum generi sit datum, ut cum in masculina et feminina dividuntur; atque alia huiusmodi, ne longus sim.

E quibus fontibus Manilius doctrinam hauserit, difficile est investigare, cum de astrologorum scriptis ante illum editis, pauca nobis sint nota. Ipse poeta ait: „nostra loquar; nulli vatum debebimus ora, nec furtum, sed opus veniet, soloque volamus in caelum curru, propria rate pellimus undas." [3]) Sed verba haec ad carmen tantum pertinent, non ad doctrinam, ut apparet ex iis, quae praecedunt: „Omne genus rerum doctae cecinere sorores; omnis ad accessus Heliconis semita trita est . . . . integra quaeramus rorantis prata per herbas." [4]) Eudoxum nosse videtur, ut postea apparebit; multa tamen ex eo sibi assumere non poterat, cum Eudoxus huic astrologiae

---

[1]) Hist. Nat. II, 31.
[2]) III, 225, 334.
[3]) II, 57 seqq.
[4]) II, 49 seqq.

Chaldaeorum parum faverit. [1]) Hipparchum ei ignotum fuisse videbimus cum de doctrina uberius agemus. Arati Phaenomena legit, ut apparet ex hoc loco:

MANILIUS.	ARATUS.
I 294: Summa tenent eius miseris notissima nautis signa per immensum cupidos ducentia pontum: maioremque Helice maior decircinat arcum . . . qua duce per fluctus Graiae dant vela carinae; angusto Cynosura brevis torquetur in orbe, quam spatio, tam luce minor; sed iudice vincit maiorem Tyrio. Poenis haec certior auctor, non apparentem pelago quaerentibus orbem.	36: *καὶ τὴν μὲν Κυνόςουραν ἐπίκλησιν καλέουσι· τὴν δ᾽ἑτέρην Ἑλίκην. Ἑλίκῃ γε μὲν ἄνδρες Ἀχαιοὶ εἰν ἁλὶ τεκμαίρονται, ἵνα χρὴ νῆας ἀγινεῖν. τῇ δ᾽ ἄρα Φοίνικες πίσυνοι περόωσι θαλασσαν. Ἀλλ᾽ ἡ μὲν καθαρὴ καὶ ἐπιφράσσασθαι ἑτοίμη, πολλὴ φαινομένη Ἑλίκη πρώτης ἀπὸ νυκτός· ἡ δ᾽ἑτέρη, ὀλίγη μὲν, ἀτὰρ ναύτῃσιν ἀρείων· μειοτέρῃ γὰρ πᾶσα περιστρέφεται στροφάλιγγι, τῇ καὶ Σιδόνιοι ἰθύντατα ναυτίλλονται.*
Nec paribus positae sunt frontibus; utraque caudam vergit in alterius rostrum, sequiturque sequentem.	28: *Αἱ δήτοι κεφαλὰς μὲν ἐπ᾽ ἰξύας αἰὲν ἔχουσιν ἀλληλων· αἰεὶ δὲ κατωμαδιαι φορέονται, ἔμπαλιν εἰς ὤμους τετραμμέναι.*

Praeter hunc locum nullum vidi, qui ex Arato sumptus dici debeat, quamvis multos Scaliger, Buhle, alii laudent. Nam ut unum tantum referam: I, 308 seqq. Manilius scripsit: „Hunc (Anguem scilicet) inter mediumque orbem,

---

[1]) Pauly Realencycl. III. 264. Cic. de Divin. II. 42.

quo sidera septem per bis sena volant contra nitentia signa, mixta ex diversis consurgunt viribus astra, hinc vicina poli caelique hinc proxima flammis; quae quia dissimilis, qua pugnat, temperat aër, *frugiferum sub se reddunt mortalibus orbem.*" Ad hunc vs. Scaliger annotat: „Ex Arato de Zodiaco ad verbum paene: *Ἐν τοῖς ἠέλιος φέρεται δυοκαίδεκα πᾶσι, πάντ᾽ ἐνιαυτὸν ἄγων · καί οἱ περὶ τοῦτον ἰόντι κύκλον ἀέξονται πᾶσαι ἐπικάρπιοι ὧραι.*" Sed contextus, si quid video, et sententia et verba prorsus sunt alia. Ceterum difficile est de imitatione iudicare, cum complura, quae Manilius mutuatus esse videri possit ex Arato, fortasse orta sint e similitudine argumentorum, ut I, 475 seqq. et Arati 451 seqq.

Constat igitur Manilium Arati opus legisse; sed ordo, quo sidera describit uterque, descriptiones ipsae et verba si componuntur, apparet Arati opus non multum profuisse nostro.

Ceterum videtur litterarum Graecarum non ignarus fuisse. Iliadem et Odysseam legit, [1]) Hesiodum nomine laudat, etsi argumenta, quae in illo se legisse ait, in Hesiodeis, quae aetatem tulerunt, non sunt obvia, mythographos non neglexit, [2]) neque lyricos [3]) poetas, neque tragicos, [4]) nec

---

[1]) Cf. I, 410: „nec clarius astrum (de Canicula agitur) tinguitur Oceano" et Iliad.: V, 5: *ὅς (Σείριος) τε μάλιστα λαμπρὸν παμφαίνῃσι λελουμένος Ὠκεανοῖο*; I, 501: „Iam tum, cum Graiae verterunt Pergama gentes, Arctos et Orion adversis frontibus ibant", et Odyss. V, 274: *ἥτ᾽ (Ἄρκτος) αὐτοῦ στρέφεται καί τ᾽ Ὠρίωνα δοκεύει.* Praeterea multis locis argumenta utriusque carminis commemorat.

[2]) Cf. prooemium libr. II et III.

[3]) Sappho. — I, 469: „Praecipue medio cum luna impletur in orbe (cf. pag. 33).

[4]) Cf. I, 26: „Quis enim condentibus illis (deos dicit) clepsisset furto mundum, quo cuncta reguntur?" cum Soph. fragm. 659 (Dind.): *Ἀλλ᾽ οὐ γὰρ ἂν τὰ θεῖα κρυπτόντων θεῶν μάθοις ἄν, οὐδ᾽ εἰ πάντ᾽ ἐπεξέλθοις σκοπῶν.*

comicos. [1]) Theocritum celebrat. [2]) Thaletis, Heracliti, Democriti, Xenophanis, Anaxagorae, Epicuri placita redarguit, ubi canit de mundi origine, de lacteo orbe, de cometis.

E Romanorum scriptis pauca admodum nec certa in suum usum vertisse videtur Manilius, si unum Lucretium excipias. Catulliana, quae mihi visa sunt, notavi haec: I, 178: „Hesperus immenso dederat qui lumen Olympo", cf. Catull. LXII, 1: „Vesper Olympo exspectata diu vix tandem lumina tollit"; V, 549: „rapitur sine funere funus", cl. Catull. LXIV, 83: „funera . . . nec funera portarentur." Sallustiana puto I, 78: de primis hominibus dicitur: „se quisque satis novisse putabant", Sall. de Coni. Catil. cap. 2, § 1, de iisdem: „sua cuique satis placebant"; IV, 897: „proiecta iacent animalia muta in terra . . omnibus una quies, venter", Sall. de C. C. cap. 1, § 1: „pecora, quae natura prona atque ventri oboedientia finxit." — Vergiliana I, 1: „conscia fati sidera", Aen. IV, 519: „conscia fati sidera" (alio tamen sensu); I, 79: „cum longa dies acuit mortalia corda," Georg. I, 123: „curis acuens mortalia corda"; I, 98: „quod usquam est." Aen. VII, 311: „quod usquam est; II, 134: „quod fortuna ratum faciat, quis dicere falsum audeat"? Georg. I, 463: „solem quis dicere falsum audeat?" — II, 202: „cum sol adversa per astra Aestivum tardis attollat mensibus annum," Georg. I, 32: „anne novum tardis sidus te mensibus addas;" IV, 509: „dabit in praedas animos solvetque pudorem," Aen. IV, 55: „spemque dedit dubiae menti solvitque pudorem." — Multorum poematum praeterea

---

1) V, 476: „Menander, qui vitae ostendit vitam chartisque sacravit."

2) II, 39 seqq. Cf. I, 80: „Et labor ingenium miseris dedit" cum Theocr.: ἁ πενία Διόφαντε μόνα τὰς τέχνας ἐγείρει, XXI, 1.

argumenta enumerat; cum tamen vulgo nomina taceat et Romani poetae Graecorum vestigia legant plerumque et tot carmina temporum iniquitate interierint, difficile est investigare quosnam poetas ante oculos habuerit.[1]) Cicero laudatur hisce verbis: „censu Tullius oris emeritus caelum" I, 794; Cato maior V, 454: „semper et antiqui laudabunt verba Catonis." Nigidium Figulum noster neglexisse videtur quatenus quidem e raris illius fragmentis[2]) iudicari potest. Etiam dubito an nulla affinitas sit inter rationes utriusque in rebus astrologis tractandis; certe modus quo in Nigidii fragmentis, quae scholiastes ad Germanicum servavit[3]), de signis Zodiaci disseritur, prorsus alius est atque is, quo Manilius de signis agit; illius disputationes longe sunt copiosiores et doctiores, ut omnino magis historicus esse videatur, Manilius magis philosophi praebeat naturam.

Inter poetas Romanos multis numeris Lucretius parens nostri dici possit, praecipue si ad orationis naturam spectamus.

MANILIUS. LUCRETIUS.

Utriusque descriptiones de primorum hominum cultu in multis concinunt:

---

[1]) Si I, 43 seqq. poetam Aemilium Macrum et Gratium Faliscum designare recte Scalig. iudicat, non dubito, quin vs. 46 seqq.: „Quin etiam tenebris immersum tartaron atrum in lucem de nocte vocant" ad Aeneid. librum VI respiciant.

[2]) Cf. Iani Rutgersii Variarum lectionum pag. 246—298 Lugd. Bat. 1618. Quaenam hic praeterierit enumerat Martinus Hertz: de P. Nigidii studiis atque operibus, Berol. 1845 pag. 3. Iulius Menzel (Hertz pag. 3) et Joseph. Klein: Quaest. Nigid. Bonnae 1861, pag. 1, omnia Nigidii fragmenta collecta se edituros esse scripserunt, sed neuter, quod sciam, promissum solvit.

[3]) De P. Nig. Fig. fragm. apud Schol. Germ. servatis; disser. Alfr. Breysig. Berol. 1854.

I, 61: Per varios usus artem experientia fecit, exemplo monstrante viam.	V, 1452: Usus et impigrae simul experientia mentis paulatim docuit pedetemtim progredientis.
I, 70: Variosque dies incertaque noctis tempora, nec similis umbras, iam sole regresso, iam propiore, suis poterant discernere causis.	V, 1183: Praeterea caeli rationes ordine certo et varia annorum cernebant tempora verti, nec poterant quibus id fieret cognoscere causis.
I, 90: Semper enim ex aliis alia proseminat usus.	V, 1456: Namque alid ex alio clarescere corde videbant.
I, 96: Nec prius imposuit rebus finemque manumque, quam caelum ascendit ratio, cepitque profundam naturam rerum causis, viditque quod usquam est: nubila cur tanto quaeterentur pulsa fragore.	I, 72: Ergo vivida vis animi pervicit et extra processit longe flammantia moenia mundi atque omne immensum peragravit mente animoque: unde refert nobis quid possit oriri, quid nequeat. VI, 96: Principio tonitru quatiuntur caerula caeli propterea quia concurrunt sublime volantes aetheriae nubes.
I, 130: Et paene ex nihilo summum est nihilumque futurum.	I, 619: Ergo rerum inter summam minimamque quid escit? nil erit ut distet.
I, 151: Flammarum vallo naturae moenia fecit. II, 118: Flammea tecta mundi.	I, 73: Flammantia moenia mundi.
I, 448: Caeli fulgentia templa.	I, 1014: Caeli lucida templa; II, 1039.
II, 53: Integra quaeramus rorantis prata per herbas, un-	I, 926: Avia Pieridum peragro loca nullius ante trita

damque occultis meditantem murmur in antris.

III, 48: Moenia mundi; idem I, 486.

III, 276: Animo cognosce sagaci, ne magna in brevibus pereant compendia dictis; II, 788 Ergo age, noscendis animum compone sagacem; — et alibi.

III, 652: Tum primum (verno tempore) miti pelagus consternitur unda, et varios audet flores emittere tellus. Tunc pecudum volucrumque genus per pabula laeta in Venerem partumque ruit, totumque canora voce nemus loquitur, frondemque virescit in omnem Vernis in tantum signis natura movetur.

solo, iuvat integros accedere fontis.

I, 73: Moenia mundi; 1102 et alibi.

II, 840: haec animum cognoscere posse sagacem; IV, 912: tu mihi da tenuis aures animumque sagacem, ne fieri negites quae dicam posse.

I, 6: Te (Venerem), dea, te fugiunt venti, te nubila caeli adventumque tuum, tibi suavis daedala tellus summittit flores, tibi rident aequora ponti placatumque nitet diffuso lumine caelum. Nam simul ac species patefactast verna diei et reserata viget genitabilis aura favoni, aeriae primum volucres te, diva, tuumque significant initum perculsae corde tua vi. Inde ferae pecudes persultant pabula laeta et rapidos tranant amnis: ita capta lepore te sequitur cupide quo quamque inducere pergis. Denique per maria ac montis fluviosque rapacis frondiferasque domos avium camposque virentis omnibus incutiens blandum per

	pectora amorem, efficis ut cupide generatim saecla propagent.

Cum IV, 1—115 Manilii componatur Lucr. II, 11 seqq. III 59 seqq. Imprimis:

IV: 1: Quid tam sollicitis vitam consumimus annis? Torquemurque metu, caecaque cupidine rerum? Aeternisque senes curis, dum quaerimus aevum, perdimus?	II: 14: O miseras hominum mentes, o pectora caeca! Qualibus in tenebris vitae quantisque periclis degitur hoc aevi quodcumquest! III, 59: honorum caeca cupido.
8: Cumque sui parvos usus natura reposcat cett.	16: Nonne videre nil aliud sibi naturam latrare, nisi ut, cett.
V, 10: Cum semel aethereos iussus conscendere currus.	VI, 47: Quandoquidem semel institui conscendere currum ventorum.
V, 221: Irarumque dabit fluctus.	III, 299: Nec capere irarum fluctus in pectore possunt; VI, 73: magnos irarum volvere fluctus.

Huc accedunt formulae transitionis, quas Manilius e Lucretio hausit:

III, 160: Et quoniam ... exegimus ... nunc, quibus... canendum est.	V, 772: Quod super est, quoniam ... qua ... posset ratione resolvi... nunc redeo...
III, 385: Et quoniam quanto ... dictum est, nunc accipe signa quot ...	I, 265: Nunc age, res quoniam docui ..... accipe praeterea ...
III, 560: Et quoniam docui ... nunc ratio ... reddenda est.	III, 31: Et quoniam docui... hasce secundum res ... natura videtur ... claranda.

IV, 119: Quod quoniam docui, superest nunc ... fabricare ...	II, 478: Quod quoniam docui, pergam conectere ...
IV, 122: Nunc tibi ... ex ordine reddam.	V, 1281: Nunc tibi quo pacto ...
I, 255: Nunc tibi ... ordinibus certis referam.	III, 177: Is tibi nunc animus ... pergam rationem reddere dictis.
III, 43: Nunc age subtili rem summam perspice cura (*percipe* legendum?)	II, 730: Nunc age dicta meo dulci quaesita labore percipe ...
III, 618: Sed tamen in primis memori sunt mente notanda ...	II, 581: Illud ... convenit et memori mandatum mente tenere ...

Plura colligi possint, nam ea tantum collegi, quae legenti mihi Lucretiana videbantur; sed praeter allata exempla sunt verba singula et obsoleta vocabula multa et sententiae, quae etsi non omnibus numeris cum Lucretianis congruunt, tamen hunc poetam in memoriam revocant.

Manilius iam inde a primis carminis versibus ne cui legenti de totius operis ratione dubium esse posset utrum astrologiam eam doceret, quam Aratus et Hipparchus evulgassent, an Chaldaeorum doctrinam, cavisse videtur. Nam ad poetarum decantata alludens verba [1]), quibus ma-

---

[1]) „Carmina vel caelo possunt deducere Lunam."
Verg. Ecl. VIII, 69.

„mihi verax
pollicita est magico saga ministerio,
hanc ego de caelo ducentem sidera vidi."
Tib. I, 2. 43.

„cantus et e curru Lunam deducere tentat."
Tib. I, 8, 21.

„carmina sanguineae deducunt cornua lunae."
Ovid. Am. II, 1, 23. Metam. VII, 207 cett.

gicorum carmina vel caelo posse deducere Lunam dicebantur, se aggredi, canit, carmine conscia fati sidera, quae varios hominum praesignificent casus, caelestis et divinae rationis opus, caelo deducere. Siderum signa et stellarum planetarumque cursus solum novisse parum esse; penitus esse pervestigandum perscrutandumque mundum, ut quomodo omnium animantium sortes et fata generet regatque cernamus. [1]) Atque hoc, ait, possumus quoniam summa ratio sive deus, qui mundo inest, et omnia administrat, dignata est se ipsa hominibus, quibus est et mundus in ipsis et qui exempla sunt dei in imagine parva [2]), ratione praediti cui nulla resistunt claustra [3]), aperire et revelare [4]) Primum autem natura regibus se reclusit, qui proximum dei potentiae locum tenerent, deinde sacerdotibus, „quibus ipsa potentis numinis accendit castam praesentia mentem." [5]) Utrum in Babylonia an in Aegypto astrologia prius inventa sit poeta non diiudicat. Omnino apparet Manilium hic ea, quae a sacerdotibus Aegyptiorum et Babyloniorum de antiqua historia suarum patriarum tradita erant, referre. Utrique enim narrabant deos, qui regibus praecessissent, homines erudire coepisse [6]); hi dii ipsi cum sole et stellis ab iis confunduntur, sacerdotum scientia et auctoritas ad remotissimam antiquitatem refertur; post reges summum locum occupabant.

Reges et sacerdotes cum deus suam in mundo praesentiam docuisset, quo factum erat, ut mortalium oculi ani-

---

[1]) I, 15 seqq.
[2]) IV, 894.
[3]) I, 542.
[4]) I, 25—40.
[5]) I, 48.
[6]) Duncker Gesch. des Alterth. I, 14. 181. 166. 207.

musque in caelum conicerentur, tamen per multa demum saecula „per varios usus artem experientia fecit." [1]) De aureo, quod poetae canunt, saeculo nihil apud nostrum; ut Lucretius enim, sic Manilius, quamquam non, ut ille, hominum origines narrari posse censet, ait homines, etsi sub pectore eorum deus habitet et caelo sint oriundi [2]), rudes omnium artium vastam terram incoluisse; in externam speciem solam eorum animus erat conversus et operum ratione carebat.

„Necdum etiam doctas solertia fecerat artes, terraque sub rudibus cessabat vasta colonis; tumque in desertis habitabat montibus aurum, immotusque novos pontus subduxerat orbes; nec vitam pelago, nec ventis credere vota audebant; se quisque satis novisse putabant"

Paulatim tamen „labor ingenium miseris dedit" et belli pacisque artis commenti sunt; „semper enim ex aliis alia proseminat usus." Sed praeter haec vulgata „linguas didicere volucrum, consultare fibras, et rumpere vocibus angues, sollicitare umbras imumque Acheronta movere, in noctemque dies, in lucem vertere noctes." [3]) Neque hisce artibus contenti erant: „Omnia conando docilis solertia vicit, nec prius imposuit rebus finemque manumque, quam caelum ascendit ratio, cepitque profundam naturam rerum causis, viditque quod usquam est: . . . .

---

[1]) I, 51—65.

[2]) IV, 886.

[3]) Cum his versibus conferenda sunt quae Medea dicit Ovid. Metam. VII, 201 seqq.: . nubila pello

nubilaque induco, ventos abigoque vocoque,
vipereas rumpo verbis et carmine fauces,
vivaque saxa sua convulsaque robora terra
et silvas moveo iubeoque tremescere montes
et mugire solum manesque exire sepulcris. (Cf. Man. IV, 71.)

eripuitque Iovi fulmen, viresque tonandi et sonitum ventis concessit, nubibus ignem." Postquam igitur cognoverunt non deum humana forma praeditum suo arbitrio et quasi externa potestate mundum et quae in eo fiant regere, sed vim et rationem mundo ingenitam, tum demum totum animo comprendere caelum poterant" omniaque ad numen mundi faciemque moveri, sideribus vario mutantibus ordine, fata." [1])

Hoc egregio praemisso prooemio poeta ad suum argumentum tractandum se transire indicat: et primum naturae forma canenda est. De origine mundi quidquid statuant philosophi incertum esse debere putat, quoniam haec res lateat atque superet captum hominum et deorum vulgi ipsorum.[2]) Sed quaecumque mundi origo est, non dubitatur de forma; quae quo modo orta sit conicere licet. Manilius unum tantum esse mundum docet, quem fingit sibi, ut pluribus e locis apparet, talem.

Terra et caelum et quidquid inter ea exstat est mundus, „cui neque principium est usquam, neque finis in ipso,"

---

[1]) I, 66—112.

[2]) Vs. 145, 146. Vulgo legitur:

Semper erit genus (generatio) in pugna: dubiumque manebit,
quod latet et tantum supra est hominemque deumque.

Scaliger explicat: „nunquam, inquit, eius rei origo patebit, utpote quae lateat atque adeo supra ipsum deum sit, nedum hominis captum." Huic interpretationi Bentleius assentitur. Huetius repugnat: „nec enim, ait, id sibi vult Manilius, cognitionem originum mundi esse supra Deorum ipsorum captum, cum libri huius initio contrarium docuerit; verum esse supra hominum captum et Deorum potestatem." Contra quam explicationem iure suo Bentleius non potestatem sed scientiam ait requiri ad solvendam quaestionem de mundi origine. Mihi autem, si textus est integer, *supra* de tempore videtur intellegendum esse, ut sit sensus: mundi origo semper latebit quoniam tam diu ponenda est ante hominum et deorum quae narratur generationem, superat eorum memoriam „Leni tamen facta mutatione legi possit:

id est forma globosa.[1]) Summa pars, sive superficies huius globi est igneus aether,[2]) liquidus mundus in quo vaga scintillant lumina siderum,[3]) quod dicitur caelum; hic est laquear, hic sunt fastigia [4]) vel flammea tecta mundi.[5]) Altius his nihil est, [6]) vel potius magnum illud inane in quo mundus pendet, [7]) nam „*publica* naturae domus his contenta tenetur finibus." [8]) In medio hoc mundo terra suspensa est, [9]) et ipsa globus,[10]) qui circumcolitur, ita ut antipodes, quos vocare solemus, sint, qui „sub pedibus nostris" habitent quibusque supra videatur, quod nobis sit infra, quibus dies niteat, cum nos in nocte simus;[11]) etiam regiones „intra gelidum Capricorni sidus et axem" meridionalem habitantur, quamquam a gentibus ignotis (I, 378). Huic proximus est aer, qui eam circumfluit. Inter terram porro caelumque pendent planetae Saturnus, Iuppiter, Mars, Sol, „sub illis Mercurius Venerem inter agit Lunamque locatus."

„quod latet et captum supra est hominumque deumque"

quae lectio quibus se commendet habet haec: TANTUM et CAPTUM fere nihil differunt; genitivos autem *hominumque deumque* magis probandos puto quam accusativos: 1⁰ cum Manilius, qui tot verba et sententias ex aliis sumpserit, haec e Vergilio repetisse videatur; 2⁰ cum poetae eiusmodi copulata per eosdem sonos claudere soleant; 3⁰ cum *deus* vocabulum singulari numero a Manilio paene nunquam nisi de ratione, quae mundo inest, aut de Augusto dicatur.

[1]) I, 210.

[2]) I, 149.

[3]) I, 848.

[4]) I, 533, 534. Bentl. I, 276, 277.

[5]) II, 118.

[6]) I, 534.

[7]) I, 195.

[8]) I, 535.

[9]) II, 327.

[10]) I, 202 seqq., 219, 235; III. 326 seqq.

[11]) I, 236.

Non admodum longe a terra distant cometae, quorum corpus non est solidum, sed volucri simillimum fumo. [1]) Totus hic mundus volvitur ab oriente sole in occidentem, circum terram, quae est centrum eius; planetae tamen ab occidente sole in orientem moventur [2]) Partes mundi denique sive universi non plane sciuncta sunt, sed quasi diversa sunt membra ordinibus certis sociata corpus in unum [3]), quod corpus „vis animae divina regit, sacroque meatu conspirat deus et tacita ratione gubernat." [4]) Non neglexit poeta quae difficiliora videri poterant uberius illustrare, et quae ab Epicureis, aliis philosophis, vulgari opinione impugnabantur, defendere; inprimis autem fusius agit de terra, globosa praedita forma, et in medio universo pendente sine ullo fundo, quo nitatur, [5]) quae doctrina, cum vulgo Romanis id temporis viventibus et astronomiae prorsus fere ignaris mira et incredibilis videretur, etiam a Lucretio, partim quidem et aliis argumentis, copiose tractatur.

Ordo, atque constantia mundi sunt mirabilia: „nec quicquam in tanta magis est mirabile mole quam ratio et certis quod legibus omnia parent. nusquam turba nocet, nihil ullis partibus errat, laxius aut levius mutatove ordine fertur. quid tam confusum specie, quid tam vice certum est?"

Nulla est ratio qua clarius „pateat mundum divino numine verti, atque ipsum esse deum." „Quis credat tantas operum sine numine moles"? [6]) Credi non potest

---

[1]) I. 805 seqq.
[2]) I, 809.
[3]) III. 48 seqq. 247.
[4]) I, 250 et passim.
[5]) I, 194—246.
[6]) I, 492.

Democrito et qui eum sequuntur Epicureis, qui doceant forte quadam atomos ita concurrisse ut inde mundus hic ortus sit, „ex minimis caecoque creatum foedere mundum."

„Si fors, exclamat poeta, „si fors ista dedit nobis, fors ipsa gubernet",[1]) tum *fors* ipsa esto summa *lex*.

Ex argumento libri primi iam apparuisse mihi videtur poetam non esse astronomiae peritum; quae de hac doctrina protulit non pluris sunt aestimanda quam quae cuique viro erudito eo tempore erant nota. Et primum est animadvertendum poetam neque accuratam neque integram depingere universi imaginem, accuratam et integram scilicet non si spectamus ad nostram scientiam, sed Manilii temporis. Ne Hipparchum quidem cognovisse videtur, qui tamen plus quam saeculo ante eum vixit, quoque „nemo magis, ut ait Plinius,[2]) adprobaverit cognationem cum homine siderum animasque nostras partem esse caeli." De orbibus ἐπικύκλοις et ἐκκέντροις, quibus ille usus est ad motus planetarum explicandos, apud nostrum nihil: duo tantum novit motus, in orbibus ὁμοκέντροις, alterum totius caeli a sole oriente occidentem versus, alterum planetarum adverso caelo qui volvuntur (I, 259). Num noverit lunae et planetarum orbes a reliquorum siderum differre non constat, quamquam ex hisce versibus effici potest: „Subsequiturque suo solem *vaga* Delia curru, et quinque adverso luctantia sidera mundo exercent *varias* naturae lege choreas." [3]) Plura tamen de re tam gravi non scripsit. Omnino astronomos neque laudat neque refellit, sed philosophos qui de cosmogonia egerunt plures, Democritum, Empedoclem, Xenophanem, Epicurum alios.

[1]) I. 494.

[2]) Hist. Nat. II. 95.

[3]) I. 669 seqq.

ipsum Stoicorum esse gregis mox apparebit. Prius amplius demonstremus eum astronomiae peritum esse minime, quatenus quidem ex eius carmine colligi potest. Et primum, quaeso, quid qui hunc primum librum legerit censebit de solis orbe eiusque loco in universo? Paucissimis verbis de planetis disserit. Soli locum tribuit inter Martem et Venerem, nam verus ordo planetarum inde a sole centro cum hic sit: Sol, Mercurius, Venus, Tellus, Mars, Iuppiter, Saturnus, — Manilius inde a terra centro hunc constituit ordinem: Tellus, Luna, Mercurius, Venus, Sol, Mars, Iuppiter, Saturnus.[1]) Hi planetae omnes inter terram et caelum volitant. Sol igitur aliquantum a caelo distat, quod poetae est flammarum vallum, naturae moenia.[2]) Nusquam tamen neque hoc, neque alia quae inde sequuntur, orbes varia scilicet magnitudine, sed ex uno centro descriptos (ὁμοκέντρους), dispares celeritates, alia, a poeta ita exponuntur, ut appareat eum rem intellexisse; contra ubique ita orbes caelestium corporum describit, quasi omnes sint in una eademque superficie, summo scilicet caelo.

De tempore et de magnitudine absolutis et relativis, ut novas significationes antiquis vocibus subiungam, nullam notionem Manilius habuisse videtur, in hac re reliquis Romanis non dissimilis.[3]) Cum enim quantum obtineat mundus spatium docturus est, laudata hominum ratione, „cui nulla resistant claustra, nec immensae moles, cedantque recessus, omnia succumbant, ipsum sit penetrabile caelum,"[4]) magna sane promittit, praestat tamen nihil. Nam

---

[1]) I, 810 seqq.

[2]) I, 151.

[3]) Cf. librum nostrum, qui inscribitur Lucretii philosophia cum fontibus comparata pag. 40.

[4]) I, 539 sqq.

quod narrat tellurem cum in medio mundosit collocata „binis a summo signis discedere et imo,” [1]) cum diametri longitudo paulo minor sit quam tertia pars circuli circumferentiae et totus circulus contineat duodecim signa, id hercle neque novum tum erat neque tam ingeniose repertum, ut propterea hominis ratio tanto hiatu laudanda esset, neque vero, quod est peius, quidquam lucis affert, ut quisque intellegit. Quanto enim intervallo distant bina signa? Praeterea est notandum tellurem in hoc argumento esse punctum tantum mathematicum,[2]) ut dicunt, nam a summa tellure ad summum caelum est spatium duorum signorum et tantundem est ab ima tellure ad imum caelum, ab imo caelo ad summum autem est spatium quattuor signorum; at hoc poeta non intellexisse videtur; si enim intellexisset dicere debuerat in hoc argumento.

Simili lapsu fallitur in temporum ratione intellegenda. Vs. 221 enim et sequentibus lunae defectum non eodem tempore ab omnibus gentibus percipi ait, „sed prius Eoae quaerunt tua (Luna) lumina gentes, post, medio subiecta polo quaecumque coluntur, ultima ad hesperios infectis volveris alis.” Et primum hoc est falsum, quod ait primas gentes orientales lunae defectum videre, tum mediterraneas, postremo occidentales, cum omnes gentes lunam deficientem eodem tempore percipiant, quod tempus tamen ab orientem incolentibus hora posteriore quam qua gentes occidentales id tempus indicant, notatur. Deinde autem apparet poetam hoc temporis discrimen in luna deficiente percipienda non inde explicavisse, quod in oriente „orta dies sopitas excitat urbes” dum „nos in nocte sumus” ut paulo post ostendit (245), sed e lunae motu occidentem

---

[1]) I, 243. 245.

[2]) Quod Avienus non neglexit: „puncti vice Terra locanda est.”

versus, cum luna ultima ad hesperios infectis volvi alis dicatur vs. 226.

Sed plura etiam sunt quae inscitiam Manilii accusent. Circulus arcticus antiquis erat ille, qui finitorem alicuius loci tangens, ad perpendiculum directus erat in axem mundi; definiebat igitur quovis loco sidera omnia quae non occidebant.[1]) Hic circulus igitur aliis locis alius erat, quod tamen Manilius non perspexisse videtur. Nam non solum nusquam dicit eum „volucrem" esse, quod de aliis docet, sed etiam eum „intervalla pari servare limite semper" a polo scilicet et tropico et aequatore, quos „aeterna fixerunt sede" astrologi.[2]) Distare autem a polo circulum arcticum ait sex partes, id est decimam partem circuli (quem hoc loco, ut veteres plures, in sexaginta dividit partes, sed alibi aliter), sive 36°. Totidem autem partes fere Cnidus, quae est patria Eudoxi, distat ab aequatore.[3]) Cnidi igitur *ἔξαρμα τοῦ πόλου* sive altitudo poli est eadem atque locorum illorum, quae circulum habent arcticum a poeta descriptum. Cum autem Romae, ubi ni fallor, Manilius carmen suum scripsit, circulus ille 7 partes a polo fere absit[4]), apparet poetam mutandis non mutatis Eudoxum stulte secutum esse.

Deinde poeta ubi de coluris agit non minorem inscitiam probat; nam diserte affirmat eos immobiles esse per signa „statione perenni"[5]), cum tamen Hipparchus iam scripsisset *περὶ τῆς μεταπτώσεως τῶν τροπικῶν καὶ ἰσημερινῶν*

---

[1]) Locos vide in operis inscripti: Dictionnaire des antiquités Grecques et Romaines par Daremberg et Saglio. fasciculo quarto. sub voce Astronomia in nota 115.

[2]) 1, 601, 631.

[3]) 36° 40′.

[4]) 41° 50′.

[5]) 1, 632.

σημείων, neque haec praecessio tam exigua esset, ut neglegi posset, cum inde ab Eudoxo ad Manilium iam 5° superaret. Quodsi igitur Manilius ipse accurate caelum observasset, fieri non potuisset, quin Eudoxi descriptiones suo tempore non amplius accuratas esse animadverteret. Sic, ut unum tantum referam, scire potuerat et debuerat coluros quos describit vs. 609—630 non esse eos circulos, qui Augusti tempore alter solstitia et polos, alter puncta aequinoctialia cum polis coniungebant.

Si autem quis dicat hoc Manilio condonandum esse, cum plerique astronomi eius aetatis praecessionem illam aut negaverint aut silentio praeterierint, hoc id tantum probat paucos tum astronomiae peritos fuisse, sed magis vulgi aut philosophorum opinionibus addictos. Credimus nos non nimis esse severos si poscimus eum, qui de astronomiae disciplina scribat, non ea proferre quae a primo quoque perito refelli possint, quod tamen Manilius fecit.[1])

At nolumus plura enumerare, quamvis facile possimus[2]):

---

[1]) Pingreus, cum alios vituperet eam neglegentes, ipse praecessionis rationem non habet. „Canopus, ait, pouvoit alors s'élever au-dessus de l'horizon de Cadix," sed vocabulum *alors* pertinet ad praecedentia verba „du tems de Manilius et d'Eudoxe" quamquam inter hos duos spatium est paene quadringentorum annorum.

[2]) Multa Scaliger animadvertit, quae tamen saepe aut futilia sunt, aut ipsius levitatem accusant. Ab Huetio et Pingreo satis est perstrictus. Hic tamen interdum nimis est benevolus in Manilium. Vs. 216 poeta „nusquam" ait „invenies fulgere Canopum donec Niliacos per pontum veneris oras", quod minime est verum. Ipse Eudoxus Cuidi Canobum observasse dicitur, Strabon. II pag. 160 (edit. Meinek.) ἐντεῦθεν (ἐκ τῆς σκοπῆς) ἐκεῖνος (Εὔδοξος) ἀφεώρα τὸν Κάνωβον ἀστέρα. Item Plinius II, 178, quamquam temporis rationem non habet, Canopum a Rhodo terram quodammodo ipsam stringere dicit. Si autem Eudoxi temporis fere 350 a. Chr. Rhodi videri potuit, Manilii aetate a gentibus longe borealioribus conspici potuit, in Siciliae parte Meridionali, nam longitudo eius tum fere 5° praecessit. Cnidus sita est 36° 40′ fere L. B., Siciliae pars meridionalis fere 37°.

haec abunde iam docent Manilium astronomiae prorsus ignarum et rudem fuisse. Omnia autem, quae ex astrologorum doctrina hoc libro profert, huc tantum redeunt, ut sphaeram facticiam describat, qualem exempli gratia Romae Posidonius Stoicus philosophus, Archimedis sphaeram imitatus, effecit, „cuius singulae conversiones idem efficiunt in sole et in luna et in quinque stellis errantibus, quod efficitur in caelo singulis diebus et noctibus" [1]), aut potius, nam quae de conversionibus siderum narrat sunt pauca, signa autem accuratius ita describit, ut effigiem caeli eum ante oculos habuisse negari vix possit, sphaeram talem depinxit, qualem Bentleius expressit fideliter ex antiquo globo marmoreo in aedibus Farnesianis Romae, quaeque praeter signa etiam circulos in caelo discriptos exhibet.

Hanc autem opinionem inde corroborari putamus quod, ut supra diximus, multa, quae scire debuerat, si ipse astronomus caelum observasset, se nescire probat; deinde quod ipse de globis pictis dicere videtur vs. 443 seqq. „His, inter solisque vias Arctosque latentis, axem quae mundi stridentem pondere torquent, orbe peregrino caelum *depingitur* astris, quae notia antiqui dixerunt sidera vates." Quod enim vertunt, Pingreus „embellissent" eumque sequens Merkel „schmücken", quo modo defendant nescio. Mitto autem locum corruptum vs. 455, ubi *pingunt* (pro *pingit*) Bentleius de globis facticiis intellegendum censet.

Denique cum saepius Eudoxum sequi videatur, tamen interdum quae in globo picto videri poterant, sed Eudoxi tempore non docebantur, refert. Ut duo afferam: Eudoxi aetate signifer orbis undecim signa habere dicebatur. [2]) Manilius tamen duodecim enumerat, *libra* addita [3]), quam

[1]) Cic. de Nat. D. 2, 34. 88.

[2]) Cf. Martin in Dictionn. des antiq. Gr. et Rom. pag. 484.

[3]) I, 267.

Romani inde a primo saeculo ante Chr. nat. addere solebant. Vs. 567 seqq. Manilius, ibi Eudoxum sequens ut supra diximus, circulum meridianum in sexaginta dividit partes, sed vs. 681 signiferum in partes trecentas et sexaginta, quae divisio multo est recentior. [1])

At mirandum non est Manilium tam imperitum fuisse astronomiae. De astrologia enim agit et haec ars cum stabilem et immutabilem poneret mundum, ut noster quoque saepius inculcat, (quod ni faceret totum hoc artificiosum aedificium corrueret), quae subtilior scientia docebat parum curabat. Inde etiam factum est ut Chaldaeorum plerique, quamquam verae astronomiae non ignari, ad futura praedicenda iam diu obsoletam doctrinam sequerentur.[2])

Ut vulgo qui iniuriam facit tamen speciem iusti praebere conatur, sic etiam superstititiosus quisque, dum suis alucinationibus indulget, philosophiae tamen se studere simulat. Inter philosophorum doctrinas autem nulla magis astrologis placebat quam Stoicorum. Nec mirum. Eorum enim de fato placita cum astrologorum opinionibus congruebant. *Καθ᾽ εἱμαρμένην δέ φασι τὰ πάντα γίγνεσθαι Χρύσιππος ἐν τοῖς περὶ εἱμαρμένης καὶ Ζήνων. — ἔστι δ᾽ εἱμαρμένη αἰτία τῶν ὄντων εἰρομένη ἢ λόγος καθ᾽ ὃν ὁ κόσμος διεξάγεται . καὶ μὴν καὶ μαντικὴν ὑφεστάναι πᾶσαν φασιν, εἰ καὶ πρόνοιαν εἶναι.* [3]) Stoicos autem astrologis favisse etiam Cicero docet. „Sed cum Stoici omnia fere illa (divinationis genera) defenderent, quod et Zeno in suis commentariis quasi semina quaedam sparsisset, et ea Cleanthes paulo uberiora fecisset, accessit acer-

---

[1]) Cf. Huet. ad vs. 679.

[2]) Fr. Lenormant, Magie und Wahrs. pag. 415 et seqq. Dictionn. des Antiq. l. l.

[3]) Diog. L. VII, 149.

rimo vir ingenio Chrysippus, qui totam de divinatione duobus libris explicavit sententiam, uno praeterea de oraclis, uno de somniis: quem subsequens unum librum Babylonius Diogenes edidit, eius auditor, duo Antipater, quinque noster Posidonius." [1])

Manilio quoque cum Stoicis maximam intercedere affinitatem apparet. Et primum quidem in opinione de deo et fato: de hoc loco tamen posterius disseremus, nunc licet pauca in memoriam revocemus de mundo. Teste Diogene Laertio [2]) Zeno docebat: *ἕνα τὸν κόσμον εἶναι καὶ τοῦτον πεπερασμένον* (Manil. I, 534), *σχῆμα ἔχοντα σφαιροειδές* (M. I, 210), *πρὸς γὰρ τὴν κίνησιν ἁρμοδιώτατον τὸ τοιοῦτον, καθά φησι Ποσειδώνιος ἐν τῷ πέμπτῳ τοῦ φυσικοῦ λόγου καὶ οἱ περὶ Ἀντίπατρον ἐν τοῖς περὶ κόσμου. ἔξωθεν δ' αὐτοῦ περικεχυμένον εἶναι τὸ κενὸν ἄπειρον, ὅπερ ἀσώματον εἶναι* (M. I, 195) — *ἕν τ' εἶναι θεὸν καὶ νοῦν καὶ εἱμαρμένην καὶ Δία πολλαῖς τ' ἑτέραις ὀνομασίαις προςονομάζεσθαι* (M. II, 60 seqq. et passim). *κατ' ἀρχὰς μὲν οὖν καθ' αὑτὸν ὄντα τρέπειν τὴν πᾶσαν οὐσίαν δι' ἀέρος εἰς ὕδωρ· καὶ ὥσπερ ἐν τῇ γονῇ τὸ σπέρμα περιέχεται, οὕτω καὶ τοῦτον σπερματικὸν λόγον ὄντα τοῦ κόσμου τοιόνδ' ὑπολείπεσθαι ἐν τῷ ὑγρῷ, ευεργὸν αὐτῷ ποιοῦντα τὴν ὕλην πρὸς τὴν τῶν ἑξῆς γένεσιν, εἶτ' ἀπογεννᾶν πρῶτον τὰ τέσσαρα στοιχεῖα, πῦρ, ὕδωρ, ἀέρα, γῆν.* — — *ἔστι δὲ στοιχεῖον ἐξ οὗ πρώτου γίνεται τὰ γινόμενα καὶ εἰς ὃ ἔσχατον ἀναλύεται. τὰ δὴ τέτταρα στοιχεῖα εἶναι ὁμοῦ τὴν ἄποιον ουσίαν τὴν ὕλην* (M. I, 149—164; III, 52). *εἶναι δὲ τὸ μὲν πῦρ τὸ θερμόν, τὸ δ' ὕδωρ τὸ ὑγρόν, τόν τ' ἀέρα τὸ ψυχρὸν καὶ τὴν γῆν τὸ ξηρόν· οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ἔτι ἐν τῷ ἀέρι εἶναι τὸ*

---

1) de Div. I, 3, 6.

2) VII. 140. — 135, 136. 137. 142.

αυτὸ μέρος. ἀνωτατω μὲν οὖν εἶναι τὸ πῦρ, ὃ δὴ αἰθέρα καλεῖσθαι (M. I, 149), ἐν ᾧ πρώτην τὴν τῶν ἀπλανῶν σφαῖραν γεννᾶσθαι (M. I, 532), εἶτα τὴν τῶν πλανωμένων· μεθ' ἣν τὸν ἀέρα (M. I, 152), εἶτα τὸ ὕδωρ (M. I, 155), ὑποστάθμην δὲ πάντων τὴν γῆν (M. I, 159), μέσην ἁπάντων οὖσαν (M. I, 202). — γίγνεσθαι δε τὸν κοσμον, οταν ἐκ πυρὸς ἡ ουσία τραπῇ δι' ἀέρος εἰς ὑγρόν, εἶτα τὸ παχυμερὲς αὐτοῦ συστὰν ἀποτελεσθῇ γῆ (M. I, 162), τὸ δὲ λεπτομερὲς ἐξαερωθῇ καὶ τοῦτ' ἐπὶ πλέον λεπτυνθὲν πῦρ ἀπογεννήσῃ· εἶτα κατὰ μίξιν ἐκ τούτων φυτά τε καὶ ζῶα καὶ τὰ ἄλλα γένη" (M. I, 165).

Stoicorum etiam est quod Manilius voluisse videtur, terram quia ipsa rotunda sit et in medio mundo posita, cetera omnia circa se agere et torquere et sic mundo figuram rotundam imponere.[1]) Ach. Tat. 131 ed. Patav. enim

[1]) I. 214 Totus locus est hic; vs. 202—214.

Est igitur tellus mediam sortita cavernam
aeris et toto pariter sublata profundo;
nec patulas distenta plagas, sed condita in orbem
undique surgentem pariter pariterque cadentem.
Haec est naturae facies; sic mundus et ipse
in convexa volans teretes facit esse figuras
stellarum; solisque orbem lunaeque rotundum
aspicimus. tumido quaerentis corpore lumen.
quod globus obliquos totus non accipit ignis.
Haec aeterna manet divisque simillima forma.
cui neque principium est usquam, neque finis in ipsa,
sed similis toto remanet perque omnia par est.
Sic tellus glomerata manet mundumque figurat.

Vs. 214 a Iacob. est emendatus; codices omnes: *stellis-maneat-figurant.* Recte tamen Bentleius animadvertit hunc versum hoc loco minime aptum esse positum, sed a contextu esse alienum. Conicio eius locum esse inter vs. 205 et 206. Nam verba vs. 206 quae sunt: „sic mundus et ipse in convexa volans teretes facit esse figuras stellarum" ostendere videntur praecessisse versum quo contineretur esse aliquid quod, cum reliqua circumvolvat, globosa faciat. Si igitur legimus:

„Sic tellus glomerata manet mundumque figurat. Haec est naturae facies:

haec scribit: *οἱ Στωικοί φασιν ἐκ τῆς γῆς τὴν ἔξωθεν γίνεσθαι πρῶτον περιφοράν. ἐπεὶ γὰρ ἡ γῆ κέντρου τάξιν ἔχει, ὥσπερ ἀπὸ κέντρου κύκλος γίνεται, ουτω καὶ ἀπὸ τῆς γῆς εἰκὸς ἔξω περιφέρειαν γεγονέναι.*

Interdum tamen poeta cum Stoicis non facit Nam quod affirmat mundum eundem semper fore quoniam semper fuerit idem, et deum esse qui non mutetur in aevo, eiusque formam aeternam esse,[1]) non congruit cum illorum doctrina: *φθαρτὸν εἶναι τὸν κόσμον.*[2]) At etiam in iis, quae de origine mundi docuit non congruit cum Zenonis discipulis, ut e verbis supra laudatis apparet abunde. Quin imo, quamquam Epicureos impugnat, tamen interdum ad eos magis accedit quam ad Stoicos. Epicurei enim de rebus, quae in sensus non cadunt, varias diversasque opiniones posse veras esse et hominem de iis certum quid definire non posse statuebant. Non aliter noster. Sic de origine mundi compluribus philosophorum placitis relatis ait de hac re nihil affirmari posse, quoniam captum hominumque deumque superet.[3])

Attamen non nimis sibi constat poeta, nam sequentibus versibus certum quo digestum est ordinem corpus mundi [4]) describens ipse „facit deum per quattuor artus et mundi struit globum,"[5]) cum non describat quid sit, sed quo modo factum sit. Num „permixta chaos rerum primordia

---

sic mundus et ipse in convexa volans teretes facit esse figuras", omnia recta sunt. Verba quae sunt: „haec est naturae facies" tum significant oculis ipsis apparere naturae, id est mundi formam esse rotundam. Si autem versus eo legas ordine quo sunt in codicibus, coniunctionem *etiam* vel tale quid deesse in hisce agnoscas necesse est.

[1]) I, 521, 523, 211.

[2]) Diog. L. VII. 141.

[3]) I, 122—147.

[4]) I, vs. 118.

[5]) Vs. 138.

quondam discreverit partu" [1]) latere dicit, at ipse tamen chaos quoddam quattuor elementorum statuit, unde primus „ignis in aethereas volucer se sustulit oras, proximus in tenuis descendit spiritus auras, tertia sors undas stravit fluctusque natantis, ultima subsedit glomerato pondere tellus." [2])

De orbe lacteo item varias enarrat opiniones poeta. „Anne magis" quaerit „densa stellarum turba corona contexit flammas, et crasso lumine candet, et fulgore nitet collato clarior orbis?" [3])

Hanc tamen doctrinam non pluris facere videtur quam eorum opinionem qui eum cicatricem esse mundi somniant, ubi „coeat mundus, duplicisque extrema cavernae conveniant, caelique oras et segmina iungant," [4]) aut veterum poetarum fabulas. [5])

De cometis eodem modo agit. „Sive, canit, illas natura faces ut cuncta creavit sidera, perpetuis caelo lucentia flammis; sed trahit ad semet rapido Titanius (sol) aestu, involvitque suo flammantes igne cometas, ac modo dimittit, sicut Cyllenius orbis et Venus, accenso cum ducit vespere noctem saepe nitent, falluntque oculos, rursusque revisunt; seu Deus, instantis fati miseratus, in orbem signa per affectus caelique incendia mittit." [6])

Quis igitur laudabit poetae scientiam? Lucretius saltem poetarum fabulas non immiscuit philosophiae, sed nostrum certo atque stabili scientiae fundamento caruisse apparet.

---

1) Vs. 125.

2) I, 149. 152, 155, 159. Cf. III, 52. 53. Inverso ordine idem Lucretius V, 449—494, 497, 499.

3) 755 seqq.

4) Vs. 723—725.

5) Cf. Petri Gassendi Oper. omn. Tom. I pag. 506 sqq. Lugd. MDCLVIII, qui varias veterum de galaxia opiniones enumerat.

6) 867 seqq.

Libri secundi prooemio, cum poeta est canturus astrologorum doctrinam, primum exponit quo fundamento tota ars nitatur. Et maximi nobis est haec pars carminis momenti, quoniam docet, quomodo suam doctrinam probare conetur seque purgare de crimine superstitionis. Deus, mundus, homo arctissimo vinculo inter se sunt iuncta. De deo autem Manilii opinio cum Stoicorum maxime congruit. Hi enim docuerunt: *θεὸν εἶναι ζῷον ἀθάνατον, λογικόν, τέλειον ἢ νοερὸν ἐν εὐδαιμονίᾳ – – προνοητικὸν κόσμου τε καὶ τῶν ἐν κόσμῳ· μὴ εἶναι μέντοι ἀνθρωπόμορφον· εἶναι δὲ τὸν μὲν δημιουργὸν τῶν ὅλων καὶ ὥσπερ πατέρα παντων κοινῶς τε καὶ τὸ μέρος αὐτοῦ τὸ διῆκον διὰ παντων, ὃ πολλαῖς προσηγορίαις προσονομάζεσθαι κατὰ τὰς δυνάμεις.*[1]) Deus qualem Manilius eum fingit fortasse etiam artiore vinculo cum mundo est coniunctus, neque omnino ab eo secernendus, ita ut animantis nomen (*ζῷον*) ei dari vix possit. Deus est ratio quae cuncta gubernat.[2]) „Canam tacita naturae mente potentem infusumque deum caelo, terrisque, fretoque, ingentem aequali moderantem foedere molem, totumque alterno consensu vivere mundum et rationis agi motu, cum spiritus unus per cunctas habitet partes atque irriget orbem, omnia pervolitans, corpusque animale figuret.“ [3]) Totus mundus sive universum est quasi animans, cuius animus est deus, sive summa ratio. „Hoc opus, immensi constructum corpore mundi, membraque naturae diversa condita forma, vis animae divina regit, sacroque meatu conspirat deus et tacita ratione gubernat.“ [4]) Hoc idem, mundum

---

[1]) Diog. L. VII, 147.

[2]) II, 82.

[3]) II, 60 seqq.

[4]) I, 247.

esse quasi corpus membris et animo praeditum, pluribus locis redit. Sic III, 50: „principium rerum et custos natura latentum, cum tantas strueret moles per moenia mundi et circumfusis orbem concluderet astris undique pendentem in medium, *diversaque membra ordinibus certis sociaret corpus in unum, aeraque et terras flammamque undamque natantem mutua in alternum praebere alimenta iuberet*, ut tot pugnantis regeret concordia causas, staretque alterno religatus foedere mundus, exceptum a summa ne quid ratione maneret, et quod erat mundi, mundo regeretur ab ipso, fata quoque et vitas hominum suspendit ab astris." Item II: 67: „quod nisi cognatis membris contexta maneret machina, et imposito pareret tota magistro, ac tantum mundi regeret prudentia censum, - - *non imbres alerent terras, non aethera venti, nec pontus gravidas nubes, nec flumina pontum, nec pelagus fontis*, nec staret summa per omnis par semper partis aequo digesta parente." Sic etiam poeta, ut nos, animum hominis cum non videamus sed corpus, id quod videmus hominem appellamus, mundum deum vocat: „ac mihi tam praesens ratio non ulla videtur, qua pateat mundum divino numine verti, *atque ipsum esse deum*" [1]) et alibi: „non alium videre patres (mundum) aliumve nepotes aspicient: *Deus est, qui non mutatur in aevo.*" [2])

Ut veteres philosophi, inprimis Epicurei, animum in toto corpore, in omnibus membris inesse dicebant, sed tamen praecipuae parti animi suam sedem in corpore sive pectus, sive caput, dabant, sic noster sedem animi, qui mundo inest, siderum signa dicit: „hic igitur *deus* et ratio

---

[1]) I, 483.
[2]) I, 522.

quae cuncta gubernat ducit *ab aeternis terrena animalia signis.*" [1])

Hanc ob causam sidera dicit conscia fati, [2]) et divinas artes carmine a caelo se deducturum canit. Ratio haec quae universo toti inest omniaque regit tamen non est ea quae „aliquis" dici possit, sed „aliquid", non est arbitrium sive voluntas, sed certa lex. [3]) Idem est atque natura, idem quod fatum. Voluntas et consilium ei poetice tantum tribuuntur, ut cum poeta naturam dicit vias servare, [4]) quas fecerit ipsa, cum eam vocat illam parentem mundi naturam, [5]) vel ait eam suas cuique vices tribuisse, cum sidera fixerit; [6]) ea revera ei non tribui posse ipse poeta diserte exprimit. [7]) Ad Manilii mentem omnia quae fiunt et maxima et minima et bona et mala insolubili vinculo ita sunt coniuncta, ut nullo modo non fieri possint neque aliter fieri. Sunt quasi duae catenae, altera in caelo, altera in terra, quarum anuli, certo modo connexi, facta sunt singula; hae catenae simul volvuntur, quo fit ut alterius anulus alterius anulum comitetur eique respondeat, factum caeleste facto terrestri. Sic ipse poetae: „Fata regunt orbem, certa stant omnia lege, longaque per certos signantur tempora casus. Nascentes morimur, finisque ab origine pendet. Hinc et opes et regna fluunt et saepius orta paupertas, artesque datae, moresque creatis et vitia, et clades, damna et compendia rerum." [8]) „Fata quoque et

---

[1]) II, 83; I, 18; II, 768, ubi *quaque -- ab arce* cum Scal. et Bentl. legendum puto.

[2]) I, 1.

[3]) IV, 14.

[4]) I, 188.

[5]) II, 209.

[6]) II, 515.

[7]) IV, 111, 113.

[8]) IV, 10 seqq.

vitas hominum suspendit ab astris, quae summas operum partes, quae lucis honorem, quae famam assererent, quae nunquam fessa volarent . . . His regimen natura dedit propriasque sacravit unicuique vices, sanxitque per omnia summa, undique uti fati ratio traheretur in unum. Nam quodcunque genus rerum, quodcunque laborum, quaeque opera atque artes, quicunque per omnia casus humana in vita poterant contingere sortem, complexa est, tot et in partes, quot et astra locarat disposuit, certasque vices, sua nomina cuique attribuit, totumque hominis per sidera censum ordine sub certo duxit, pars semper ut eidem confinis parti vicinis staret in arvis. Horum operum sortes ad singula signa locavit." [1]) Fati autem lex tantum valet, ut ne cogitationes quidem hominis liberae sint: „hoc quoque fatorum est legem perdiscere fati," [2]) id est fato ipso factum est, ut quidam homines naturae legibus a fato praescriptis studeant, cum alii alias voluptates sequantur. Notum est Zenonis dictum quod Diog. Laertius [3]) sic narrat: *δοῦλον ἐπὶ κλοπῇ, φασίν, ἐμαστίγου* (*ὁ Ζήνων*) · *τοῦ δ᾽εἰπόντος, „εἵμαρτό μοι κλέψαι," „καὶ δαρῆναι" ἔφη.* Idem Manilius; „nec refert," ait, „scelus unde cadat; scelus esse fatendum. Hoc quoque fatale est, sic ipsum expendere fatum," id est poenas scelerum persolvere, quae fato cogente commissa sunt. [4])

Tota haec doctrina de fato est quasi fundamentum astrologiae artis, non minus atque immutabile illud caelum, de quo supra disseruimus. Quorum si alterum tollis, totum aedificium corruit. Astrologi paulo doctiores quales

---

[1]) III. 58 seqq.
[2]) II. 149.
[3]) VII. 23.
[4]) IV. 117.

noster et alii viri eruditi, qui astrologiae fidem habebant, ut Quintus Cicero, cum philosophiae principiis hanc superstitionem concinere, demonstrare conabantur. Ipsam rationem, quae neque decipitur nec decipit unquam,[1]) astrologiae fidem facere ait Manilius; nam primum „eventus datur, qualis praedicitur ante," res igitur quasi experimentis probatur, et ipsa experientia per varios usus artem fecit,[2]) vel, ut Cicero ait: „est enim ab omni aeternitate haec ars repetita, in qua cum paene innumerabiliter res eodem modo evenirent isdem signis antegressis, ars est effecta eadem saepe animadvertendo ac notando." [3]) Tum etiam multa quae cotidie quasi ante oculos nostros fiunt, ostendunt vinculum esse quoddam inter sidera et animalia, inter caelum et terram: „sic temperat arva caelum, sic varias fruges redditque rapitque, sic pontum movet ac terris immittit et aufert - - sic submersa fretis concharum et carcere clausa ad lunae motum variant animalia corpus - - (sic elephantes) corpora ad lunae nascentis cornua lustrant, (aliaque) venturas vident hiemes, reditura serena."[4]) Haec phaenomena partim falsa, partim vera, quibus Cicero multa addit prognostica, credulis animis facile persuadebant, ut aliis rebus, ab astrologis traditis, quamvis absurdis et omni rationi omnino repugnantibus, fidem haberent.

Hoc autem fundamento iacto poeta artem explicat. E signorum enim sive constellationum formis et locis fata praedicebantur. Ut innumera ea, quae in vita hominibus contingere possunt derivari possent e sideribus, primum astrologi haec omnia in sidera inferre debebant. Inde

---

[1]) II, 130.

[2]) I, 61.

[3]) De divin. I, 25.

[4]) II, 87.

mirabilis et absurda illa signorum divisio. Atque haec omnia suam habent vim et significationem. Exemplum afferam: Taurus, Gemini, Cancer ita oriuntur ut primum posterior pars corporis vel etiam pedes surgant, tum caput et pars prior; cetera signa oriuntur ita, ut ea, quorum sunt imagines, surgere solent, rectis membris, ut ait poeta. Quid mirum igitur, censet, si sol, cum per haec adversa signa meat, tardius volvitur atque eo aestivi menses longiores fiunt.[1]) Quin etiam ad mores docendos apta sunt haec signa, dummodo solerti cura circumspiciamus. Audi. „Quodsi solerti circumspicis omnia cura, fraudata invenies amissis sidera membris." Scorpii enim brachia consumuntur a Libra, Taurus est claudus curvo pede, Cancro oculi desunt, Centaurus alterum tantum habet. Haec tibi nota. „Sic nostros casus solatur mundus in astris, exemploque docet patienter damna subire, omnis cum caelo fortunae pendeat ordo, ipsaque debilibus formentur sidera membris." [2])

Manilius tamen ipse hasce divisiones non omnes recte intellexisse videtur; saltem non omnia dixit, quae ad recte rem intellegendam necessaria videntur. De signis enim masculis et femineis haec tantum scripsit: „mascula sex sunt, diversi totidem generis sub principe Tauro. Cernis ut aversus redeundo surgat in arcum? Alternant genus et vicibus variantur in orbem".[3]) Sunt igitur sex signa mascula haec: Aries, Gemini, Leo, Libra, Sagittarius, Aquarius, feminea autem: Taurus, Cancer, Virgo, Scorpio, Capricornus, Pisces. Sed quid significet haec divisio, qui taurus signum femineum esse possit, frustra quaeris. Haec

---

1) II, 197 seqq.

2) II, 256.

3) II, 151.

quidem divisio e formis constellationum derivari non potest.

Aliquanto meliora nos docet Sextus Empiricus: [1]) *τῶν δὲ ζωδίων τὰ μέν τινα ἀρρενικὰ καλοῦσι τὰ δὲ θηλυκά, καὶ τὰ μὲν δίσωμα τὰ δὲ οὔ, καὶ τινὰ μὲν τροπικὰ τινὰ δὲ στερεά. ἀρρενικὰ μὲν οὖν καὶ θηλυκὰ ἅπερ συνεργὸν ἔχει φύσιν πρὸς ἀρρενογονίαν ἢ θηλυγονίαν· κριὸς γὰρ ἀρρενικόν ἐστι ζώδιον, ταῦρος δέ, φασί, θηλυκόν, δίδυμοι ἀρρενικόν, καὶ ἐναλλὰξ τὰ λοιπὰ κατὰ τὴν ὁμοίαν ἀναλογίαν, τὰ μὲν ἀρρενικὰ τὰ δὲ θηλυκά, ἀφ᾽ ὧν, οἶμαι, καὶ οἱ πυθαγορικοὶ κινηθέντες τὴν μὲν μονάδα ἄρρεν προσαγορεύουσι, τὴν δὲ δυάδα θῆλυ, τὴν δὲ τριάδα πάλιν ἄρρεν, καὶ ἀναλόγως τοὺς λοιποὺς τῶν τε ἀρτίων καὶ περιττῶν ἀριθμῶν.* Ex hisce verbis igitur apparet hanc divisionem altius repetendam fuisse, quam Manilius aut sciret, aut saltem exposuerit.

Iam alium locum afferam unde appareat Manilium suum opus non confecisse, aut mirum in modum se ipsum impugnasse. „Nec te praetereant nocturna diurnaque signa quae sint perspicere et propria deducere lege; non tenebris aut luce suam peragentia sortem, (nam commune foret nullo discrimine nomen, omnia quod certis vicibus per tempora fulgent, et nunc illa dies, nunc noctes illa sequuntur;) sed quibus illa parens mundi natura sacratas temporis attribuit partes statione perenni. Namque Sagittari signum rabidique Leonis et sua respiciens aurato vellere terga, tunc Pisces et Cancer et acri Scorpion ictu aut vicina loco, divisa aut partibus aequis, omnia dicuntur simili sub sorte diurna; cetera ter numero consortia, ter vice sedis, interiecta locis totidem nocturna feruntur. Quin etiam sex continuis dixere diurnas esse vices castris, quae

---

[1]) *Πρὸς Ἀστρολόγους*, pag. 729 Bekker.

sunt a principe signo Lanigeri, sex a Chelis nocturna videri. Sunt quibus esse diurna placet, quae mascula surgunt; feminea in noctem tutis gaudere tenebris." [1]) Hisce signis igitur non inde nomen est datum quod aut interdiu surgant aut noctu; sed unde nomen acceperunt? Hoc lector non intellegit. Accedit quod ne nomina quidem signorum, quae aut diurna sint aut nocturna, certa docentur, cum inter tres divisiones diversas vera non diserte indicetur. Eandem hic rationem sequitur poeta atque in mundi, in orbis lactei, in cometarum origine explicanda, licet tantam incertitudinem hic minime exspectes.

Merito obicitur Manilio haec mira signorum divisio. [2]) Attamen moneamus primum non ipsum Manilium invenisse hanc divisionem, quae paene tota apud alios quoque scriptores reperitur; tum ipsum poetam sensisse absurditatem, sed doctrinae constantia adductum esse, ut eam probaret. In libro primo monuit: „tu modo corporeis similis ne quaere figuras, omnia ut aequali fulgentia membra colore deficiat nihil et vacuum qua lumine cesset - - formas disiungere tantum contenta (erat natura) et stellis ostendere sidera certis, linea designat species - - satis est, si se non omnia celant." [3]) Cum igitur ne lineamenta quidem satis clare adumbrata dici possint, quid ex hisce figuris quae Protei praebent naturam efficias? At hic in libro secundo poeta monet: „nec tu nulla putes in eo commenta vocasse naturam rerum, quod sunt currentia quaedam - - aut quae recta suis librantur stantia membris." [4]) „Non licet a minimis animum deflectere curis, nec quid-

---

[1]) II, 203 seqq.

[2]) Teuffel, Gesch. der Röm. Litter., pag. 541, 4.

[3]) I, 458 seqq.

[4]) II, 244 seqq.

quam rationis eget frustrave creatum." [1]) In libro primo igitur docet satis esse si partes quaedam figurarum, quae constellationes forment, cernantur, si lineae designent speciem, non quaerendas esse figuras integras; attamen in libro secundo ponit eas totas esse integrasque et, si quid desit, id consilio factum esse et suam habere significationem; ibi Centanro alter oculus deest et „Taurus succidit in curvo claudus pede", quod tamen non neglegendum esse putat poeta, cum summa ratio hoc exemplo nos docere velit „potienter damna subire." [2]) Doctrinae constantia igitur adductus est, ut suam ipsius sententiam refelleret.

Iam saepius Manilium cum Lucretio composuimus, nec immerito, ni fallimur, hoc idem hic quoque fiet. Hic quaedam noluit videre, quae tamen perspicua erant, ille plura voluit videre, quam quae percipi possunt, utriusque mens suis opinionibus erat praeoccupata, uterque animos solvere volebat formidine et cupiditatibus, alter substituendo in religionis vulgaris locum aeternas et immutabiles leges naturae, alter ineluctabile fatum, neuter vera scientiae cupiditate flagrabat.

Hic: omne immensum peragravit mente animoque
unde refert nobis victor quid possit oriri
quid nequeat, finita potestas denique cuique
quanam sit ratione atque alte terminus haerens,
quare religio pedibus subiecta vicissim
opteritur, nos exaequat victoria caelo." [3])

Ille: cum ratio tua per stellas et sidera curret,
argumenta petes omni de parte viasque

---

[1]) II, 234. 35.

[2]) II, 258, 262.

[3]) Lucr. I, 74 seqq.

artis, ut ingenio divina potentia surgat
exaequetque fides caelo mortalia corda. [1])

---

[1]) II, 449. Est locus perdifficilis, qui quo magis intueor eo obscurior fit. Emendare tentavi. In libris est: *artis ut ingenio*, quod quid sit „puderet me dicere non intellegere si vos ipsi intellegeretis, qui ista defenditis", ut cum Cic. loquar. Bentl. confert Ovid. Metam. VIII, 159: „Daedalus *ingenio* fabrae celeberrimus *artis*", sed quam similitudinem inter hos locos vir ingeniosus viderit non video. Haec est innata quaedam facultas qua aptissimus erat Daedalus ad artem fabram exercendam, sed illic haec significatio absurda est. Pingreus vertit: „par les règles de l'art", quod verbis non inest. —

Collato vs. 45 libr. III: „et certas dat in arte vias" coniungenda puto: „argumenta . . . viasque artis, ut" . . . Libri veteres habent *caelo: exaequentque fidem caelo mortalia corda*, quod Bentl. sic interpretatur: „hoc vult, ut tam certa sit Chaldaei mathematici praedictio, quam ipsum in caelo fatum." Quae si vera est interpretatio, genitivo *caeli* opus est (Cf. de simili genitivo, quod scripsi in Fleckeisen. Annal. 1879, pag. 785.) At non credo eam esse mentem sententiamque Manilii, sed hanc: cui arti cum fidem habent mortales, exaequat eos caelo haec fides, quoniam rationes divinas ipsi tum perspiciunt futuraque praenoscunt. Itaque repone: *exaequetque fides caelo mortalia corda.* Cf. I, 904: „nec mirere graves rerumque hominumque ruinas; saepe domi culpa est; *nescimus credere caelo*", i. e. caelum nos monuit; sed, cum ei fidem non habeamus, futura mala non providemus; si fidem haberemus caelo, quas graves ruinas illud providet, ipsi easdem praevideremus.

CAPUT TERTIUM.

In disputatione brevi, quae praecedit, demonstrasse nobis videmur Manilium non astronomis esse adnumerandum. Merita eius, si qua sunt, non in disciplina, quam tradidit, sunt quaerenda; ubinam, nunc est investigandum.

Tempora multorum saeculorum intervallo a nobis remota, qualia Ciceronis et Augusti sunt, non penitus cognoscuntur ex operibus clarissimorum scriptorum et prominentium. In recessu, atque, ut ita dicam, illorum claritate suppressi, vivebant agebantque saepe non ignobilia ingenia, quae, quamquam in solem et pulverem non procedebant, sed rebus forensibus abstinebant, tamen propter acumen et altitudinem animi digna sunt, quae in se convertant oculos eorum, qui illius aetatis rationes atque voluntates cognoscere student. Eius generis viri sunt Lucretius et Manilius; pro variis temporibus varii, alter amore libertatis et patriae ardens, alter summissior et imperatori deditus, multis numeris inter se oppositi, ille omnis religionis inimicissimus, hic quamvis vulgaris religionis non amicus, tamen credulitatis errore captus, uterque sibi constans et suam philosophiam ferventi animo defendens.

Manilius erat vir non mediocri ingenii facultate, satis eruditus atque doctus, ut supra apparuit, subtilis, in cuius mente insita erat philosophia quaedam, qua ductus studebat ut rerum varietatem uno vinculo comprehenderet atque teneret, vir gravis et severus, qui divitias et volup-

tates parvi, animum magnum magni faciebat. Audi quo modo lectorem, quem, studii difficultatibus absterritum, animus deficere coepit, alloquatur, IV, 387 seqq.:

Multum, inquis, tenuemque iubes me ferre laborem,
rursus et in magna mergis caligine mentem,
cernere cum facili lucem ratione viderer. —
Quod quaeris, deus est; conaris scandere caelum
fataque fatali genitus cognoscere lege,
et transire tuum pectus, mundoque potiri.
Pro pretio labor est; nec sunt immunia tanta.
Nec mirere viae flexus, rerumque catenas,
admitti potuisse sat est. Sint cetera nostra.
At nisi perfossis fugiet te montibus aurum,
obstabitque suis opibus superaddita tellus.
Ut veniant gemmae, totus transibitur orbis,
nec lapidum pretio pelagus cepisse pigebit?
Annua solliciti consummant vota coloni:
et quantae mercedis erunt fallacia rura?
Quaeremus lucrum navi, Martemque sequemur
in praedas? Pudeat tanto bona velle caduca!
Luxuriae quoque militia est, vigilatque ruinis
venter: et, ut pereant, suspirant saepe nepotes.
Quid caelo dabimus? quantum est, quo veneat omne?
Impendendus homo est, deus esse ut possit in ipso.

Natura Manilius erat homo, qui rerum aequalitatem, constantiam, ordinem facile perciperet atque quaereret. Inde factum est ut toties de methodo, quae sequenda sit in rebus tractandis, sermo sit apud eum [1]). Locum notabilem, qui hoc testetur, unum afferam: II, 755:

Ut rudibus pueris monstratur littera primum

[1]) I, 117, 805: III, 185 et alibi.

per faciem nomenque suum, tum ponitur usus;
tunc coniuncta suis formatur syllaba nodis;
hinc verbi structura venit per membra legendi;
tunc rerum vires atque artis traditur usus,
perque pedes proprios nascentia carmina surgunt,
singulaque in summa prodest didicisse priora; —
quae nisi constiterint primis fundata elementis,
vel sua praepropere dederint praecepta magistri,
effluat in vanum rerum praeposterus ordo; —
sic mihi per totum volitanti carmine mundum
obrutaque abstrusa penitus caligine fata
Pieridum numeris etiam modulata canenti,
quoque deus regnat revocanti numen in arte,
per partes ducenda fides et singula rerum
sunt gradibus tradenda suis, et cum omnia certa
notitia steterint, proprios revocantur in usus
Ac velut in nudis cum surgunt montibus urbes,
conditor et vacuos muris circumdare colles
destinat, ante manus quam temptet scindere fossas,
fervet opus, [1]) ruit ecce nemus, saltusque vetusti
procumbunt solemque novum, nova sidera cernunt,
pellitur omne loco volucrum genus atque ferarum,
antiquasque domos et nota cubilia linquunt,
ast alii silicem in muros et marmora templis
rimantur, ferrique rigor per tempora nota
quaeritur, hinc artes, hinc omnis convenit usus; —
tunc demum consurgit opus, cum cuncta supersunt,
ne medios rumpat cursus praepostera cura;
sic mihi cett.

---

[1]) Sic legendum esse conicio pro eo, quod est in codicibus, *vertit*. Bentl. *versat*, Iac. *urget*, cf. Verg. Georg. IV, 169, Aen. I, 436; Aetn. 169 ed. Baehrens.

Eadem haec constantia, ordo, leges, ratio mirabilia poetae videntur in mundi mole, ubi nihil turbatum cernatur, nihil ordinem mutet, [1]) et tamen omnia moveantur, varientur, discrepent [2]).

At in vita terrestri atque humana nihil est aequale, nullus ordo, nulla lex apparet; omnia sine ulla constantia procedere videntur:

„subtexta malis bona sunt, lacrimaeque sequuntur
vota, nec in cunctos servat fortuna tenorem;
usque adeo permixta fluit, nec permanet usquam,
amisitque fidem variando cuncta per omnis.
Non annis anni, nec menses mensibus usque
conveniunt, seque ipse dies aliumque requirit,
horaque non ulli similis producitur horae" [3]).

Hunc locum saepius et diserte attingit [4]). Rerum terrestrium perturbatio eum laesit. Quisnam tot casus, tot sortes explicat? Videturne sors ipsa regnare absque ulla lege?

„his vita duplex, illis vix contigit una:
ecce levis perimit morbus, graviorque remittit,
succumbunt artes rationis; vincitur usus;
cura nocet; cessare iuvat; mora saepe malorum
dat causas; laeduntque cibi, parcuntque venena.
Degenerant nati patribus, vincuntque parentes,
ingeniumque suum retinent; transitque per illum,
ex illo fortuna venit; furit alter amore,
et pontum tranare potest et vortere Troiam;
alterius frons est scribendis legibus apta.

---

[1]) I, 481 seqq.

[2]) IV, 425.

[3]) III, 526 seqq.

[4]) IV, 416—424, 821—839.

Ecce patrem nati perimunt, natosque parentes,
mutuaque armati coeunt in vulnera fratres." [1])

Et virtus, consilium, prudentia, quid iuvant mortales?

Quin etiam infelix virtus et noxia felix,
et male consultis pretium est, prudentia fallit,
nec fortuna probat causas, sequiturque merentis,
sed vaga per cunctos nullo discrimine fertur. [2])

In tanta rerum discordia ubinam inveniri potest vinculum, quod omnia conectat? Antiquis diis omnis potentia est erepta, sunt quasi reges patria expulsi. [3]) Rerum naturam scrutabimur, ut arcana secretaque sua nobis detegat? At „conditur vasto natura recessu, mortalisque fugit visus et pectora nostra." [4]) An divitias parabimus, honores appetemus, voluptates sequemur, ut obliviscamur quod nos cruciat? Sed tum torquebimur metu et cupiditate et aeternis senescentes curis, dum quaerimus vitam tranquillam, perdemus; quo plura quis requirit eo pauperior est bonorum, nec numerat quod habet, sed optat tantum, quod non habet. [5]) Quisnam in tanta caligine oculos dabit, ut videamus?

Deus ipse, summa ratio, se cum hominibus communicavit, „sublimis aperuit vias, gentes ut sentirent deum quam maximus esset": „inque deum deus ipse tulit patuitque ministris." [6])

Ipse deus nisi id fecisset, quinam usquam homines deum et rerum naturam cognoscere potuissent? [7]) Oculos

---

[1]) IV, 72—83.
[2]) IV, 94—97.
[3]) I, 104.
[4]) IV, 869, 870. „Ins Innere der Natur dringt kein erschaffner Geist."
[5]) IV, 1—11.
[6]) I, 32, 37, 50.
[7]) I, 26, II, 115.

nostris dedit animis, cognatamque sui nostram mentem vertit ad se. [1]) „Ipse vocat nostros animos ad sidera, nec patitur, quia non condit, sua iura latere." [2]) Si ergo deo credimus „iam nusquam natura latet; pervidemus omnem, et capto potimur mundo", [3]) tum videmus ab aeternis signis terrestria omnia duci, [4]) tum tranquille vivi potest:

Solvite, mortales, animos, curasque levate,
totque supervacuis vitam deflere querelis.
Fata regunt orbem, certa stant omnia lege,
longaque per certos signantur tempora casus.
Nascentes morimur, finisque ab origine pendet.
Hinc et opes et regna fluunt, et saepius orta
paupertas, artesque datae moresque creatis,
et vitia, et clades, damna et compendia rerum.
Nemo caret damno, poterit nec habere negatum,
fortunamve suis invitam prendere votis,
aut fugere instantem. Sors est sua cuique ferenda." [5])

Quo cum ductus esset Manilius facile astrologorum arti fidem habuit. Quaedam phaenomena, quae quisque cotidie ante oculos habebat, confirmare videbantur esse vinculum quoddam inter caelum et terram. [6]) „Denique si non est, fati cur traditur ordo? cunctaque temporibus certis ventura canuntur?" — Manilius hanc ob causam non credulior nec superstitiosior est habendus quam quisquam eius aequalium. „Huic (astrologiam dicit) in tanta fidem petimus, quam saepe volucres accipiunt, trepidaeque boum sub pectore

---

1) II, 122, 123.
2) IV, 920.
3) IV, 883.
4) II, 83.
5) IV, 12 seqq.
6) II, 87—105.

fibrae. An minus est sacris rationem ducere signis, quam pecudum mortes aviumque attendere cantus?" Ipse Lucretius, qui tanta vi religionem impugnat, credit leones non posse intueri gallos, quin fugiant statim, et qui ipse se dicit Epicuri de grege porcum num forte minus est superstitiosus quam noster? Manilius ut suae doctrinae fidem faciat, non alia affert argumenta atque Plinius: „quippe ingentium malorum fuere praenuntia, sed ea accidisse non quia haec facta sunt arbitror, verum haec ideo facta, quia incasura erant illa." „Miretur hoc qui non observet cotidiano experimento herbam unam, quae vocatur heliotropium, abeuntem solem intueri semper omnibusque horis cum eo verti vel nubilo obumbrante; iam quidem lunari potestate ostrearum conchyliorumque et concharum omnium corpora augeri ac rursus minui, quin et soricum fibras respondere numero lunae exquisivere diligentiores, minimumque animal, formicam, sentire vires sideris interlunio semper cessantem." [1])

Praeterea merito contemnebantur vulgares astrologi et saepius e civitate expellebantur hirudines illae et pestes. [2]) Sed cum vel nostra aetate viri docti ut Crookes, Zöllner, alii, qui veram exstare artem censent, qua homines interpretes et internuncii cogitationes et sensus manium cum vivis se communicare posse profiteantur, hanc ob causam non despiciantur, ut fraudatores illi, qui ex simulata sua arte quaestum faciunt, eo minus aspernandus est Manilius, cum non „astrologos de circo" laudet, sed persuasum sibi

---

[1]) Plin. H. N. II, 97 et 109.

[2]) Cf. La Magie et l'Astrologie dans l'antiquité et au moyen âge par Alfred Maury quatr. ed. Paris Didier. Cap. IV: La magie à Rome et dans l'empire Romain pag. 70—85.

habeat re vera esse artem, qua quid sidera praesignificent, cognosci possit et eximio amore eam tueatur.

Notabilis est nostri opinio de hominum natura Quod iam Aratus dixit [1]: *τοῦ* (*Διὸς*) *γὰρ καὶ γένος ἐσμέν*, hoc idem a Manilio multis locis probatur. Supra iam dictum est ei *τὸ* omne deum esse, vel potis rationem, quae universis rebus inest, esse deum. Nam, etsi non diserte, tamen aliquatenus distinxisse videtur inter materiem et principium rationis. Homo autem est *μικρόκοσμος*, „est mundus in eo, exemplum est dei in imagine parva." [2])

Ut mundus est constructus ex omnis generis corporibus et spiritu, qui movet et gubernat, sic nobis sunt corpora terrenae sortis, animi divini. [3]) Mentes nostrae cognatae sunt menti naturae [4]), partes sumus dei [5]), caelo geniti [6]), deus habitat sub pectore nostro. [7]) In caelum redeunt animi nostri, cum e caelo venerint. [8]) Quid mirum si homines naturam cognoscere ideoque futura praevidere possunt, „nostrumque parentem pars sua perspicimus?" [9]) Hanc ob rem homo

edomuit terram in fruges, animalia cepit,
imposuitque viam ponto, stetit unus in arcem
erectus capitis, victorque ad sidera mittit
sidereosque oculos, propiusque adspectat Olympum,
inquiritque Iovem; nec sola fronte deorum

---

[1]) Phaen. vs. 5.
[2]) IV, 894, 895.
[3]) IV, 888—893.
[4]) II, 123.
[5]) II, 116.
[6]) IV, 824.
[7]) IV, 886.
[8]) IV, 887.
[9]) IV, 884.

contentus manet, et caelum scrutatur in alvo,
cognatumque sequens corpus se quaerit in astris. [1])

In natura et caelo pervestigandis igitur non animo est deficiendum; licet parvus sit homo,

quo valet, immensum est. Sic auri pondera parvi
exsuperant pretio numerosos aeris acervos.
Sic adamas, punctum lapidis, pretiosior auro est.
Parvula sic totum pervisit pupula caelum,
quoque vident oculi, minimum est, cum maxima cernant.
Sic animi sedes, tenui sub corde locata,
per totum angusto regnat de limite corpus.
Materiae ne quaere modum, sed perspice vires,
quas ratio, non pondus habet. Ratio omnia vincit [2])

Ab altera parte igitur homo est magnus, cum nihil neque in caelo neque in terra eum lateat, si modo rationem sequatur et sideribus fidem habeat, ab altera parte tamen, ut supra vidimus, [3]) nihil paene est, cum aliud maius eum cogat regatque et in proprias ducat leges, [4]) ut nihil ipse valeat.

Lucretius, parum sibi constans in hoc loco, liberam voluntatem homini vindicavit, [5]) Manilius hominem liberum esse negavit; arbitrio nihil fit, omnia fati lege eveniunt, etiam cogitationes hominum; [6]) omnia scelerum genera e constellationibus tantum pendent. [7]). At obicere possis hanc doctrinam facinora defendere et virtutem offendere, cum causa

---

1) IV, 904 seqq.
2) IV, 924 seqq.
3) Cf. pag. 87, 88.
4) IV, 98, 99.
5) Cf. Dissert. nostram Lucret. phil. pag. 39 et 99.
6) Cf. pag. 77.
7) II, 587—607.

tum nulla sit, cur maleficos oderis et punias. Minime id metuendum est, respondit poeta, „nam neque mortiferas quisquam magis oderit herbas, quod non arbitrio veniunt, sed semine certo; gratia nec levior tribuetur dulcibus escis, quod natura dedit fruges, non ulla voluntas; sic hominum meritis tanto sit gloria maior, quod caelo gaudente venit; rursusque nocentis oderimus magis in culpam poenasque creatos; nec refert, scelus unde cadat; scelus esse fatendum." [1]) Ipse autem „quanta, exclamat, est scelerum moles per saecula cuncta quamque onus invidiae *non excusabile* terris!" Nihilo minus eodem loco omnia scelera inde explicat, quod „hominum gentes inimica sorte (a caelo) feruntur." [2]) Hic rursus, ut saepius iam opportunitas data est, animadvertamus Manilium quaestiones gravissimas interdum obiter tantum tractare. Cum Socrate hominum quam rerum magis debuerat studere naturae et mentem observare quam caelum.

Cum talis esset itaque cogitaret non mirum est Manilium rerum commutationem, qua libera respublica interiit et Augustus summum imperium obtinuit, non aegre tulisse. Pax ei optata erat, [3]) optatissima sub principe Augusto, qui „tantam — fiduciam fati — habuit, ut thema suum vulgaverit nummumque argenteum nota sideris Capricorni, quo natus est, percusserit." [4]) Hanc ob causam non dubitavit deum imperatorem appellare. Honores tamen non appetivit, neque divitias „cum sui parvos usus natura reposcat" [5]); veterum tenuem victum magis laudat quam suae

---

1) IV, 110 seqq.
2) II, 592, 93, 607.
3) I. 922.
4) Suet. Aug. 94 in fine.
5) IV. 8; II. 145 seqq.

aetatis auri sacram famem [1]; amicitia ei est summum bonum [2], „Roma rerum maxima." [3])

Breviter si totum carmen in uno conspectu ponimus, negari non potest multa magnaque vitia ei inhaerere. Partim generis carminum, quae didactica vocare solemus, sunt propria, partim poetae tribuenda. Priora poeta ipse sensisse videtur. Cum docere vellet, arida et ieiuna erant describenda et enumeranda multa, quae animi cursum tardabant. „Sed mihi carmen fatalia iura ferenti, et sacros caeli motus, ad iussa loquendum est, nec fingenda datur, tantum monstranda figura." [4] Praeterea concinnitas et convenientia partium vix respici poterant in doctrina tam subtili tradenda, cum poeta deberet „magna cum parvis simili percurrere cura." [5] Divisiones multae et descriptiones non poterant evitari. „Quis tot numeros totiens sub lege referre tot partes iterare queat, tot dicere summas, perque artis causas faciem mutare loquendi?" [6] Sed tamen eloquendi varietati operam dedit, nec irritam; metro et numeris diligenter studuit, nam „in vanum labor cedit, quem despicit auris." [7]

Carmen quale Manilius conceperat verum carmen esse non poterat. Cum precatur: „ducite Pierides, maiora me viribus ausum, nec per inaccessos metuentem vadere saltus" [8], verum dicit se maiora viribus ausum, non quia Pierides aversae essent ab eo, sed in saltus, quos peragrare

---

1) V, 291 seqq.
2) II, 581.
3) IV. 694.
4) IV, 436.
5) I, 117.
6) l. l. 421.
7) l. l. 435.
8) III, 1—3.

cupiebat, bonae illae eum ducere nequibant, cum extra illarum fines essent. Attamen cum Medea Ovidiana [1]) Manilius dicere potuerat: „video meliora proboque: deteriora sequor", nam ipse vitia sua detexit. Eo magis autem est dolendum quod tenuis et angusta ingenii vena, qua litterae Augusti et Tiberii aevo laborabant, eum quoque impedivit, quominus argumenta Musis apta ad canendum sibi sumeret. Sermo obscurus, contortus, inaequalis, reliquae maculae quibus carmen eius laborat, tempore et exercitatione evinci potuerant, ut complures carminis partes abunde testantur [2]); poetico ingenio non erat destitutus.

---

[1]) Metam. VII, 20.

[2]) Quod cum editio vere critica in lucem prodierit, eo magis apparebit nec non iure Luc. Muellerum dixisse Iacobum omnino ferae quam hominis longe reddidisse similiorem Manilium (de R. Metrica pag. 451.)

DE

MANILIO POETA

EJUSQUE INGENIO

COULOMMIERS. — IMP. P. BRODARD ET GALLOIS.

DE
MANILIO POETA
EJUSQUE INGENIO

THESIM

PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

G. LANSON

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS

PARIS

LIBRAIRIE HACHETTE ET Cie

79, BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 79

1887

DOCTISSIMO VIRO

MAGISTRORUM OPTIMO

GASTON BOISSIER

HOC OPUSCULUM

D. D. D.

G. L.

DE

MANILIO POETA

EJUSQUE INGENIO

PROŒMIUM

Ex quo primum Regiomontanus *Astronomica* edidit [1], plurimi et doctissimi viri illustrando et emendando huic poemati curam impenderunt. Memorandæ autem in primis quædam editiones,

Jos. Scaligeri (Parisiis, in-8°, 1579).

Rich. Bentleii (Londini, 1739, in-4°).

Frid. Jacobi (Berolini, 1846, in-8°).

Quarum ultimam usque sum secutus, quoties mihi Manilii versus in hoc opusculo laudandi fuerunt. Quanquam non me fallit, non sane Jacobi opus omni vitio carere. Nam, si Malvino Bechert [2] credimus, erravit Jacobus, cum Manilianos codices æstimare conatus est et de cujusque auctoritate et fide disputare. Qui cum octodecim numero sint, quatuor ceteris anteponendos esse Bechert ostendit,

(G.) Gemblacensem (x vel xi seculo descriptum),

(L.) Lipsiensem (xi s.),

(V. 1) Vossianum primum (xiv s.),

(V. 2) Vossianum secundum (xv s.).

Cum Scaligero quidem et Bentleio convenit Bechert, qui

1. Norimbergæ, s. d. [1473?].
2. *De M. Manilii emendandi ratione,* scripsit Malvinus Bechert, Lipsiæ, 1878.

omnium optimum et fidelissimum Gemblacensem esse ducit : sed Jacob, vana opinione deceptus, Vossiano secundo adhæsit eique fidem potissime adhibuit.

Eorum autem, qui quædam interdum studia et curas in Manilium contulerunt, plerique locos quosdam et versus emendandos explanandosque assumpserunt. Inter quos sunt nominandi :

Æm. Bæhrens, *Kritische Satura* (*Jarhb. f. class. Phil.*, 105 Bd. (1872), p. 626-627).

P. Burmann, *Observ. ad quædam Manilii loca* (*Observ. misc.*, I. 85; IV, 362.)

C. T. Breiter, *De emendatione Manilii*, Hammonæ, 1854, in-4°.

M. Haupt, *Emendantur aliquot Latina carmina* (*Opuscula*, 1876, II, 341).

— *Varia* (*Hermes*, IV, 329; 1870. — *Opusc.*, III, 2, 473).

— *Conjectanea* (*Hermes*, IV, 185; 1873. — *Opusc.*, III, 2, 583).

— *Ueber Bentleys Kritik im Man.* (*Opusc.*, III, 1, 43).

L. Müller, *Kritische Beiträge zu einigen römischen Autoren* (*Rheinisch. Mus.*, N. F., 17 Jahrg., 1862; p. 188).

M. Schmidt, *Zu Manil.* (*Philologus*, 8 Jahrg., 1853, p. 750).

— *Zu Man. Astron.* (*In Zeitschr. f. d. Gymnasialw.*, 8 Jahrg., 1854, p. 94-95).

— *Lesefrüchte* (*Id.*, 9 Jahrg., 1855, p. 422).

H. Köstlin (*Philologisches Anzeiger*, 1881, p. 182).

M. Bechert (*N. Jahr. f. phil.*, 1879, p. 798).

At pauci adhuc ipsi poetæ operam dederunt, quæsiveruntque qui fuisset, quo ingenio astrorum vim cecinisset. In hoc genere tamen nec negligenda nec silenda quæ de Manilii persona et vita, deque ejus ingenio ac doctrina, et de *Astronomicon* carmine doctissimi quidam homines scripserunt : Scaliger in primis et Bentleius, in sua uterque *Astronomicon* editione; quibus adjiciendi sunt :

D. Huetius, *Animadversiones in Manilium et Scaligeri notas* (Paris, 1679).

R. Merkel, *Tristia et Ibis*, 1837 (*Prolusio ad Ibin*, p. 400, sqq.).

Frid. Jacob, *de M. Manilio poeta*, Pars I, Lubeck, in-4°, 1832; Pars II, *ibid.*, in-4°, 1833, 1834, 1836.

Præfatio editionis, Berolini, 1846.

Ferraz, *De stoica disciplina apud poetas Latinos*, Paris, 1862.

C. Lachmann, *De ætate Manilii* (*Kleinere Schriften*, Berlin, 1872, t. II, p. 42-45).

O. Gruppe, *Zum sogenannten Manilius* (*Hermes*, XI, 1876, p. 235-239). — Cf. *Revue des Revues*, juillet 1879.

B. Freier, *De M. Manilii quæ feruntur Astronomicon ætate*. Gottingæ, 1880.

Ad. Cramer, *De Manilii qui dicitur elocutione*, Argentorati, 1882.

Denique, priusquam proœmiandi finem faciam, unum admonitos volo, quicunque opusculum hoc evolvent : cogitent, si quando non clarissima lux veritatis ex iis quæ proferam argumentis erumpere videbitur, me, in iis quæ de Manilii vita et ætate deque ejus philosophica disciplina trado, propositum id habere, non ut certissima et indubitanda expediam, sed potius ut ea, quæ nimis indulgenter pro certis accepta sunt, in dubitationem revocem. Mihi igitur satis erit, si quis, perlecto hoc opusculo, non minus probabilia et interdum probabiliora esse arbitrabitur, quæ contra vulgatas opiniones obtineo, quam quæ pro illis allegari solent. Tantum enim requiro; eamque esse materiam hujus disceptationis profiteor, in qua paucissima affirmanda sint, de plurimis dubitanda.

CAPUT PRIMUM

DE MANILII NOMINE, GENERE ET ÆTATE.

I

Cum multorum ex antiquis scriptoribus opera tantum ad nos pervenerint, neque de eorum vita ac moribus et ingenio ulla usquam mentio investigantibus occurrat, id uni fere Manilio accidit, ut de illo nihil, ac ne nomen quidem, constet : ut non tam poeta Velleio Paterculo aut Q. Curtio, quam poema anonymis illis quæ legimus aut falso sub nobilium poetarum nomine latentibus scriptis vice fortunæ sit comparandum.

Nam nullo satis certo indicio vulgatum illud Manilii nomen defenditur. Sive enim Mallium sive Manlium sive Manilium poetam codices in titulo *Astronomicon* inscriptum habent [1], non ea veterum testimonio nititur appellatio, recentiumque scribarum conjecturis imputanda est, qui vel Gerberti M. Manilii libros de astrologia petentis [2] in epistola, vel Plinii non unum astrologiæ deditum Manilium passim laudantis, vel Claudiani quoque Mallii Theodori studia et scripta efferentis meminerint. Nemo sane ante sextum decimum seculum Manilii aut Manlii nomen librorum fronti inscripsisse videtur, idque non traditum a veteribus, sed a recentibus electum nulla auctoritate commendatur, argumentisque confirmandum est, quæ quidem desunt.

1. Bechert, *De M. Manilii emendandi ratione*. Lipsiæ, 1878, p. 5, 10 et 11. — Freier, *De M. Manilii quæ feruntur Astronomicon ætate*. Gottingæ, 1880, p. 3-8.
2. Freier, *op. l.*, p. 3.

Nempe non operæ pretium est Gevartii opinionem refellere [1], qui, cum apud Claudianum legeret Manlium Theodorum, qui anno post Christum trecentesimo nonagesimo nono sub Honorio Arcadioque Cæsaribus consul fuit, *naturæ sacris mundique vacavisse*, hunc ipsum fuisse *Astronomicon* scriptorem professus est. Quod ut falso dictum fuisse appareat, satis erit integrum Claudiani locum, quo Manlii Theodori studia describit [2], invisere, unde illum ut quædam de cælo et astris, ita multa de summa naturæ libris explicuisse, nec astronomica denique, sed physica scripsisse manifestum erit.

Nec magis ullum ex iis quos Plinius memorat Manilium ea quibus operam damus *Astronomica* scripsisse crediderim. Nam Manilium Mathematicum, a quo grammatici sexti decimi seculi apud Plinium legebant [3] cujusdam obelisci cacumini auratam pilam Augusto principe fuisse additam ad dignoscendas horarum rationes, jam non appellare decet, cum recentium grammaticorum consensu Facundus Novus pro Manilio in hunc locum sit accipiendus [4]. Manilium vero senatorem, quem Plinius testatur astronomiæ studuisse [5], nihil omnino argumento est, libros de astronomia scripsisse. At refert idem Plinius alio loco, Romam eadem nave advectos fuisse, pedibus cretatis, « Publilium Lochium, mimicæ scenæ conditorem, et astrologiæ consobrinum ejus Manilium Antiochum, item grammaticæ Staberium Erotem [6]. » Sed conditor ille astrologiæ Manilius, hoc titulo dignissimus cui nostrum poema reddatur, ratione temporum excluditur, cum æqualis ejus Publilius, quocum Romam advectus est, quarto ante Cæsaris necem anno non ita juvenis obierit, in poemate vero et Varianæ cladis et Tiberii mentio reperiatur.

Ac ne id quidem satis constat, de illo quem quærimus poeta Gerbertum scripisse, cum nesciamus utrum libros soluta oratione scriptos, an numeris et pedibus vinctos significare voluerit.

1. Bentley, *Manilii Astronomicon l. V.*, 1739, *Præf.*, p. xi; G. G. Vossius, *De Poetis Latinis*, cap. II (*Opera omnia*, 1695-1701, in-fol., Amstelodami, t. III, p. 241-242).
2. Claudianus, *In Fl. Mallii Theodori consulatum*, 63 sqq., 96 sqq.
3. Petrus Crinitus, *De Poetis latinis*, XL, 1; Aldus Manutius, ed. 1499.
4. Plin., *Hist. nat.*, XXXVI, 10, 15. Nemo nunc veterem lectionem *Manilium* tuetur. Codices enim hic *facundo* aut *fecundi* habent, unde nequaquam *Manilius* potest extrahi.
5. Id., *ibid.*, X, 2.
6. Id., *ibid.*, XXXV, 17, 58.

Cur igitur Manilius dicatur qui illos Astronomicon libros quinque, quos legimus, composuit, nulla causa manifesta est : quod tamen nomen servabimus, traditum jam ac vulgatum nec brevitati sermonis inutile.

II

Quæ cum ita se habeant, omissa jam præpostera ista scriptorum antiquorum ad eruendum poetam quemdam Manilium investigatione, operi attendendum, et qui fuerit poeta, ex poemate ipso discendum est.

Primum autem, versum ex quo Romæ eum vixisse quidam conjecerunt :

> Qua genitus cum fratre Remus *hanc* condidit urbem [1],

a Bentleio et Jacobo ejectum, nec satis cum lectione, tum sensu constantem, non in testimonium vocaverim : totum tamen carmen perlegenti minime absurdum esse apparebit, si quis nulla in alia urbe, nisi Romæ, scripta fuisse Astronomica contenderit.

Jam civem Romanum fuisse eum suspicabimur, cum dixerit :

> Speratum Annibalem *nostris* cecidisse catenis [2].

Quanquam, quid ea de re censeamus, parvi refert, cum poeta, sive civis Romanus, sive quocumque alio jure, non sane Romanum animum vividoque Romanæ patriæ amore accensum exhibeat, nec Virgilio, vel Horatio, vel Propertio, victarum gentium domitique orbis superbia vel civilium discordiarum mæstitia restitutæque sub principatu pacis lætitia, sit comparandus, cum denique nusquam in Romanarum rerum recordatione quidquam nisi rhetorica præteritarum, præsentium adulatoria laudatio scribenti exciderit.

Atque, etsi civitate Romanus fuit, non ideo genere, ac ne Ita-

1. Man., *Astron.*, IV, 776. — Frid. Jacob codicum lectionem ita refert :

> Qua genitus Cæsarque meus nunc condidit orbem ;

quem versum interpolatum ad Ottonem III pertinere suspicatur.

2. *Id.*, *ibid.*, IV, 41.

licus quidem existimandus est. Nam viris doctissimis Bentleio et Jacobo visum est male illum latine scire, ac velut barbarum doctam Romani sermonis elegantiam parum delicate tractare; unde ille Asiaticum [1], hic Africanum [2] poetam esse voluit. Quid memorem Merkelium ita Ovidii Ibim intellexisse, ut, in quem inveheretur Ovidius acerrime, nostrum esse putaret, genere Ægyptium [3]? quam opinionem levissima de causa, ne dicam nulla, susceptam, enuntiare libet, refellere sit supervacaneum. Num autem, virum eruditum secuti [4], nec Bentleio nec Jacobo vel assentiemus vel contradicemus, et utramque sententiam probabilem ducemus, neutram altera potiorem? Num adeo incerta res dimittetur? Quam controversiam, ut quantum in nobis est dirimamus, illud in primis est animadvertendum, si quando Manilius novitatem operis commendat, trita tractataque a veteribus Græcis argumenta ab eo memorari, Romanos autem scriptores secundo libro omnino prætermissos, tertio vix paucissimis obiter verbis attingi [5]? Unde nec ignorantiam nec contemptum poetæ arguam [6] : sed quia in Graio, ut ita dicam, orbe natus, ideoque si non in Græcia, in Asia certe Graiis moribus ac disciplinis imbuta, ibique educatus et institutus fuerat, vigebant in memoria ejus omnia Graiarum litterarum exempla, et præsentia semper ac vivida ultro exundabant; Romanæ vero litteræ, tardiore cura et majore labore haustæ, non nisi meditanti aderant, neque ipsæ non attendentem sollicitabant.

Levissimum sane illud indicium, nec quod operæ pretium sit indicare, nisi gravius aliquod subveniat : quod in quarto libro deprehendetur, in iis scilicet, quæ de orbis universi regionibus scripsit [7]. Qua in terrarum descriptione quam non æque omnia novisse poetam apparet! Nam Britannos, et ultimam Thulen, et omnino littora et insulas Oceani videtur ignorare. Pauca de Hispania et Gallia, quarum alteram bellicosam, divitem alteram laude vulgata dicit : Germaniam non sine aliquo horrore ingen-

1. Bentley, *Præf.*, p. x.
2. Jacob, *Man. Astron.*, *Præf.*, p. xvi.
3. Merkel, *Tristia et Ibis*, 1837, p. 400 sqq.
4. Ad. Cramer, *De Manilii qui dicitur elocutione*, Argentorati, 1882, p. 42.
5. Manil., *Astron.*, II, 1 sqq.; III, 5 sqq.
6. Poetarum latinorum sane peritus erat Manilius, et Virgilium, Lucretium Ovidiumque sæpe imitatus est. Cf. Cramer, *op. l.*, p. 55 sqq.
7. Id., *ibid.*, IV, 595 sqq.

tium flavorumque corporum parentem, dignamque feris tantum matrem breviter prædicat : unde crediderim Germanos vel auxiliares, vel captivos, vel gladiatores Romæ quotidie spectandos homini nigris Asiæ Africæve gentibus assueto fuisse admirationi, non autem ab eo Germaniam cum Germanico vel aliter visam ac peragratam, cum ea tantum de hominibus, de regione nihil scripserit [1]. Italiæ laudes non tam libenter extendit quam Græciæ, neque in Italia quidquam, nisi Romam orbis caput, Virgilii longe absimilis, jactat. De Græcia tamen nihil quod Graium hominem prodat, sed Graiorum modo historiarum et fabularum peritum. Satis multa de Africa, et, quanquam quædam ex iis desunt, deficientibus hac in parte codicibus, Carthaginem, Æthiopesque, Ægyptumque nominat, nulla tamen propria ac singulari laude admixta, et quæ sumptam oculis notitiam locorum significet. Ea vero minime Africano homini conveniunt, in quibus commune vulgi dictum de Africa novorum semper miraculorum ac monstrorum parente mihi videtur augere :

> Huic varias pestes diversaque monstra ferarum
> Concessit bellis natura infesta futuris,
> Horrendos angues habitataque membra veneno,
> Et mortis pastu viventia crimina terræ
> In pœnas fecunda suas parit horrida tellus,
> Et vastos elephantas habet, sævosque leones,
> Et portentosos cercopum ludit in ortus,...
> Ac sterili pejor siccas infestat arenas [2].

Quis autem adeo singularis ac novus patriæ amor nihil tam in patria laudandum existimet, quam belluarum omne genus ac monstrorum?

At Asiam quam penitus ac late novit, quam vivide ac curiose extulit! ut doctus ille vir, quem jam laudavi, Freier, proposito quidem constanter adhærens, Manilium pro certo habuerit Germanici comitem fuisse Asiamque cum eo peragrasse [3]. Sed non ea tantum quæ Germanicus adiit, ceteras quoque partes novit optime. Nam etiam ultra Euxinum pontum indicat Caspium mare, et Persicum Erythræumque : regiones, populos, urbes,

1. Freier, *op. l.*, ch. vii, *De Manilio Germanici socio,* p. 72 sqq.; præsertim, p. 75.
2. Manil., *Astron.*, IV, 662.
3. Freier, *op. laud.*, p. 77-78.

flumina, montes, Ciliciam, Syriam, molles Arabas, Parthos, Persidem, Scythiæ montes, Taurum, Gangen, decolores Indos, Phrygiam, Cappadociam, Bithyniam, Cariam, Phœnicum urbes, Bactra, insulam Panis, Assyriam, Euphratem, Tigrim : quid non cum honore percurrit? Mores etiam et cultus et vestes notat, tortos Syrorum crines laxosque Persarum amictus. Quantoque illam orbis partem amore prosequi videtur, ut quasi ferveat oratio admiratioque grandibus verbis erumpat!

...nitentes
Miratur campos Asiæ, totidemque tropæa
Quot loca, et innumeras gentes, Taurumque minantem
Fluctibus [1]...

Quis vero in Asia belluas aut ullas pestes gigni existimet? Cuncta scilicet monstra Africæ sunt :

Inde Asiæ populi divesque per omnia tellus.
Auratique fluunt amnes, gemmisque relucet
Pontus, odoratæ spirant medicamina silvæ [2].

Quin Romano orbi (mirum!) orbem Parthicum opponit :

Parthique vel alter
Orbis [3]...
Magna jacet tellus magnis circumdata ripis
Parthis, et ab Parthis domitæ per sæcula gentes,
Bactraque et Arii, Babylon et Susa Panosque,
Nominaque innumeris vix complectenda figuris,
Et Tigris, et rubri radiantia littora ponti [4].

Qui talia de Asia scripsit, nonne Asia ortus esse merito judicabitur? et ex iis præsertim regionibus, quæ Parthorum imperio adjacent? Saltem, si eligendum est, utrum Asiaticus, an Africanus fuerit, nonne cum Bentleio potius stabimus? Atque in ea re, in qua certum nihil esse potest, nonne satis probabilem eam esse opinionem censebimus?

1. Manil., *Astron.*, IV, 622.
2. Id., *ibid.*, IV, 672.
3. Id., *ibid.*, IV, 675.
4. Id., *ibid.*, IV, 802.

III

Attamen longè gravissima atque implicatissima quæstio alia est, de qua varie disputatum est : quibus scilicet temporibus Manilius ille et vixerit et poema scripserit. Id igitur nunc quærendum, cui potissimum assentiamus, utrum Scaligero et Bentleio poetam nostrum Augusto principi addicentibus, an Jacobo Merkelioque, inchoatum Augusti, Tiberii temporibus absolutum carmen existimantibus, an denique viris inter Germanos eruditissimis Lachmann [1], Freier [2] et Cramer [3], totum opus sub Tiberio confectum affirmantibus ?

Summa sane vi et miro acumine Lachmann et Freier ad confirmandam omnibus argumentis sententiam suam disputaverunt. Mihi tamen non persuaserunt ex ipso opere apparere quod docent, nec tantum expedire quantum torquere Manilii versus visi sunt. Cum autem Freier opinioni institerit quam primus Lachmann proposuerat, eamque fusius explicatam multis ac novis repertis argumentis munierit, hujus opusculo operam dare satis erit, ejusque verba ac rationes diligenter æstimare. Cujus in acutissima disputatione omnia sane cohærent ac congruunt inter se : sed ita cohærent ac congruunt, ut quædam mihi dubitatio surgat, quomodo fieri possit, ut in re tam obscura tam multa ac certa cuiquam appareant. Ac timeo, ne ingenioso viro sua adeo sententia placuerit, ut omnes ejus cogitationes quasi imbuerit et infecerit, neve multa apud Manilium deprehendere sibi visus sit, quæ in ejus tantum mente insidebant.

Primum enim ea omnino e disputatione sunt tollenda, quæ non ita ad Tiberii tempora referenda sunt, ut iisdem temporibus et opus et scriptorem addicendum esse evincant, sed ita tantum possunt referri, si jam concessum et manifestum fuerit poetam post Augustum mortuum ad explicandam astrologiam accessisse. Quid enim in his versibus certam potissimum ætatem significat?

> Funera cum facibus veniunt terrisque minantur
> Ardentes sine fine rogos, cum mundus et ipsa
> Ægrotat natura, suum sortita sepulchrum [4].

1. Lachmann, *Klein. schrift.*, Berlin, 1872, II, 42-45, *De ætate Manilii.*
2. Freier, *op. l.*
3. Cramer, *op. l.*, p. 4.
4. Manil., *Astron.*, I, 893-895. Freier, *op. l.*, p. 31.

Fieri autem potest, si jam aliis de causis Manilius Tiberio æqualis fuisse agnoscitur, ut credamus his versibus tremorem illum terræ indicari, quo duodecim Asiæ urbes florentissimæ funditus sunt eversæ. Sed nullo modo ex his colligi potest, Manilium Tiberio fuisse æqualem : nam nisi id primum satis constabit, jam non est cur putemus dicentem de universo poetam uni ac certæ rei potius allusisse quam ceteris ejusdem generis innumerisque rebus.

Nec iis immorabor, quibus Freier contendit, vel obscuram poetæ orationem non nisi tecto principi et obscura loquenti dedicari potuisse [1]; vel Germanici astrologicum thema in quadam parte reperiri, quæ jurisconsultos urbiumque et conditores et eversores certis signis reddit [2]; vel Manilium Germanico Asiam petenti comitem se addidisse, eo scilicet nomine, quia a Colophonio quidem Apollinis templo, quod Germanicus adiit, arcebantur volucres, Manilius autem novitatem operis extollens, integram se undam quærere fatetur,

Quam neque durato gustarunt ore volucres [3]...;

vel cum Germanico antiquam Trojæ sedem invisisse, quia sæpe Homerica poemata commemorat [4]; vel quæcumque de dolis ruptisque fœderibus et linguæ veneno scripsit, ea omnia in Pisonem effinxisse, eique etiam Piscium nomine, quod signum dolis imperat, allusisse [5]; vel denique multa post Germanici necem per totum carmen aspersa fuisse in Tiberium amara odiosaque, principique destinari, quæ poeta in Scorpionem maledicta jacit [6]. Sunt enim hæc omnia, quæ e curiosi grammatici mente exsiliant, neque magis refelli quam defendi possint!

Deinde omnem quoque de his versibus abjudicabo disputationem, quos incertissimæ lectionis, et ob id ipsum in principio satis caute habitos, postea suæ opinionis nimius amator Freier

1. Freier, *op. l.*, p. 45.
2. *Id.*, *ibid.*, p. 72 sqq. — Manil., *Astron.*, IV, 209-211 ; 548-552.
3. Manil., *Astron.*, II, 53-56.
4. *Id.*, *ibid.*, II, et III, 1 sqq.
5. Freier, *op. l.*, p. 84. — Manil., *Astron.*, II, 581-607; II, 596, 637; IV, 573; V, 647.
6. Freier, *op. l.*, p. 88. — Idem erravit Jacobus, alia de causa, Manilium ratus, ut juvaret Augustum, malignis verbis Tiberio allusisse (*Præf.*, p. XVI).

in argumentorum locum recepit. Ego vero Bentleio funambulos elephantos, Jacobo incensa Pompeii theatra relinquam, sive jure, sive injuria uterque utrumque sensum e corruptissimis locis eruit [1]. Nam hæ conjecturæ non eam de qua agimus opinionem confirmare possunt, sed eâ contra, si jam aliis de causis constet, aliquo modo confirmentur.

Quid autem ea causa valebit, quod Manilium identidem de luxu queritur, in senatu autem de luxu quoque actum fuit et septingentesimo sexagesimo nono Urbis anno et postea non semel [2]? Num ex hoc fateri cogemur non potuisse ante hunc annum eamdem querelam a Manilio edi? Mihi contra videtur veri similius, ejus modi rem de moribus in publico consilio agi non posse, nisi cum, et vulgi sermonibus agitata et scriptorum curis explicata, matura jam et aperta magistratuum et principum prudentiæ traditur etiamque imponitur. Necesse certe est ut de iis quæ extra rem publicam esse solent, sæpe ac diu privati loquantur et scribant, priusquam e republica esse decernantur et publice ordinentur.

Nec Tiberii thema agnosco in quarto Astronomicon libro, cum scribit poeta :

Scorpius extremæ cum tollet lumina caudæ,
Si quis erit stellis tum suffragantibus ortus,
Urbibus augebit terras, junctisque juvencis
Mœnia subcinctus curvo describet aratro,
Aut sternet positas urbes. Inque arva reducet
Oppida, et in domibus maturas reddet aristas.
Tanta erit et virtus et cum virtute potestas.
Nec non Arcitenens prima cum veste resurget,
Pectora clara dabit bello, magnisque triumphis
Conspicuum patrias victorem ducet ad arces :
Altaque nunc statuet, nunc idem mœnia vertet [3].

Quid vero hic ostenditur, quod proprie Tiberium designet, quamvis illa ipsa signa nascentem exceperint? At enim propria illa quam requirimus nota sequentibus versibus aperitur :

1. Freier, *op. l.*, p. 40, 42-43, Jacobi et Bentleii conjecturas recipit de versibus, l. V, 510-516, et 706-707, ut inde quintum librum non ante annum 775 scriptum fuisse colligat.
2. Freier, p. 41. — Manil., *Astron.*, IV, 1-13; IV, 375.
3. Manil., *Astron.*, IV. 553-564.

Sed nimium indulgens rebus Fortuna secundis
Invidet in facie sævitque asperrima fronti [1].

Quam fortunæ *invidiam* vir acutissimus in *facie* Tiberii deprehendit, in qua Suetonius tradit *crebros ac subitos* apparuisse *tumores*. Credo equidem, si hos tumores Manilius oculis animadvertisset, non eum commissurum fuisse ut illos in scribendo Urbi et Orbi et posteris denuntiaret : num enim incuriosus propriæ formæ supra humanam consuetudinem homo Germanus ignoravit, non tam acerbam plerisque mortalibus multorum in animo vitiorum quam alicujus in ore turpitudinis esse reprehensionem? Præterquam quod, ut in eo quod dicitur Germanici themate, ita in Tiberii quoque prædicata in universum signi virtus proprio quodam exemplo ex historiis ducto illustratur : nam ut illic Servius Sulpicius memoratur, ita hic in facie Annibalis, non Tiberii, invidisse ac sæviisse Fortuna ostenditur.

Horrendus bello Trebiam Cannasque lacumque
Ante fugam tali pensabat imagine victor [2].

Miror sane eumdem delicatissimum virum, qui ideo noluerit scripsisse Manilium sub Augusto principe, quia in eo visus est carpere vel ignorantiam vel negligentiam cælestium monitorum, unde Vari clades præsentiri potuerat, ita alludens :

Sæpe domi culpa est : nescimus credere cœlo [3];

miror, inquam, qui tam promptum ad offensionem Augustum crediderit, eumdem adeo lentum Tiberium duxisse, ab eoque Manilium modo prudentem ac timidum quod ad Augustum pertinet, modo audacem ac liberum quod ad Tiberium, judicatum fuisse.

Nec mihi necesse esse videtur templum Fortis Fortunæ a Tiberio dedicatum fuisse anno Urbis 770, antequam Manilius scribere posset :

Faveat magno Fortuna labori [4].

1. Manil., *Astron.*, IV, 564-565.
2. Id., *ibid.*, IV, 566-567.
3. Id., *ibid.*, I, 905. — Freier, *op. l.*, p. 30.
4. Manil., *Astron.*, I, 114. — Freier, p. 17.

> Cœperat, aut longo fugiebant agmine fluctus
> *Impellentis onus monstri.* Caput eminet undis
> Frendentis, pelagusque vomit, *circumsonat æquor*
> *Dentibus, inque ipso rapidum mare navigat ore.*
> Hinc vasti turgent immensis torquibus orbes,
> *Tergaque consumunt pelagus;* sonat undique Phorcys;
> *Atque ipsi metuunt montes scopulique ruentem.*

Tali adventante bellua, locus jam poetæ videtur esse Andromedam alloquendi, cujus, credo, tristior vultus fuit.

> Infelix virgo, quamvis sub vindice tanto,
> Quæ tua tunc fuerat facies? *Quas fugit in auras*
> Spiritus? ut toto caruerunt sanguine membra?
> Cum *tua fata* cavis è rupibus *ipsa videres,*
> *Adnantemque tibi pœnam,* pelagusque ferentem,
> Quantula præda maris!

Pugna autem aliquantum friget, etsi poeta non communia repperit :

> Quassis hic subvolat alis
> Perseus et cælo pendens jaculatur in hostem,
> Gorgoneo tinctum defigens sanguine ferrum.
> Illa subit contra, versamque a gurgite frontem
> Erigit, et tortis innitens orbibus alte
> Emicat, ac toto sublimis corpore fertur.
> Sed quantum illa subit, spumam ejuculata profundo,
> In tantum revolat, laxumque per æthera ludit
> Perseus, et ceti subeuntis verberat ora.
> Nec cedit tamen illa viro, sed *sævit in auras*
> *Morsibus, et vani crepitant sine vulnere dentes;*
> *Efflat et in cælum pelagus,* mergitque volantem
> Sanguineis undis, *pontumque exstillat in astra.*
> Spectabat *pugnam pugnandi causa* puella;
> Jamque oblita sui metuit pro vindice tali
> Suspirans, *animoque magis quam corpore pendet.*
> Tandem confossis subsedit bellua membris
> Plena maris, summasque iterum remeavit ad undas,
> Et magnum vasto contexit corpore pontum;
> Tunc quoque terribilis, *nec virginis ore videnda.*

Audi nunc, quam urbanus heros is fuerit, qui mulierem salutare nisi lautus tersusque ausus sit :

> *Perfundit liquido Perseus in marmore corpus,*
> Major et ex undis ad cautes pervolat altas,
> Solvitque hærentem vinclis de rupe puellam
> Desponsam, *pugna nupturam dote mariti.*

Hæc optime exorsa narratio quam optime cadit! Et si illa recitata sunt, quantis plausibus auditorium rupere!

CAPUT QUINTUM

QUAM VERE POETICAM FACULTATEM MANILIUS IN ASTRONOMICIS EXHIBUERIT

Sed jam destinatum, ut ait Virgilius,

> Spatiis confecimus æquor,
> Et jam tempus equum fumantia solvere colla.

Nam, quod mihi proposueram opus, quam probabilibus et quibusdam etiam pro re certissimis indiciis monstravi, quem sine ulla causa Manilium nomine dicere solemus, scholasticum illum fuisse poetam, qui extremis potissimum Augusti temporibus, astrorum vim ac virtutes sibi susceperit evolvendas. In quo poemate docui nullam philosophiam, ac ne stoicam quidem, ob veritatem aut ullam scribentis persuasionem arcessitam, sed, quia luculentis versibus et grandibus poeseos tractibus materiam uberem præstaret, ideo per totum opus adspersam fuisse; astronomiæ autem, in qua et sæpius errat nec valde curare videtur, ne erret, cum parum peritum, tum parum curiosum illum exstitisse; quin ne astrologicam quidem rationem penitus aut cognitam ab eo aut intellectam fuisse, etiamque non errore aliquo poetæ, sed expressa quadam voluntate ita depravatam, ut scientiæ fides elegantiæ orationis cederet. Cujus igitur artis acerrimus amator esset, quam studiosissime et sequeretur et explicaret, non philosophiam illam esse credendum est aut astronomiam sed versificationem et eloquentiam : ideoque materiam electam novam prorsus et difficilem, quæ palam ostentaret, quid in pangendis versibus, quid in eloquendo rhetor eruditus ac subtilis posset. Eum denique quam splendidissimam ingenii famam affectasse edisserui, cum aspera re suavissimis numerorum ac verborum elegantiis superata, tum omnibus quibus tum delectabantur

ornamentis temperata et illuminata, tum denique cunctis dicendi artificiis figurisque et sententiis, quibus tum rhetores in auditoriis plausus eliciebant, per totum continenter poema usque ad molestiam profusis.

Et tamen rhetor iste vere poeta fuit, vividoque ingenio vere admirandus. Ea enim poeticæ facultatis vis est, quæ nunquam sit abolenda, perque omnia vitia explicetur. Licet igitur Manilius rhetorum disciplina imbutus ad scribendum accedat, licet omnia rhetorum artificia materiæ exornandæ adhibeat, licet sapientium mentem sæpe vel offendat vel torqueat, quid refert? Poeta natus erat : fuit et poeta, postquam rhetor factus fuerat. Nam si non flammeum Lucretii æstum aut decoram Virgilii mollitiem æquavit, nec tantum, quantum illi, aut doluit aut miseratus est, at cogitavit alta, grandiaque locutus est, et verba invenit, quæ legentibus res repræsentarent. Nam multa cum acumine, multa vivide locutus est, et licet sæpissime odiosus sit, nunquam certe est gravis : iram legenti, non somnum ciet, Horatianique præcepti memor.

.... Mediocribus esse poetis
Non di, non homines, non concessere columnæ,

cum non omnia optime et cogitare et dicere valeret, pessime multa quam mediocriter maluit. In formis tamen et coloribus exprimendis solet esse admirandus, creberrimosque versus finxit, qui oculos legentium acerrimo quodam corporearum rerum visu afficiunt, nullo animi motu vel ingenii judicio admixto : ut in hoc versu :

Et pedibus niveis fulserunt aurea vincla,

obversatur ante oculos feminei corporis candor flavo distinctus metallo. Sed eam ante omnia dotem habuit, quæ rarissima est, nec semper maximis Manilioque melioribus poetis contigit : philosophicæ scilicet et mathematicæ et physicæ et astrologicæ scientiæ reperta ita versibus expressit, ut de iis cum subtiliter tum poetice loqueretur, nec rebus verba, aut res verbis obstarent. Tum enim acrem orationis vigorem summo cum splendore versuum extulit : quod jam perspicere potuisti tot tamque luculentis locis quos ad scientiam pertinentes supra laudavi.

Sed neque Manilius alias, nec quisquam fere poeta ullo in carmine pulchriora et magis admiranda edidit quam quæ magnificentissima in principio libri primi de Chaldæis Ægyptiisque inveniuntur : in quibus finem scribendi faciam, ut legentibus quam optima Manilii duret existimatio :

Et natura dedit vires, seque ipsa reclusit,
Regales animos primum dignata movere,
Proxima tangentes rerum fastigia cælo;
Qui domuere feras gentes Oriente sub ipso,
Quas secat Euphrates, in quas et Nilus abundat,
Qua mundus redit et nigras superevolat urbes.
Tunc qui templa sacris coluerunt omne per ævum,
Delectique sacerdotes in publica vota,
Officio vinxere deum, quibus ipsa potentis
Numinis accendit castam præsentia mentem,
Inque deum deus ipse tulit, patuitque ministris.
Hi tantum movere decus primique per artem
Sideribus videre vagis pendentia fata.
Singula nam proprio signarunt tempora casu,
Longa per assiduas complexi secula curas :
Nascendi quæ cuique dies, quæ vita fuisset,
In quas fortunæ leges quæque hora valeret,
Quantaque quam parvi facerent discrimina motus.
Postquam omnis cæli species redeuntibus astris
Præcepta in proprias sedes, et reddita certis
Fatorum ordinibus sua cuique potentia formæ :
Per varios usus artem experientia fecit,
Exemplo monstrante viam, speculataque longè
Deprendit tacitis dominantia legibus astra,
Et totum æterna mundum ratione moveri,
Fatorumque vices certis discernere signis [1].

1. Man., *Astron.*, I, 40.

Vidi ac perlegi,
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
a. d. X Kal. Jul. anni. MDCCCLXXXVII.
Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi
Decanus,
A. Himly.

Typis mandetur.
Academiæ Parisiensis rector,
Gréard.

FINIS

INDEX

Coulommiers. — Typog. P. BRODARD et GALLOIS.

DE MANILII
QUI DICITUR ELOCUTIONE.

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE

ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ADOLFUS CRAMER

SAXO-BORUSSUS.

ARGENTORATI

APUD CAROLUM I. TRUEBNER.

MDCCCLXXXII.

Aulae Vimariensis officina typographica.

Carmen ex parte difficillimum, quod nunc Manilii nomen prae se fert, neque ab ullo scriptore antiquo commemoratur, neque eius poetae nomen in codicibus legitur: nam »*Manilii, Manlii, Mallii*« voces in codicibus plerisque a manibus recentioribus saeculo, ut videtur, XVI appictae sunt [1]); accedit quod neque integrum a gravibusve detrimentis sincerum illud carmen servatum est in libris manu scriptis et criseos Manilianae fundamenta nuper demum a Malvino Bechert in libello infra laudato iacta sunt. Qui vir doctus quattuor optimis codicibus, Bruxellensi altero (Gemblacensi), Lipsiensi, Leidensibus duobus (Vossiano priore et Vossiano altero) denuo accuratissime collatis Iacobum, qui Manilii carmen novissime — anno h. s. XLVI — edidit, a recta criseos via deflexisse ostendit, cum librum Vossianum alterum omnium optimum et quasi fundamentum criseos Manilianae esse aestimandum contenderet [2]), quem codicem a Iacobo neglegenter collatum esse idem vir doctus demonstravit [3]). Neque omnino Iacobi editio in sermonem Manilii accuratius inquirenti sufficiet, quoniam codicum cum aliorum tum Gemblacensis libri optimi lectiones varias ita subscripsit, ut, quid singulorum codicum proprium sit, saepenumero cognoscere nequeas.

Ipse qua re commotus sim, ut, cum Manilii editio, quam criticam dicimus, ad manus non esset, de elocutione Maniliana quaererem, breviter exponam. Nam cum illud carmen perlegerem, facile cognovi poetam similiter atque

---

[1]) cf. M. Bechert, de M. Manilii emendandi ratione, in: Leipziger Studien zur class. Philologie, Lipsiae 1878. I p. 5. 10. 11. || [2]) Bechert l. l. p. 61. || [3]) ibid. p. 26 sq.

Ovidium et ceteros poetas Romanos, quos Augusti et Tiberii saeculum tulit, exemplum secutum esse poetarum, qui aut ante ipsum vixerunt aut Augusti Tiberiive aequales fuerunt, — poetam enim Tiberio quam Augusto imperante carmen astronomicum composuisse paulo verisimilius est [1]). Quae imitationis exempla in parte huius libelli postrema publici iuris facere decrevi, cum praesertim viderem nulla fere imitationis exempla ab eis, qui Manilii carmen ediderunt, esse commemorata, quin etiam W. Ribbeckium in editionis Vergilianae criticae a fratre curatae prioribus tribus voluminibus perpaucos versus Manilianos attulisse, magno numero versuum vel maxime dignorum, qui adferrentur, omisso [2]).

[1]) cf. Bertholdus Freier, de M. Manilii quae feruntur Astronomicon aetate, Gottingae 1880. ‖ [2]) Quattuor priores carminis libros si quis Freiero obloquens contendat conscriptos esse post annum p. Chr. n. IX et ante Augusti mortem, is non refellatur imitationibus, quas poeta ex carminibus ab Ovidio Tomos (anno p. Chr. n. IX) relegato in exilio conditis, tristia dico et epistolas ex Ponto, deprompsisse alicui videbitur. Tristium enim libros singulos Romam missos esse viri docti consentiunt. Itaque cum dubium vix sit, quin Nasonis elegiae celeriter Romae divulgatae sint, a veri similitudine non abhorreat etiam Manilium, qui illo ipso tempore carmini contexendo operam navaret, inde quaedam mutuatum esse. Velut versum a Manilio de Orpheo pronuntiatum I 329 *Tunc silvas et saxa trahens, nunc sidera ducit* si cum versu trist. IV 1, 17 sq. *Cum traheret silvas Orpheus et dura canendo Saxa* comparaveris, Manilium sua ex Ovidii versibus petivisse suspicaberis. Idem versus argumento adeo possit esse primi libri Maniliani initium anno XII fictum esse, cum tristium libri IV carmina in recenti poetae memoria essent; liber enim tristium IV anno XI et priore anni XII parte compositus eiusdem anni XII aestate vel auctumno Romam videtur perlatus esse.

Nec minoris nec maioris momenti est imitatio illa quam sagax nasus deprehendat in Manilii libro IV 60: *toto spectante senatu.* cui respondet Ovidii ex Pont. IV 4, 41: *Inde domum repetes toto comitante senatu.* Carmen ex Ponto IV 4 Ovidius condidit, cum comperisset Sex. Pompeium designatum esse consulem anni p. Chr. n. XIV; simul versus 24 doceat carmen anno XIII compositum esse, non anno insequenti, cum Pompeius consulatu iam fungeretur. Cum nihil sit quod obstet, quominus tibi persuadeas Ovidii carmen paulo post quam conditum sit Romam missum esse, sive ad eum, ad quem scriptum erat, sive ad Ovidii amicos, suspicetur aliquis Manilii vers.

Quibus studiis cum operam navarem, facile adductus sum, ut etiam res metricas et elocutionem[1]) poetae accuratius examinarem. Neque enim de carmine ipso recte iudicasse

IV 60 sub finem anni XIII aut hieme vel vere anni XIV compositum esse.

Tres restant loci Maniliani, qui minoris vel paene nullius momenti sunt. Respondet enim versus Manilianus I 410 sq. — *nec clarius astrum Tinguitur oceano* — versui Ovidiano trist. I 4, 1: *Tinguitur oceano custos Erymanthidos ursae*; tristium librum primum compositum esse, cum Ovidius Tomos proficisceretur, ex eius libri carminibus ipsis consentaneum est; qui liber vel exeunte vere vel ineunte aestate anni X Romam transmissus esse videtur. Praeterea valde dubium est num huc referendi sint versus quos legimus Man. V 176 et 295. In priore versu nescio an alicui videatur inesse imitatio versus Ovidiani fast. V 305 et Ibidis 599. Verba Manilii haec sunt: *Te, Meleagre, colunt, flammis absentibus* (sic Bentleius; *habitantibus* codd. omnes, nisi quod *habentibus* V_2) *ustum*, Ovidii in fastis haec: Respice *Thestiaden. flammis absentibus arsit*, in Ibide haec: *Natus ut Althaeae flammis absentibus arsit.* Dubitare possis, utrum fastorum an Ibidis versus imitando expressus sit: si omnino imitatio agnoscenda est (de qua re vehementer dubito), equidem illud crediderim, neque tamen negari potest, poetam Ibidis versum potuisse imitari, quod carmen primis exilii annis fictum et post Ovidii mortem Romam perlatum videtur esse. Sed cum liber Manilianus quintus nonnullis annis post quam liber quartus editus est videatur scriptus esse, facile fieri potuit, ut poeta ex fastorum libris hauriret, qui post Ovidii mortem Romae divulgati sunt. — Obiter moneo excepto uno vel duobus exemplis (Man. III 22 et fortasse II 49) fastorum versus Manilium imitatum non esse nisi in libro quinto; nam imitationum ad fastos spectantium exempla, quae congessit Freier (l. l. p. 60 sq.), exigui momenti mihi videntur esse; accedit quod Man. III 1 melius quam ad versum Ovidianum (fast. II 123) ad Vergilium (aen. X 811) refertur. Ex versu denique Maniliano V 295 *dabit et iaculum torquere lacertis*, quo exprimitur Ovidianus ille, quem ex Pont. II 9, 57 legimus: *Atque ut es excusso iaculum torquere lacerto,* nihil concludi potest, cum liber epistolarum ex Ponto alter iam anno XIII Romam missus sit, ut libri secundi carmina illo tempore. quo poeta librum quintum componeret, iam diu Romae innotuerint.

[1]) Pauca dicam de Bentleii (edit. praef. p. XIII) conatu Augusti aetati, non tertio vel quarto p. Chr. n. saeculo, eam ob rem tribuendam esse poesin Manilianam statuentis, quia poeta utitur genetivis substantivorum in *-ius* et *-ium* cadentium non in *-ii*, sed in *-i* exeuntibus. Cuius generis genetivi apud Manilium leguntur hi: *Aquari* II

viri docti nonnulli videntur, velut Teuffel[1]) iniuria dicit Manilium graecissantem ita infinitivo et casibus uti, ut a sollemni poetarum usu abhorreat; immo perpaucis locis Graecorum sermonem poeta imitatur. Quod autem ad casuum atque infinitivi usum attinet, ne eis quidem ita utitur, ut cum reliquorum poetarum sermone discrepet. Denique commemoraverim Manilii elocutionem haud ita saepe vetustatem sapere. At concedendum est uti eum liberrime praepositionibus velut *ad, per, sub* et modis verbi, indicativo et coniunctivo.

Perfeceram hunc libellum iam abhinc quattuor fere annos, neque tamen edendi facultas mihi erat data: nunc, cum veri simile mihi videatur Bechertum de Manilii sermone esse scripturum, valde dubitavi, libellum meum publici iuris facerem necne; verebar enim, ne maius officium mihi tribuisse viderer quam cui suffecturum me confidebam; tandem, ne in cassum omnis cecidisse videretur labor, libellum meum edere constitui, sperans fore ut in carmine poetae haud mali non frustra operam et tempus consumpsisse viderer. Multum autem, cum denuo libellum meum percenserem, Becherti observationes mihi profuisse hoc loco libenter profiteor. Idem vir doctus insigni liberalitate,

---

232. 464. 505. V 450. 491. *Sagittari* I 691. II 211. 280. 560. 569 (*sagittari* G et L [a manu prima], *sagittiferi* codices ceteri). *negoti* III 92; praeterea legimus *Claudi* I 795 (codex G *Claudii*), quod non in *Claudia* mutandum est, cum in componendo versus exitu *et Claudi magna propago* Manilii animo sine dubio obversatus sit versus Lucretianus I 42 *nec Memmi clara propago*, et *Iuli* V 512, quod Bentleius iure in *iubar* correxit; unum exstat *dodecatemorii* (cod. G-*iis*) II 740 vocabulum Graecum. Itaque cum desint genetivi illi in -*ii* exeuntes, qui post Augusti tempora increbrescunt, Bentleius totum carmen Augusti aetati vindicat. At tamen et ante Augusti tempora et post poetae quidam genetivorum formas in -*ii* exeuntes aut omnino vitaverunt aut raro adhibuerunt. Vitaverunt e. g. et Persius et Martialis, nisi quod hic semel *cybii* genetivo vocabuli Graeci utitur; cf. Neue, *Formenlehre der lat. Sprache* I² p. 92, Lachmann in Lucr. p. 325 sqq., Haupt opusc. III p. 584.

[1]) hist. litter. Rom. ³ p. 541. Sine dubio rectius de Manilio iudicavit G. Bernhardy hist. litter. Rom. ⁵ p. 555.

quid ex optimis codicibus enotasset, docuit me, ubicumque de librorum lectione non satis constare mihi videbatur. Itaque eximia Becherti fide nituntur longe plurima ex eis, quae passim de codicum lectione adnotabo.

Libelli mei partes ita disposui, ut in capite primo de arte metrica Manilii, altero de flexione et de copia verborum, tertio de particularum collocatione, quarto de figuris et tropis, quinto denique agam de versibus, in quibus Manilius aliorum poetarum versus imitatus est; nec metuo, ne videar materiam nimis multa in genera digessisse. De casuum, praepositionum, modorum verbi usu Maniliano alio loco me olim verba facturum spero [1]).

CAPUT I.

De arte metrica Manilii.

De arte Manilii metrica expositurus primum agam de ratione, qua in hexametris dactyli et spondei a poeta misceantur. De qua re cum olim rettulerit Drobisch in: *Berichte ueber die Verhandlungen der Koenigl. Saechsischen Gesellschaft der Wissenschaften, philol.-histor. Classe,* 1866, p. 75 sqq., ubi p. 107 sqq. de Manilii hexametro verba facit, tamen quaestionem illam denuo aggressus omnes Manilii hexametros perlustravi Iacobi editionem secutus: nam quamvis haud nesciam multis locis hunc virum doctum a recta lectione deerrasse, immo saepenumero iam dudum correcta denuo depravasse, tamen aut

[1]) In versibus citandis his usus sum editionibus: T. Lucreti Cari de rerum natura libri sex Carolus Lachmann recensuit et emendavit. editio quarta. Berol. 1871. Catulli, Tibulli, Propertii carmina rec. Lucianus Mueller. Lipsiae 1870. P. Vergilii Maronis opera recogn. O. Ribbeck. Lipsiae 1872. P. Ovidius Naso ex recogn. R. Merkelii. Lipsiae 1872 sq. M. Manili Astronomicon libri quinque rec. Fr. Iacob. Berol. 1846. Poetae Latini minores rec. Aemilius Baehrens vol. I—III. Lipsiae 1879 sqq.

desperandam esse omnem veritatem ratus sum aut certos mihi fines terminosque constituendos, extra quos egredi non possem; itaque optimum esse duxi unius editionis lectiones in percensendis hexametris sequi. Perlustratis igitur omnium quinque Manilii librorum versibus quam religiosissime has tabellas confeci, e quibus perspiciatur, quam rationem in miscendis dactylis et spondeis secutus sit poeta.

Formae	Lib. I 922 hexx. (1 vers. spond. 3 vss. spurii).		Lib. II 955 hexx. (1 vers. spond. 14 vss. spurii).		Lib. III 679 hexx. (3 verss. spurii).		Lib. IV 930 hexx. (1 vers. spond. 4 vss. spurii).		Lib. V 740 hexx. (2 vss. spond. 3 vss. spurii).	
dsss	171	18,5	156	16,3	126	18,7	150	16,1	127	17,2
dsds	100	10,8	99	10,4	72	10,6	127	13,5	75	10,1
dssd	59	6,4	49	5,1	39	5,8	49	5,4	42	5,7
dsdd	25	2,7	24	2,5	21	3,1	30	3,2	23	3,1
ddss	105	11,4	129	13,5	79	11,6	141	15,2	108	14,6
ddds	45	4,9	63	6,6	43	6,3	66	7,1	33	4,5
ddsd	39	4,2	32	3,3	21	3,1	33	3,5	33	4,5
dddd	20	2,2	13	1,4	7	1,0	17	1,8	10	1,3
sdss	102	11,1	125	13,1	68	10,0	102	11.1	87	11,7
sdds	44	4,8	58	6,1	48	7,1	50	5,6	58	7,7
sdsd	39	4,2	38	4,0	24	3,5	27	2,8	34	4,6
sddd	13	1,4	11	1,1	11	1,6	11	1,1	14	1,9
ssss	70	7,6	68	7,1	51	7,4	44	4,7	43	5,8
ssds	48	5,2	58	6,1	47	6,9	53	5,7	31	4,3
sssd	21	2,3	16	1,7	14	2,1	13	1,4	14	1,9
ssdd	21	2,3	16	1,7	8	1,2	17	1,8	8	1,1
	922	100	955	100	679	100	930	100	740	100
Principia:										
dactylica	564	61,2	565	59,2	408	60,2	613	65,8	451	60,9
spondiaca	358	38,8	390	40,8	271	39,8	317	34,2	289	39,1
	922	100	955	100	679	100	930	100	740	100
Summa										
dactylorum	1524	41,3	1575	41,2	1111	40,9	1628	43.7	1258	42,5
spondeorum	2164	58,7	2245	58,8	1605	59,1	1692	56,3	1702	57,5
	3688	100	3820	100	2716	100	3320	100	2960	100
Versus dactylici	142	15,4	143	15,0	103	15,2	157	16,8	113	15,3
Versus spondiaci	412	44,7	423	44,3	306	45,1	362	39,0	302	40,9
Versus aequi	368	39.9	389	40,7	270	39.7	411	44,2	325	43,8
	922	100	955	100	679	100	930	100	740	100

In omnibus igitur quinque libris Manilianis spondeorum numerus maior est quam dactylorum, ita tamen, ut in primo hexametri pede dactyli praeferantur spondeis. Versus »dactylici« i. e. versus, in quibus in quattuor primis hexametri pedibus terni insunt dactyli cum singulis spondeis mixti, apud Manilium rarissime occurrunt, cum versuum »aequorum« i. e. versuum, in quibus bini dactyli cum binis spondeis miscentur, numerus maior sit; qui quidem cum in tribus prioribus libris fere ad versuum spondiacorum numerum accedant, in libro quarto et quinto versus spondiacos superant.

De hexametrorum clausulis.

Clausularum hexametrorum ostendit Lucianus Mueller in Catulli editionis praef. p. LXVII species legitimas has esse:

1) – ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑⏑ | – ⏑
2) – ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑|⏑ – ⏑
3) – ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑⏑ | –| ⏑
4) – ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑⏑ | –|⏑⏑ | – ⏑
5) – ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑|⏑| – ⏑
6) – ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑⏑ | –|⏑|⏑| – ⏑

Ex hoc clausularum numero Manilius abstinuit a specie sexta, raro admisit et tertiam et quartam, quae quarta species in libro quinto nusquam, in prioribus quattuor libris obviam fit versibus his: I 80. 292. 408. 422. 482. 707. II 216. 577. 814. III 28. 246. IV 7; tertia specie insignes sunt versus hi: I 213. II 151. III 97. 148. 200. 230. 553. IV 230. 321. 449. 455. 459. 468. 477. 520. 896. 922. V 131. Specie quinta usus est Manilius in libro primo fere semel et nonagies, in libro secundo semel et octogies, in tertio undenonagies, in quarto semel et octogies, in libro denique quinto locis sexaginta quinque. Usitatissima clausulae species apud Manilium est prima, ad quam prope accedit species secunda.

Clausularum in verbum polysyllabum exeuntium praeter quinque (vel sex) versus spondiacos, qui omnes in verbum tetrasyllabum cadunt, extant exempla haec tetra-

syllaba: I 35 *veneranda* II 762 *clementis* III 125 *diuturni* 130 *specioso* 434 *breviantur* V 257 *hyacinthos*; verba pentasyllaba in extremo hexametro legimus haec: I 354 *Cassiepia* 686 *Cassiepiae* II 716 *attribuuntur* V 97 *Bellerophontem*; sed memorandum videtur verbo polysyllabo praecedere monosyllabum locis his: I 35. 354. III 125. 130. 434.

De caesuris.

Ut apud ceteros poetas Latinos ita apud Manilium caesurarum longe usitatissima est caesura penthemimeres, ad quam prope accedit ea hephthemimeres species, quam L. Mueller in libri de re metrica p. 198 primo loco posuit, id est hephthemimeres consociata cum penthemimere ita, ut post quartam thesin finiatur sententia; non minus fere saepe invenitur ea caesurae species, quam habes in:

infandum | regina | iubes | renovare dolorem.

Reliquorum caesurae hephthemimeres generum usum multo artioribus finibus circumscripsit Manilius: hephthemimeren cum trithemimere sine caesura tertia trochaica coniunctam, quam L. Mueller[1]) quadragies octies apud Manilium se invenisse contendit, ego his versibus quadraginta sex legi: I 31. 216. 316. 467. 546. 639. 660. 696. 913. II 91. 145. 168. 218. 285. 382. 411. 463. 476. 686. 748. 871. 905. 919. III 129. 136. 182. 279. 350. 404. 462. 568. 616. IV 71. 306. 367. 404. 452. 459. 482. 493. 769. V 248. 306. 660. 693. 736.

Hephthemimeren coniunctam cum caesura tertia trochaica undecies apud Manilium deprehendi locis his: I 510. 513. 565. 694. III 639. IV 611. 621. 690. 761. 779. 781; in libro secundo itemque in libro quinto eius caesurae nullum exemplum memini me legere. Caesurae hephthemimeres cum nulla alia caesura coniunctae nullum apud Manilium extat exemplum; eiusdem caesurae sexta (apud L. Muellerum) species semel a Manilio usurpata est:

II 221. *Sunt quibus esse | diurna | placet, || quae mascula surgunt.*

---

[1]) de re metrica p. 202.

Digni denique sunt memoria nonnulli versus, in quibus caesura aut est tertia trochaica cum trithemimere coniuncta, aut caesura inest alia; prioris generis versus enotavi hos:

I 417 *Et Phoebo | sacer ales; || et una gratus Iaccho*
I 493 *Ex minimis | caecoque || creatum foedere mundum*
II 213 *Tunc Pisces | et Cancer || et acri Scorpios ictu*
II 704[1] *Et similis | sibi mundus, || et omnia in omnibus astra*
III 411 *Sed certa | sub lege, || prioris semper ut astri*
IV 470 *Ad decimam, | nec quarta, || nec octava utilis unquam.*

Semel caesura trithemimeres cum caesura hephthemimere ita consociata est, ut haec verbum compositum secet:

I 194. *Nec vero | tibi natura ad|miranda videri.*

Quod Bechert[2]) observavit poetam nunquam substantivum monosyllabum ante caesuram legitimam collocare, nisi praecedente vel item monosyllabo vel bisyllabo, ea lex omnibus iis locis valet, ubi ante caesuram legitimam vocabulum monosyllabum poeta collocat (exceptis scilicet iis locis, quibus monosyllabo postrema vocabuli praecedentis syllaba eliditur), ita tamen, ut praecedens bisyllabum semper pyrrhichium efficiat. Tria obstant exempla, ubi ante *se* monosyllabum ubique antecedit *inter* praepositio bisyllaba; quod ideo fieri poterat, quia duo illa verba *(inter se)* tamquam in unius verbi corpus coeunt. Quod praetera in Iacobi editione legimus:

III 271 *Atque haec illas est demum* —

id invitis factum est codicibus, in quibus cum versus corruptus sit sic:

Atque haec illa demum est —, iam Scaliger perspexit emendandum esse: *Atque haec est illas* —; quamquam aliud quid latere non deerunt qui coniciant, quoniam *est* omissum est in codice V_2.

Lex, de qua agitur, etiam tum observatur, si ante caesuram penthemimeren cum hephthemimere coniunctam

[1]) ibid. p. 218. || [2]) l. l. p. 58 sq.

verbum monosyllabum collocatum est, ita tamen, ut, cum monosyllabum collocatum sit ante penthemimeren cum hephthemimere non coniunctam, plerumque verbum monosyllabum praecedat, rarius verbum pyrrhichium efficiens: ex exemplis enim quinquaginta uno, quae collegi, locis triginta duobus praecedit monosyllabum, bisyllabum locis undeviginti. Ubi vero penthemimeres coniuncta est cum hephthemimere, praecedit plerumque pyrrhichiacum (locis triginta uno), rarius monosyllabum (locis quattuordecim). Monosyllabum ante caesuram penthemimeren cum hephthemimere non coniunctam positum est praecedente monosyllabo locis his: I 29. 313. 668. 682. II 105. 171 [1]). 186. 351. 545. 969. III 195. 253. 261. 296. 315. 318. 598. IV 81. 106. 278. 362. 440. 450. 469. 809. 844. 862. V 272. 348. 365. 496. 665; praecedente bisyllabo locis his: I 468. 523. 531. 534. II 331. 377. 425. 600. 828. 850. III 227. 604 [2]). 636. IV 127. 390. 393. 909. V 134. 295. Ante caesuram legitimam cum hephthemimere coniunctam collocatum deprehendi monosyllabum praecedente monosyllabo versibus his: I 336 (ex Iacobi coniectura). II 126. 172. 192. 220. 366. 624. 789. III 70 (monosyllabo praecedunt duo monosyllaba brevia). 172. 244. IV 88. 461. V 29; praecedente pyrrhichiaco: I 460. 833. II 228. 364. 449. 581. 611. 666. 676. 822. 959. III 121. 303. 553. 594. 661. IV 116. 200. 211. 290. 332. 424. 521. 712. 767. 921. V 6. 120. 285. 370. 554.

De versibus spondiacis.

Utitur poeta versibus spondiacis [3]) sex, vel, si versus III 538

Sidere quem memorant horoscopon inventuros

spurius est, quinque; versus sunt hi:

I 387 *Cernere vicinum Geminis licet Oriona*
II 682 *Sic nos coniungunt maioribus intervallis*
IV 679 *Aequora et extremum Propontidos Hellespontum*

---

[1]) *et is* Iacobus coniecit; *et hic* cod. G. || [2]) *forma erit et* ex coni. L. Muelleri d. r. m. p. 216 sq. || [3]) cf. Viertel, de verss. poett. Latt. spondiacis, in annal. philol. a. 1862 p. 801 sqq.

V 314 *Postque gregem longo producitur intervallo*
V 412 *Qui commissa suis rimabitur argumentis.*

Omnes igitur cadunt in verbum tetrasyllabum ita, ut praecedat semel (I 387) verbum pyrrhichiacum, in ceteris quattuor vel quinque versibus ionicus a maiori. E vocabulis, in quae versus Maniliani spondiaci exeunt, duo sunt nomina propria Graeca: *Oriona* (I 387) et *Hellespontum* (IV 679), quae duo nomina iam antiquiores poetae Graecos imitati in extremo hexametro posuerunt; legimus enim *Orionis* in Ciceronis Arat. 3. Horat. carm. I 28, 21, *Oriona* Verg. Aen. III 517. auct. Ciris 535, *Hellespontum* apud Catullum 64, 358. Ovid. Fast. IV 567. VI 341. Met. XIII 407 [1]). auct. Ciris 413. Cetera vocabula sunt nomina appellativa substantiva, in versu adulterino versus finis forma tetrasyllaba participii efficitur. Versus spondiaci exitu *intervallis* vel *intervallo* (II 682 et V 314) ante Manilium usi erant Lucretius bis: II 295 *Copia nec porro maioribus intervallis* et IV 187 *Quae quasi cuduntur perque aëris intervallum* et Vergilius Aen. V 320 *proximus huic, longo sed proximus intervallo. Argumentis* vocabulum in fine versus collocavit iam Ovidius duobus metamorphoseon locis: VI 69 et XIII 684.

Versuum spondiacorum Manilii formae sunt hae: I 387 dsdd; II 682 sssd; IV 679 dssd; V 314 dssd; V 412 sdsd; (III 538 ddsd).

In omnibus, de quibus egimus, sex versibus caesura legitima intercedit post thesin pedis tertii.

De elisionibus.

Elisionibus utitur Manilius neque nimis multis neque nimis duris. Vocales enim, quae eliduntur, maximam partem breves sunt et rarissime unus idemque hexameter plus quam una elisione deturpatur. Maximus elisionum in eodem versu numerus efficitur elisionibus ternis in versibus his: I 766 *Assaracum atque Ilum invictamque sub Hectore Troiam,* quo tamen in versu, cum codices *victamque* exhibeant (nisi

[1]) cf. Viertel l. l.

quod L ante rasuram *inuictãq'* habuisse videtur) Bentleius *totamque,* L. Mueller[1]) recte, ut mihi videtur, *tutamque* legere vult, aeque atque II 3. Tres elisiones inesse omnes consentiunt in:

III 24 *Totque duces, orbis tot bella atque otia et omnis*
et III 68 *Quaeque opera atque artes, quicunque per omnia casus.*

Versus deinde V, 524, qui Iacobo hic est: *Naturam rimari orbemque invertere praedae* apud Scaligerum itemque apud Bentleium conspicuus est elisionibus quattuor, cum sic legatur: *Naturam eruere ⟨omnem⟩ orbemque invertere praedae* (codices *omnem* non exhibent).

Elidere Manilius veretur verba cretica itemque iambica. Nam quod in Iacobi editione II 28 legitur *Persei et Andromedae poenas,* ubi codices *Persi* praebent, reprobandum est[2]) neque displicet mihi *Persea et Andromeden poena,* quod Bentleius scripsit, nisi quod praefero formam *Andromedam,* cf. p. 80 sq.; item apparet II 286 legendum esse: *Dexter erit Tauro Capricornus, Virgo sinistra* pro: *Dexterā erit* —; denique Iacobi coniecturam: *id ducito in aequas* (III 423) corrigendam esse in *diduc id in aequas* crediderim L. Muellero[3]).

Monosyllaba longa decies septies apud Manilium patiuntur elisionem, sed tenendum est sex monosyllaba elisa — quibus asteriscum appinxi — in libris manu scriptis aut omnino non legi aut ita legi, ut elisionem non patiantur. Eliduntur in Manilii editione a Iacobo curata monosyllaba haec: *qui* II 171 (sequitur: *intentum*); *quam* II 749 (sequ. *omnia*); *quae* *II 924 (sequ. *humana,* codd. praebent *perq; humana*), *III 343 (sequ. *effulgent*; sed codices haec praebent: G *quae fulgent,* LC *q' & fulgent,* V_1 M *q. effulgent,* V_2 *et fulgent*); *te* *III 507 (sequ. *obitus* ex coniectura Bentleii, V_2 *noscceret oblitus,* codd. cett. *non feret* [C *foret*] *oblitus*); *se* I 604 (sequ. *adversi*), *III 489 (sequ.

---

[1]) in mus. Rhen. XVII p. 189 sq.; hoc versu Manilius imitatus est Verg. aen. VI 650 *Ilus Assaracusque et Troiae Dardanus auctor.* || [2]) cf. L. Mueller, d. r. m. p. 285 sq. || [3]) d. r. m. p. 221, Bechert l. l. p. 54 sq.

extollunt, M *se attollunt*, codd. ceteri *sex tollunt*), *IV 608 (sequ. *effundens*; codd. omnes *laevas effundens*); *de* *IV 46 (sequ. *exule*; *de* ex coniectura Bentleii, codd. haec habent: G *quodq. exule*, L a prima manu *quod exule*, L a secunda manu *quod & exule*, V_1 C *quot & exule*, V_2 *quod exule*, M q_3 *exule*); *cum* I 287 (sequ. *aer*), II 136 (sequ. *ad sidera*), 770 (sequ. *omnia*), III 194 (sequ. *obducta*), 505 (sequ. *exacta*; codices haec praebent: G V_2 *ex hac fides*, L *ex hac fides* [addito a manu secunda *uel sedes* supra *fides*], C V_1 M *ex hac sedes*), IV 547 (sequ. *autumnales*); *iam* I 291 (sequ. *inclinari*), IV 53 (sequ. *etiam*).

In prima hexametri thesi apud Manilium elisio monosyllabi non occurrit, in thesi pedis secundi locis his: I 604 et *III 343; in tertia itemque in quarta thesi elisio nulla est, in quinta II 749. 770. *IV 46, in sexta nulla. In arsi spondei legimus elisa monosyllaba haec: in primi pedis arsi eliduntur *cum* I 287. III 194. 505. IV 547, *iam* I 291. IV 53, *quae* *II 924, in arsi pedis tertii eliditur *se* *III 489. *IV 608, pedis quarti *cum* II 136, *qui* II 171. In arsi dactyli elidit Manilius vocabula monosyllaba haec atque ea in priore arseos syllaba: *te* *III 507 (*non seri te obitus* ex Bentleii coniectura) in pede hexametri altero, et *iam* IV 53 (*cum iam etiam posses*) in primo hexametri dactylo [1]).

D a c t y l i c a in *-m* e x e u n t i a elisa insequente correpta vel acuta nulla repperi nisi V 735 *proximum equester* (cf. infra); pyrrhichiaca eadem condicione eliduntur haec: I 90 *enim* ante *ex* et II 347 *enim* ante *an*, utroque in versu ita, ut vocabulum monosyllabum proximum in thesi pedis secundi positum sit.

S p o n d i a c a s e q u e n t e b r e v i eliduntur a Manilio haec: In prima hexametri arsi: I 641 *Quando aliis*; II 788 et III 169 *Ergo age*; III 328 *Ergo ubi*. In secundi pedis arsi: III 378 *ergo oculos*. Monendum autem est et *quando* et *ergo* iam ante Manilii tempora a poetis in brevem esse

---

[1]) De elisione monosyllaborum conferas Iul. S c h u l z, Beiträge zur lat. Metrik I, Gedanii 1872 pp. 13 et 20.

elisa, qua de re conferas exempla, quae collegit M. Haupt in *Observationibus criticis*[1]). Ceterum raro Manilius elidere spondiaca est ausus; eliduntur haec: I 171 *contra actis* (codd. *contractis*), 285 *vero e solido,* 332 *toto urgentem* (codd. *ingentem*, cod. G *ingens*), 369 *ergo aeternis*, II 747 *stellae in fines,* 826 *aeque* (at codd. *atque*) *illi*, III 336 *ergo ipsa,* 676 *ergo in tropicis*, IV 445 *illi ac decima est,* 831 *sese ipse,* 923 *parvo in corpore,* V 198 *sese emergit*, 206 *vero in vastos,* 477 *vitae* (codd. *vita*) *ostendit,* 656 *e penna et pendens* (G C L *Et peneva et*; V_2 *Et pene vaet,* V_1 *& pene* ..... *&*, M et V_1 in margine *Appennina petens*).

Elisio et in prima et in ultima versus syllaba Manilio omnino displicet. Elisionis longae in tertii pedis sive thesi sive arsi in Iacobi editione haec leguntur exempla:

1) in thesi:

II 747 *Cuius enim stellae in fines in sidere quoque*

IV 445 *Septima par illi ac decima est, decimaeque secunda*

IV 789 *Proximaque Italiae* (codd. *Italia* excepto M) *et tenui divisa profundo*; hauritur igitur in tribus illis exemplis syllaba longa verbo monosyllabo.

2) in arsi:

I 332 *Dividit, et iam toto urgentem corpore corpus* (codd. plerique *ingentem,* cod. G *atque etiam toto ingens,* L *& etiam* sed deleto *&* per rasuram, C *etiam toto ingentem,* M *et toto mergentem*)

II 171 *Ut Capricornus et hic*[2]), *qui intentum dirigit arcum*

III 489 *Ter quinas mundi se extollunt sidera partes* (codd. *sex tollunt,* M *se attollunt,* Scaliger itemque Bentleius *se tollunt* legunt).

IV 608 *Et prius in laeva se effundens circuit omnem* (codd. *in laevas effundens*).

V 524 *Naturam rimari orbemque invertere praedae* (ex Iacobi coniectura; Scaliger scripsit: *Naturam eruere* ⟨*omnem*⟩, *orbemque invertere praedae*).

---

[1]) pp. 16 sqq. = opusc. I p. 88 sqq. || [2]) *hic* extat in G.

Elisionis longae inde a quinti pedis arsi unum extat exemplum: III 423 *id ducito in aequas,* quam lectionem, quamquam defenditur a Froehdio [1], supra dixi mihi videri mutandam esse cum L. Muellero in *diduc id,* quod a codicum lectione, qui *id ducit* (C *duc̄*) praebent, prope abest.

Elisionem syllabae in *-m* exeuntis semel eodem loco admisisse poetam V 735 *proximum equester* supra monui pag. 71, ubi de dactylicis in *-m* exeuntibus sequente brevi dixi.

Longas syllabas in breves elisas nullas inveni praeter eas, quas supra enumeravi, ubi de elisione spondiacorum sequente brevi verba feci; unum accedit exemplum III 507 *Non seri te obitus* (ex Bentleii coniectura, cf. supra pag. 70).

Elisionis in sexti pedis thesi unum indagavi exemplum III 238 *neque ullam.* Elisae longae in arsi secunda hac sunt: I 171 *Ictaque contra actis* (codd. *contractis*), II 826 *Tertius aeque illi pollens* (codd. *atque illi*), III 378 *Effugit ergo oculos,* III 507 *Non seri te obitus* (cf. supra)[2].

Vocales Graecas breves apud Manilium deprehendi elisas, nisi quid me fugit, has: I 14 *aëra* ante *et,* I 446 *notia* ante *antiqui,* II 28 *Persea* ante *et* (ex coniectura Scaligeri, codd. *Persi*), II 695 *dodecatemoria* ante *in,* V 434 *Nerea* ante *et.*

De positione vocalis brevis in extremo vocabulo et de hiatu.

Legis eius, secundum quam vocali brevi in vocabuli fine posita, si sequantur consonae duae, quae non sint muta cum liquida, syllaba producatur, apud Manilium nullum exemplum legi. Nam exempla illa duo syllabae eadem condicione productae, quae in Iacobi editione occurrunt, corrigenda esse dudum intellexerunt viri docti; sunt autem haec:

III 89 *Utcunque stellae septem laeduntve iuvantve*
V 136 *Suspensa strepitus, levibusque obnoxia causis.*

---

[1]) in Philol. XI p. 541. ‖ [2]) cf. Froehde in Philol. XI p. 537.

In versu enim priore codex optimus G exhibet *Ut sit cum*, itaque Scaliger recte *ut fit cum* legere mihi videtur; in versu altero, in quo codd. *suspensas* (C *suspensa in trepidis*) praebent, a Bentleio recte restitutum est *suspensa in strepitus.*

Ante mutam cum liquida brevem finalem productam statuit Iacobus versibus duobus:

I 90 *Semper enim ex aliis alia proseminat usus*

et III 250 *Regulaque exacta primum formetur in horas.*

In hoc non dubito quin cum Scaligero *exactas* emendandum sit; in illo *alia* quomodo mutari possit, nescio (cf. infra). Ceteris locis omnibus, et iis non paucis, quibus brevem finalem sequitur muta cum liquida, syllaba illa corripitur.

Ante *z* consonam Manilius brevem finalem corripit, cuius neglectae positionis exempla extant duo:

III 319 *Obliquus iaceat, recto tamen ordine zonae*

III 625 *Cancer ad aestivae fulget fastigia zonae.*

In mediis vocabulis syllabam brevi vocali ante mutam cum liquida collocata insignem Manilius cum saepissime corripiat, rarius producit; quamquam in uno hexametro eiusdem vocabuli primam syllabam modo producit modo corripit:

II 675 *Sidera quādrata efficiunt non lege quădrati*;

producitur igitur eiusmodi syllaba communis sub ictu, corripitur in arsi [1]. Quod autem Iacobus IV 635 temptavit:

Et Cy̆priae Cȳpros pulsatur fluctibus omnis,

improbandum est; cum enim codices G et V_2 *Aegyptia Cypros* praebeant, cum Bentleio *Aegypti Cypros — amnis* emendandum est; codex L habet *Aegiptia*^{c} *cipros*^{b} *pulsatur*^{a} (litteras *c b a* superscripsit manus secunda), atque hanc correctam speciem exhibent C V_1 M ut genuinam.

Observavit L. Mueller syllabam vocabuli ultimam brevem produci posse ictus vi, si syllaba illa posita sit in thesi ante caesuram primariam; huius legis testes apud Manilium sunt versus hi:

---

[1]) II 332 *Quādrative fidem caeli per signa quădrata* Scaliger et Bentleius pro *quadrata* legunt *quaterna* omnium codicum auctoritate (teste Becherto) nisi.

I 10 *Das animum viresque* f a c i s *ad tanta canenda*
I 90 *Semper enim ex aliis* a l i a p r o *seminat usus*
I 876 *Nunquam* f u t i l i b u s *excanduit ignibus aether*
II 372 *Quod nimis* i n c l i n a t a e n e, *limisque videntur*
II 495 *Vertitur in* s e m e t o c u l i s, *in mutua tendunt.*

Huius tamen hexametri initium G multo elegantius tradit hoc: *In semet vertunt oculos.*

Eadem condicione hiatum admisit poeta locis duobus:
I 795 *Emeritus* c a e l u m e t *Claudi magna propago*
II 831 *Hic tenet arbitrium* v i t a e, h i c *regula morum est*,
quo in versu Bentleius, ut hiatum evitaret, *vitai* elisa *-i* vocali extrema legere maluit, sed iniuria; in codice M et in editionibus veteribus inter *vitae* et *hic* particula a t q u e interiecta est. Ceteris locis, quos Iacobus in indice editioni affixo s. v. h i a t u s affert, syllaba finalis brevis iniuria producitur: nam III 4 C o n o r e t *dignos* codices GM mutant in *Conor et indignos* itemque L habet *et ῑdignos*; III 188 pro n u m e r a b i s o r d i n e *partes* legendum est *in ordine;* IV 248 d u p l i c a r i e t *arte* M. Haupt (opusc. II 342 sq.) hiatu foedatam clausulam sanavit emendando *duplicare repertam*; denique IV 280 pro v i n c i t e t *noverit* cum L. Muellero (de re metr. p. 333) Bechertus (l. l. p. 52) maluit *sed noverit* scribere.

De syncope et synhaeresi.

S y n c o p e n patiuntur apud Manilium duo substantiva: p e r i c u l u m et v i n c u l u m; extremam enim hexametri sedem occupat casus p e r i c l u m substantivi locis his: I 414. III 127. IV 816. V 309. 652; v i n c l a legimus in extremo hexametro II 630. III 107. V 519. 552, in aliis versus partibus idem substantivum extat V 148. 615. 661; semel pronuntiatur v i n c u l a II 805 in quinto hexametri pede. Praeterea constanter legimus p r e n d e r e: II 127. III 388. IV 21 (codd. *pendere*); c o m p r e n d e r e: I 108. 348. 832. III 104. V 233; d e p r e n d e r e: I 63. 506. 822. 830. III 215 (ubi in G est *cōprendere*). V 297.

S y n h a e r e s e o s exempla cum apud Manilium occurrant nulla (praeter *cuique*), L. Mueller[1]) non temere iudicasse

mihi videtur, cum in *fortuitos* (I 182) *i* vocalem correptam esse contenderet. Dihaereseos exempla apud Manilium frustra quaeras.

De hexametri pedum nonnullorum proprietatibus.

Constat poetas Latinos secundum hexametri pedem rarissime verbo spondiaco vel dactylico formasse[2]); itaque apud Manilium tribus tantum locis sedes secunda verbo occupatur spondiaco:

II 346 *Continua inter se servant commercia rerum*
II 479 *Cernere ut inter se possent audireque quaedam*
IV 810 *Utque illa inter se coeunt odioque repugnant.*

Praepositione *inter* iam ante Manilium poetae saepe eodem hexametri loco usi sunt[3]), cum praepositio *inter* cum *se* verbo ab ea pendenti tanquam in unius verbi corpus coeat.

Duobus praeterea locis pedem hexametri alterum Iacobus verbo dactylico formatum esse vult:

II 619 *At cum Laniger impetitur sub utroque trigono*
IV 757 *Ultimus occulit os Ganges et trameat Indos*;

at in illo corrigendum est *Lanigeri partu,* cum codd. *lanigeri partus* exhibeant; in versu altero probabilis est haec emendatio Becherti[4]):

Ultimus est positus Ganges, qui transfluit Indos.

In versu denique III 604

Tertia forma est et summo iam proxima caelo

recte L. Mueller[5]) *erit* pro *est* substituit, ut dactylus pedem secundum efficiat, qui elisione posterioris *forma* vocis syllabae excusatur. In pede tertio, in quo eadem lex valet apud poetas Latinos, neque verbum spondiacum neque dactylicum in Manilii carmine legitur.

---

[1]) d. r. m. p. 258; cf. tamen ea, quae contra Muellerum disputavit W. Schmitz in mus. Rhen. XVII p. 457 sq. = Beiträge zur lateinischen Sprach- und Literaturkunde p. 60 sq. || [2]) cf. Froehde, de hexametro Latino, in Philol. XI (1856) p. 533. || [3]) cf. exempla, quae congessit Froehde l. l. || [4]) l. l. p. 59. Codices haec exhibent: GLV_2 *Ultimus et solidos ganges et transcolit india cancer*, V_1 *Ultimus & ganges et te colit india cancer*, M *Ultimus et solitus ganges c. i. c.* || [5]) d. r. m. p. 216.

Pes denique hexametri quintus efficitur verbo pyrrhichiaco praecedente verbo spondiaco uno loco:

I 521 *Idem semper erit, quoniam semper fuit idem.*

Eandem hexametri sedem occupatam verbo pyrrhichiaco praecedente verbo anapaestico apud Manilium frustra quaeras.

CAPUT II.

De flexione et de copia verborum.

Declinatio nominum substantivorum et adiectivorum.

De primae declinationis formis nihil monendum est, nisi probatum perperam esse Iacobo semel genetivum singularis numeri in *-ai* exeuntem V 340 *Nepai* ita, ut vocabulum bisyllabum sit: at et *-ai* genetivorum exitum constanter bisyllabum pronuntiarunt poetae Augusti aequales et in codicibus non *Nepai* legitur, sed aut *pari vix* (G C V_1) aut *parvis* (L) aut *puri* (M) aut *regione panis* (V_2), e qua lectione iam Scaliger *Nepae* restituit[1]). Genetivum pluralis in *-um* pro *-arum* formavit poeta IV 762 *Macetum*[2]).

De secundae quae dicitur declinationis genetivis substantivorum in *-ius* vel in *-ium* exeuntium in *-i* pro *-ii* formatis supra pag. 61 sq. verba feci. In casu recto pluralis numeri *-ii* exitu usus est poeta: habemus enim I 787 *Curii* (codd. praebent *Curius*) et unanimo codicum consensu I 789 *Decii,* ut legendum sit:

Certantes Decii votis pro *Certantesque Deci votis.*

Eundem casum a *deus* vocabulo derivavit poeta I 422 *di* (codd. *tumidi* pro *tum di*) itemque ablativum *dis* I 29. Genetivi formae in *-um* pro *-orum* cadunt in vocabulis his: *Argivum* I 694. *Danaum* I 765, *deum* I 803 (C *diuum,* G *diuum* ex *dium* correctum). II 441. *divum* I 752. 803. *virum* I 911. *squamigerum* V 678; contra eorundem vocabu-

---

1) cf. Bechert l. l. p. 59. ‖ 2) cf. Neue, Formenlehre der lat. Sprache I² p. 21.

lorum genetivi pluralis in *-orum* exeunt: *deorum* II 116. 840. 933. IV 908. *divorum* IV 546. V 18. 347. *virorum* III 10.

Tertiae declinationis nominativum singularis substantivorum in *-or* exeuntium semel in *-os* formavit poeta I 328 *honos,* quod vocabulum in *-os* cadens saepissime alibi occurrit[1]). Ablativum paucorum substantivorum Manilius antiquo more in *-i* exire voluit: sane iniuria Iacobus in editionis indice p. 199 nonnulla exempla attulit ut *orbi* I 229 et V 279: ibi enim teste Becherto (l. l. p. 41) cod. G *toti* — *orbi* praebet, ut dativus sit, hoc in versu *orbis* legendum est; *Sunt etiam rari sorti* I 813, quod cum Bentleio in *raris orti* mutandum est; denique in *vigori* (sic V_2 et L a manu prima) IV 846 *i* extremum in *e* cum codicibus GC V_1 M et altera manu codicis L emendandum est. Tribus locis Manilius ablativum revera in *-i* videtur formasse: *orbi* (omnes codices *orbis*) V 128[2]); *parti* II 726 (omnes codd. *partu*) et III 395 (G *parte,* V_1 *pti,* V_2 *parci,* L a prima manu *para iter rarum,* L a secunda manu *parat iter rarum*)[3]); *morti* III 617 (G *morbus,* L a prima manu *morq;*)[4]). Ablativus *igni,* qui I 832. II 56. IV 384. 498 occurrit, saepissime etiam ab aliis auctoribus receptus est[5]).

Ablativum singularis participiorum in *-ens* cadentium poeta, si adiectivorum loco eis utitur, in *-i* exire iussit, ut *ardenti* I 268. 322; *fluenti* IV 354; V 393 (sic G, ceteri codd. *fluentis*); *fulgenti* I 349; *vigilanti* III 46. 295. In ablativo absoluto autem participia in *-e* ablativum finiunt; neque graviter obstat V 534 *rivo saliente* (GCL V_2 *riuos alienate*) aut IV 791 *sub sole cadente*[6]) [CL $V_1 V_2$ *cadentẽ*] in hexametri clausula positum[7]).

---

[1]) cf. Lachmann ad Lucret. p. 424; Buecheler, lat. Declination p. 7; Neue l. l. p. 167 sqq. || [2]) Lucr. II 543. V 74. 707. 1166. VI 629. Neue l. l. p. 222. || [3]) Lucr. I 1111. III 611. IV 515. V 511. VI 721. Neue l. l. p. 237 sq. || [4]) Lucr. VI 1232. || [5]) Neue l. l. pp. 220 sqq. [6]) Eundem versus exitum *et sole cadente* legimus Verg. georg. III 401. || [7]) Participiorum in ablativo singularis in *-e* exeuntium exempla

In genetivo pluralis numeri poeta *-um* pro *-ium* habet in verbis his: *caelestum* I 26 [1]); *animantum* IV 374 [2]); *latentum* III 47; *serpentum* V 392 [3]); *volantum* V 87 [4]); *nascentum* II 726. 936. III 79. IV 408. V 537. 649 [5]); *parentum* II 947. V 540 [6]); *infantum* III 133 [7]) [V_1 *cunctantum*, codd. ceteri *intrantum*]. Denique extat genetivus *alituum* V 370 [8]).

Quam rationem in scribendo accusativo pluralis substantivorum parisyllaborum, substantivorum, in quibus ante *s* finale praecedit consona, adiectivorum, participiorum sectatus sit poeta, nullo modo discerni potest; in Iacobi editione accusativi modo in *-es* modo in *-is* exeunt, neque tamen ex apparatu critico textui subscripto cerni potest, quae codicum cum ceterorum tum codicis G lectio sit.

O vocalem finalem substantivorum tertiae quae dicitur declinationis Manilius modo producit, modo corripit: constanter producitur *o* sub ictu, ut metrum postulat, in *condicio, ratio, regio, seditio, statio.* In *caligo* constanter *o* producitur et in thesi (IV 309) et in arsi (I 127), in *Carthago* producitur in thesi IV 658; *Cato* correpta *o* vocali legimus I 797, in *Gorgo* producitur *o* in thesi V 577 [9]). In *leo* corripitur *o* I 266. II 246 (elis. in brev.) 497. 523 (elis. in brev.) 531. 666. IV 330. 382; IV 536 *o* eliditur in longam; II 229 recte Bechert cum Bentleio post *leo* interiecit *et*, ut *o* vocalis in longam elideretur. Itaque cum *o* constanter in *leo* corripiatur aut vocali sequenti hauriatur,

---

conquisivi haec: *cadente* I 241; *distante* V 338; *ducente* I 708; *fallente* I 240; *fugiente* I 161; *fulgente* I 826 (ita V_1V_2 M). V 59; *gaudente* II 142. IV 115; *iubente* II 562; *monstrante* II 223; *movente* V 209; *oriente* V 40; *redeunte* II 852; *revocante* II 101; *spectante* IV 60; *stante* V 622; *subdente* V 209; *surgente* I 241. V 325. 368; *trahente* V 59. ||
[1]) Lucr. VI 1274; Catull. 64, 191. 204; Verg. aen. VII 432. || [2]) Neue l. l. p. 267. || [3]) Neue l. l. p. 267 sq. || [4]) Lucr. II 1083; Verg. aen. VI 728. || [5]) Verg. georg. III 390. || [6]) Neue l. l. p. 265 sq. || [7]) Neue l. l. p. 267. || [8]) Lucr. II 928. V 801. 1039. 1078. VI 1216; Verg. aen. VIII, 27. Buecheler l. l. p. 42; Neue l. l. p. 283. || [9]) II 623 et IV 407 scribendum vel saltem pronuntiandum est *homost.*

recte Bechert iudicat V 698 esse interpolatum, cum hoc in versu *o* producatur [1]). *Nemo* vocalem *o* correptam habet IV 20, in *ordo* corripitur *o* III 86. V 736 (saepe praeterea *ordo* in extremo versu occurrit); in *valetudo* producitur *o* in thesi I 404. III 140, in *virgo* corripitur I 266. II 286. IV 382, producitur in thesi II 238. 248 (bis eliditur in *est* vel *et*). 442. III 410. V 588.

De declinatione substantivorum Graecorum.

In substantivis Graecis primae quae dicitur declinationis utitur Manilius in nominativo casu formis Graecis. Leguntur enim apud eum nominativi hi: *Cassiope* V 505. 537 (*Cassiepiă* I 354. 697); *Erigone* II 175. 499. 552. III 572. IV 189. 334. 542. V 251; *Helice* I 296. 634. IV 589; *Threce* vel potius *Thrace* (sic G C V_1 M L a manu secunda, *threce* L a manu prima) IV 691; *Olenie* V 130; *Crete* IV 634. (G C L V_1 V_2 *Creta*, M *cretę*; certe *Cretă* legendum est IV 785); (praeterea correpta ultima *Troiă* IV 24. 65); *boreas* IV 591. V 70. 105; *Bootes* I 316. V 20; *Orestes* II 583; *Pylades* II 583; *Euphrates* IV 800.

Genetivum substantivorum, quae in *-a* vel in *-as* exeunt, cadere iubet Manilius in *-ae*, ut *Andromedae* V 538. 620; *boreae* I 685; V 330 autem cum Bentleio pro *boreae* legendum est *citharae*. Substantivorum in *-e* cadentium genetivum in *-es* formari uno videtur probari exemplo — versum enim IV 780, in quo Iacobus *Zmyrnes* legit, proscribimus cum Bentleio — *Erigones* IV 469, ubi tamen codd. omissa *s* consona *Erigone* praebent.

Accusativi substantivorum in *-a* et in *-as* exeuntium cadunt in *-am* iis locis, ubi non sequitur vocalis. Legimus enim *Andromedam* I 350 (codd. GCLM ablativum *Andromeda* recte exhibent). 356. V 23. 545 quamquam hoc loco, ubi C *Andrometă*, V_1 M *Andromedam* tradunt, etiam in G *Andromedan*

[1]) l. l. p. 55; omisit Bechert in enumerandis exemplis II 531 *victus Leo fulget*, itemque IV 536, ubi *o* in longam eliditur.

extat correctum in *Andromeden*). 658; itaque etiam II 28 non *Andromeden* sed *Andromedam* scribendum conicio. Praeterea habes *Medeam* V 35, *boream* I 314. 372 (quamquam in G et C *borean* est). 566; contra *borean* IV 646, cum vocalis sequatur. In substantivis in *-e* vel in *-es* desinentibus constanter posuisse Manilius videtur *-en*: conf. *Creten* IV 788; *Phoeben* II 913. III 197. IV 847; *Daemonien* II 897; *Libyen* IV 661 (G *libyan*, CLV_1V_2 *libyam*) [contra *Libyam* IV 779 sequente vocali]; *Erigonen* II 32 (sequitur vocalis; sic V_1, *Erigonem* LV_2, *Erigonẽ* [id est Erigonem] GC). 406. 507. (quamquam utroque loco codd. *-em* praebent). 559 (G *Erigone*, ceteri *Erigonem*); *Heliecn* I 218. IV 792; *syboten* V 126 (ex coni. Scaligeri); denique cum Bentleio I 763 *Tyditen* pro *Tydidem* restituendum est, cum in patronymicis ubique *-en* forma docti poetae utantur[1]).

Vocativum *Philoctete*[2]) producta *e* vocali legimus V 300 non secus atque apud Ovid. Met. XIII 329 in eadem hexametri sede.

Ablativus non legitur nisi I 350 *Andromeda* et V 573, ubi sine dubio *in Andromeda est* (G *andromedẽ*) restituendum est.

Nominativum substantivorum, quae generis sunt masculini aut feminini, et quae secundam declinationem sequuntur, Manilius modo in *-os* modo in *-us* videtur terminasse; habemus sane si non omnium, at certe optimorum codicum auctoritate confirmatas formas has: *Cypros* IV 635; *Epiros* IV 690; *Hesperos* I 178; *Rhodos* IV 764. In aliis exemplis codices plerique *-us* exararunt: *Arctus* I 502 (sic GL, *Arctos* CMV_1; in V_2 desunt versus 502 et 503); contra *Arctos* V 694. *Heniochus* I 362. V 20. 69. *horoscopus* II 829. III 200. 440. 504. 608 (sic GLV_1, *horoscopos* V_2); contra *horoscopos* III 389 (sic codd. omnes). 518 (sic GLV_2, *horoscopus* V_1). *Nilus* I 44 (V_2 *Nilos*). III 273. 634. IV 751. *Olympus* V 18. *Ophiuchus* I 331. *Phoebus* saepe legitur. *Scorpius* legimus I 690. II 229.

1) Neue l. l. I² p. 57 sq. || 2) ibid. p. 40.

544. 633. 636. 667. IV 321. 383. 477. 553. 707. V 698; contra *Scorpios* II 213 (quod Iacobus hoc loco legit *Scorpion* tertiae declinationis nominativum, improbandum est, cum nominativos in *-on* exeuntes Manilius producat) [1]. 237 (*Scorpios* GV_1V_2 et L a manu prima, *Scorpius* L a manu secunda et CM). 254 (sic GL). 258 (sic GL). 407 (sic GL). 443. 462. 557. III 574. IV 344.

Accusativus vocabulorum Graecorum in *-um* desinit exemplis his: *Corinthum* IV 611. *Epirum* IV 611. *Hellespontum* IV 679. *Heniochum* I 696. *Ithacum* I 764. *Nilum* IV 601 (sic M; ceteri codd. *nihilum*). *Pylium* I 764. *Tenedum* IV 638 (sic GLV_1V_2); in *-on* locis his: *Arcton* I 566. *Delon* IV 637. *horoscopon* III 190. 205 et in versu adulterino III 538. *Iolcon* V 34. *Rhodon* IV 637. *Scorpion* I 268. II 365. 499. 502. 513. 552 (coni. Iacobus, codd. *geminumque sub arcu*). *tartaron* II 46 (coni. Scaliger).

In substantivorum neutrius generis et nominativis et accusativis utitur forma Graecanica in uno vocabulo *Deltoton* I 353. V 715; contra *dodecatemorium* in GLV_1V_2M est II 700 et 741, idemque habet V_2 II 736 (ubi *dodecatemoriis* est in $GCLV_1M$); *daemonium* II 938; in *Illyricum* IV 611 eliditur *-um*.

Nominum propriorum in *-eus* exeuntium accusativum item atque alii poetae in *-ea* Manilius formavit: *Nerea* V 434. *Persea* I 697. II 28 (ex coni., codd. *Persi*, nisi quod M *Persei*). V 568. Genetivus *Atrei*, qui in Iacobi editione V 462 legitur ita, ut verbum bisyllabum fiat, cum codicibus $GCLV_1M$ in *atri* mutandus est.

Substantivorum Graecorum, quae tertiam declinationem sequuntur, nominativi hi sunt: *Babylon* IV 804. *Deucalion* IV 833. *Orion* I 392. 502. V 12. 58. 724. *Platon* I 774 (sic M). *Procyon* I 412. V 197. *Solon* I 773. *horizon* I 665. *Phaeton* IV 834. *Actaeon* V 183. *Argo* V 36. *Gorgo* V 577. *Phorcys* V 586 (ex coni. Is. Vossii).

---

[1]) Bechert l. l. p. 28.

Cepheus[1]) I 354. V 23. 450. *Nereus* V 196. *Orpheus* I 325. V 327. *Perseus* I [350]. 358. V 22. 594. 601. 613. *Salmoneus* V 91. *Typhoeus* II 879. *aër* IV 483. *aether* I 876. V 744. *crater* I 418. V 235. 250. *Charybdis* IV 421. *Illyris* IV 691. *Nereis* V 564. *Parthĭs* IV 803. *Persĭs* IV 750. *Propontis* IV 749. Substantivorum in *-on* exeuntium ultimam produci iam supra pag. 82 monui.

Genetivum poeta Graeco more in *-os* formare solet: *Caridos* IV 799 (ex coniectura Bentleii). *Cepheidos* I 436. *Phasidos* IV 517. V 377. *Propontidos* IV 616. 679; contra legimus: *Colchidis* V 34. *Gorgonis* I 359. *Maeotis* (pro *Maeotidos*) IV 617. 678. *Minois* IV 784. *Persidis* I 776. denique *aëris* I 203. 249. *aetheris* I 286. II 793. IV 889.

In accusativo utitur Manilius formis Graecis; conferas: *Acheronta* I 93. *aëra* I 14. 153. 158. 279. 815. 860. II 357. III 52. IV 499. *aethera* I 489. II 36. 74. 907. III 333. V 600. *Arctophylaea* I 565. *Aulida* IV 638. *Colchida* III 9. IV 517. *elephanta* V 706. *Hectora* III 8. *Helicona* I 4. *Oriona* I 387. *Pana* II 39. *Persida* V 49 (ex coniectura Is. Vossii). *Typhona* IV 581. *Tiphyn* V 45 (GMV$_1$ *tiphĩ*, CL *thiphũ*, V$_2$ *tiphinn*); contra *Charybdim* IV 605 et *Tanaim* (ex coniectura Scaligeri et Bentleii) IV 677[2]), sed V 45 *Phasin,* cum sequatur vocalis; denique *tigrim* V 708. Duorum substantivorum Graecorum accusativum in *-em* formavit: *Bellerophontem* V 97 et *Phaétontém* I 736 (GCLV$_1$V$_2$ *Phetontem*).

In plurali numero nominativos substantivorum Graecorum excerpsi hos: *Arcadĕs* IV 768. *Gigantes* V 342 (in fine versus). *Hyades* I 371. V 119. 127 (*-ēs* tribus his locis producitur sequente consona). *Pleiades* I 371 (*-ēs* producitur sequente consona).

---

[1]) De nominibus Graecis in *-eus* exeuntibus cf. Th. Birt in Mus. Rhen. XXXIV p. 26 sqq. In exemplis supra commemoratis *-eus* syllaba sub ictu posita est praeter haec in fine versus collocata: *Cepheus* V 23. *Orpheus* I 325. V 327. *Typhoeus* II 879; praeterea ter *Perseus* dactylum efficit: [I 350] in pede quinto, V 594. 601 bis in pede primo; posteriorem versum Bentleius proscripsit. || [2]) Neue l. l. I^2 p. 207 sqq.

Accusativum modo in *-as* formavit modo in *-es*: *Arabas* IV 654 (sequitur consona); contra *Arabes* IV 754 (sequitur consona; sic GCLV₁, *Arabas* V₂). *Cyclades* IV 637 (sequitur consona; sic GCLV₁V₂). *elephantăs* IV 667 (sic GLV₂, *elefantes* CV₁, *elefantos* M); contra *elephantes* IV 740 (sequitur consona; sic V₂ M, *elephantum* GCLV₁). *Gigantes* I 421 (sic codd., in fine versus). *heroăs* V 483. *lampadăs* I 846. *Pleiadas* V 142 (sequitur consona; sic LV₂, *Pleiades* GV₁). 711 (sequitur consona). *Titanasque* II 15. denique *Syrtîs (Σύρτεις)* IV 600.

De heteroclitis.

Ex adiectivorum numero unum heteroclitum enotavi *acclivus* I 233, ubi *acclivis* dativus pluralis occurrit, cum II 918 *acclivia* legatur; *declivia* accusativum pluralis neutrius generis a *declivis, -e* derivatum habes I 233.

Substantiva heteroclita enumero haec: nominativus substantivi *materies* vel *materia* casus, ubicumque metrum flagitat, quintae declinationis normam sequitur: cf. I 131. 136. II 785. III 29. 588. IV 88. V 448. 522; genetivus primam declinationem sequitur II 114. IV 931. V 509; in accusativo *materiam* legimus I 822. II 190. IV 248. 714 (cod. V₂ *-em*), in ablativo *materia* IV 293.

Frenum substantivi pluralem in *-i* exire voluit Manilius I 924. III 682 (bis: *frenos*); contra accusativum *frena* legimus IV 232. *Sucus* accusativus pluralis more apud posteriores non insolito traditus est III 144. Quod in cod. V₂ IV 264 legitur *lacos*, quam »solitam esse in aquis formam« Iacobus dicit, sine dubio in *lacus* mutandum est, quam formam IV 38. V 680 legimus; itemque IV 333 *flexos* in *flexus* cum codice G corrigendum est.

Praeter *senectus* nominativum, qui semel I 519 occurrit, poeta IV 257 eundem casum in *-a* formavit, item legitur *senectam* II 855. IV 156, *senectâ* I 115. 764. Porro constanter legimus *iuventam* II 848. III 613. IV 157. V 111 (alius casus nullus occurrit).

A *vesper* substantivo ablativus *vespere* derivatus est I 872, cuius vocabuli apud Manilium ceteri casus non leguntur praeter nominativum.

Praeterea commemoro *compede* ablativum V 187. 663: quod substantivum grammaticorum testimonio plurale tantum est, ita tamen, ut ablativus singularis saepe occurrat[1]). Item admisit poeta *ambagine* ablativum IV 304 ab *ambago* substantivo derivatum. Denique *spolium* scripsit I 360. II 32. IV 179. V 572 more Vergiliano et Ovidiano.

De declinatione pronominum.

Pronominis personalis secundae personae accusativus semel insignis est adiecto *-met* suffixo III 324 *temet.* Eodem modo eundem tertiae personae casum formavit I 869. II 128. 470. 495. IV 294. 540. 839. 873; ablativum II 581. 634; denique dativum IV 439. *Sese* accusativus geminatus extat II 409. IV 579. 831.

Pronominis possessivi personae tertiae (*suus*) dativus vel ablativus pluralis tribus locis *-met* suffixo adiecto formatus est *suismet* IV 43. 134. V 214.

De pronominis demonstrativi *is, ea, id* et *idem, eadem, idem* formis haec monenda sunt: Dativum singularis *ei* semel I 285 producta paenultima[2]) pronuntiavit Manilius Lucretii exemplo obsecutus (II 1136. III 556. V 284. 754. VI 674); in *eidem* dativo monosyllabum est *ei* III 73[3]). Nominativus pluralis *īdem,* quo Manilius semel utitur (II 518), bisyllabus est, item dativus vel ablativus pluralis *isdem* (I 186. II 97. III 78. 487. IV 510. 589. 652). Ablativum *eis* correpta paenultima habes II 744, itemque *eisdem* correpta antepaenultima II 707. Denique monendum est formam priscam *ollis,* quae in Iacobi editione I 427 circumfertur, non niti librorum manu scriptorum fide.

Pronominis *qui, quae, quod* dativus et ablativus

---

[1]) Neue l. l. I² p. 453. || [2]) cf. L. Mueller, d. r. m. p. 272. || [3]) d. r. m. p. 271.

pluralis pronuntiantur *quîs* locis his: I 377. 448. 488. II 161. 455. III 300 (ex coniectura); 511 (coni. Iacobus; *Quę* GCV$_1$ M, *Quiqꝫ* V$_2$; *Quiq.* L, ab altera manu correctum in *Que*). IV 133. V 2. 281. 475; item *quîscunque* II 337.

Hoc loco pauca addam de quantitate *i* vocalis, qua dativus singularis pronominum personalium conspicuus est, quam vocalem Manilius cum plerumque corripiat, nonnullis locis producit. In *mihi* corripitur *i* finale undeviginti locis, producitur I 120; in *tibi*, cum ultima viginti duobus locis corripiatur, producitur locis his: II 417. 448. III 503. IV 336. V 241. 592. [III 448 *tibist* pronuntiandum est]; in *sibi* vocalis *i* viginti uno locis correpta producitur I 81. 240. 360. 630. 651. 821. 857. II 223. 606. 922. IV 439 (*sibimet*). V 55. 496.

In genetivis in-*ius* cadentibus pronominum *ille*, *illa*, *illud*, *ipse*, *ipsa*, *ipsum* poeta *i* vocalem modo corripit, modo producit. In *illius* corripitur *i* III 335. V 492; producitur in arsi III 92. In *ipsius* paenultima corripitur I 420. IV 336.

De numeralibus.

In *unius* genetivo paenultima modo producitur, modo corripitur: correpta est III 549. IV 552; producta in thesi II 330, in arsi II 11. 566. III 25. IV 34. In *totius* constanter produci *i* vocalem obiter moneo; producitur enim in thesi I 170. IV 513, in arsi II 321. V 222.

Duo numeralis accusativum masculini generis Manilius semel in -*o* exire passus est II 661 *duo cernere pisces,* cum tribus locis *duos* praetulerit: I 633. II 162. III 610. Praeterea monendum est *o* finale in *duo* a poeta optimorum poetarum exempla secuto constanter corripi.

De flexione verbi.

Fere constanter apud Manilium verba contrahuntur in perfecti et plusquamperfecti et indicativo et coniunctivo, praeterea in futuro exacto et in in-

finitivo perfecti: cf. *certarunt* I 82. 918. *flagrarunt* I 748. *fluitarunt* I 746. *gustarunt* II 55. *pugnarunt* III 264. *signarunt* I 53. *implerunt* I 909. IV 858. *norunt* I 277. 475. III 583; *locarat* III 70. *strarat* I 776. *norant* I 430; *crearint* I 140. *fraudarit* V 321. *lustrarit* I 514. *negarint* V 478. *peccarit* IV 104. *signarit* II 338. *noris* III 249. (contra *noverit* IV 210. 280. V 645); *dictasset* II 124. *finisset* V 1. *nutrisset* IV 26. *repetisset* IV 31; *coisse* I 485. *isse* I 730. *mutasse* I 733. *nosse* II 115. III 34. V 277 (contra *novisse* I 16. 78). *notasse* II 966. *numerasse* II 297. 331. *vocasse* II 244.

Personam tertiam pluralis perfecti indicativi saepe in *-ēre* pro *-ērunt* formavit. Exempla excerpsi haec: Initio hexametri leguntur: *amisere* II 306. *astrinxere* V 552. *defluxere* V 557. *dixere* IV 849. *emersere* I 165. *quaesivere* I 423; *-ēre* in pede hexametri altero occurrit: *dixere* I 292; in pede tertio: *fecere* I 133. 633. *habuere* I 772. *movere* I 51. *potuere* II 586. *struxere* I 139. *videre* I 52. 522. *vinxere* I 48; in pede quarto: *dixere* IV 298; in pede quinto: *cecidere* V 342. *didicere* I 91. *dixere* II 25. 218. *fecere* V 561. *genuere* V 126. *haesere* V 558. *invidere* II 143. *planxere* V 559. *rediere* II 878. IV 71; in hexametro extremo: *tulere* II 27. Eadem persona in *-ĕrunt* correpta paenultima cadit semel II 877 *exstitĕrunt*, quam formam Scaliger e codicum lectione *exstiterint* (M *extiterant*) feliciter resuscitavit.

Imperativus a verbo *diducere* derivatur *diduc* III 423, ubi codices *id ducit* exhibent; Iacobus male edidit *id ducito in* [1]), L. Mueller [2]) recte *diduc id* emendavit.

E passivi formis poeta futuri secundam personam singularis semel in *-ēre*, non in *-ēris* formavit III 329 *degrediere*; eadem persona praesentis coniunctivi in *-re*, non in *-ris* exit I 557. 859. 904. II 201. 423. 951. IV 394. V 231 (omnibus octo locis *mirere*); formae in *-ris* desinentes, nisi quid me fugit, apud Manilium non leguntur.

---

[1]) cf. supra p. 70. || [2]) d. r. m. p. 221. cf. Bechert l. l. p. 54 sq.

In editionibus nonnullis legimus priscum infinitivum praesentis in *-ier* desinentem IV 248 *duplicarier*, qui infinitivus non est in ceteris praeter M codicibus, qui *duplicari et* exhibent; optime coniecisse M. Hauptium *duplicare repertam* supra pag. 75 commemoravimus.

Postremum memoratu dignum est Manilium in verbis deponentibus quartae quae vocatur coniugationis *-i* vocalem aliquotiens corripere. Legimus enim *potĭtur* I 572. *potĭmur* IV 884. *exorĭtur* V 207; contra idem producit *i* vocalem in *potīris* IV 759 et in infinitivis *oriri* III 224 et *potiri* IV 337. 392. Quamquam constat fere constanter in *potitur* forma *i* corripi excepto uno epistolarum Ovidii loco (epist. 14, 113), ubi *i* vocalis producta est[1]), itemque in *exoritur* saepissime *i* corripi[2]).

De archaismis.

Nepai genetivum (V 340) in *Nepae* mutandum esse supra monui pag. 77, item pag. 85 *ollis* dativum (I 427) in codicibus non extare.

Praeter has formas antiquas iniuria a Iacobo in textum receptas leguntur hae: *itiner* I 88; *clepsisset* I 27; *apiscendis* III 146. Contra *cludere* verbi antiqui formae, quae in Iacobi editione offendunt I 274. 365. IV 472. 476, in *claudere* mutandae videntur, cum uno tantum loco (I 365) teste Iacobo codicibus omnibus *cludentes* traditum sit; nam I 274 *claudentis* praebet G, *cludentis* L, *ludentis* V_1 V_2; similiter IV 472 et 476 *cludit* non legitur nisi in cod. V_2. Denique *diu* pro *die* positum IV 823 in omnibus codicibus legitur.

De copia verborum.

Ἅπαξ εἰρημένα apud Manilium legi haec: *decircinare* I 296. III 326. *delassabilis* IV 242. *glomerabilis* I 221. IV 522. *hostifer*[3]) I 430 (Iacobus haud male *pestifer* scribit).

---

[1]) cf. W. Zingerle, Untersuchungen z. Echtheitsfrage der Heroiden Ovids 1878. p. 4; Neue l. l. II[2] p. 418. || [2]) Neue l. l. II[2] p. 417. || [3]) cf. de adiectivis cum *-fer* et *-ger* compositis Bernhardus Deipser in Dissertationum Argentoratensium vol. V. pag. 218 sqq.

indelassatus V 63. *perodisse* V 415 (*perosus* legitur apud Vergilium etc.)

Vocabula primum apud Manilium occurrentia haec enotavi: *breviare* III 434 (Quintil. etc.). *circumstrepere* I 23 (Iustin. Sen. philos. Tacit. Gell. Apul. etc). *emutare* V 149 (Quintil.). *generabilis* I 143 (Plin.). *inspectus* IV 901 (Sen. rhet.; Sen. philos.; Amm.). *perterere* I 628 (Colum.; *pertritus* Sen. rhet. et Sen. philos.). *nutricium* (in accus. plur.) III 133. IV 879 (Sen. philos.). *spicifer* II 442 (Mart.; inscriptio Orell. 5863). *triplicare* III 466. 577 (Plin. etc.).

Adiectiva deminutiva notabilia sunt haec: *parvulus* IV 927. *quantulus* V 593 (cf. Huschke, Tibull. IV 1, 196).

~~Reliqua propediem edentur in Dissertationum philologicarum Argentoratensium volumine VII.~~

CAPUT III.

De particularum collocatione.

De collocatione et usu *et, que, ac, atque, nec, neque* copularum.

Et copulam, quam Manilius plerumque primo enuntiati loco ponit, haud raro secundo loco positam animadverti. Loci sunt fere hi: I 88. 115. 167 (ex Iacobi coniectura). 192. 193. 199. 572. 581. 610. 726. 739. 762. 776. 801. 814. 846. II 15. 93. 119. 185. 236. 248. 370. 437. 441. 510. 525. 632. 639. 718. 743. 773. 879. 895. 930. 932. 949. 956. III 6. 37. 70. 92. 145. 453. 469. 630. 664. IV 30. 32. 65. 101. 157. 158. 232. 247. 249 (bis). 276. 388. 513. 613. 617. 660. 708. 774. 775. 811. 863. 882. 890. 935. V 3. 22. 34. 134. 139. 178. 225. 245. 296. 302. 304. 337. 377. 441. 454. 536. 549. 564. 604. 614. 622. 645. 724. 745. Tertium enuntiati locum *et* copula occupat: I 44. 261. 619. II 290. 635. 941. III 251. 666. IV 353. V 656. Denique

quartum locum I 336 (ex Iacobi coniectura, in codd. *et* non legitur). II 464.

Ad adiungendum in enumerationibus tertium enuntiati membrum *et* copula usurpata est locis duobus: II 523 *Aries, Leo et Arcitenens* et IV 150 sq. *Laudis amor, tacitae mentes et corpora tarda Mole valent.*

Eandem *et* copulam poeta adhibet ad formanda polysyndeta locis duobus: III 129 sqq. *qua constat honoris Condicio et famae modus, et genus, et specioso Gratia praetextu* et IV 180 sqq. *Hoc habet, hoc studium, postes ornare superbis Pellibus, et captas domibus praefigere praedas, Et pacare metu silvas, et vivere rapto.*

Que particula cum in universum primo enuntiati vocabulo adnecti soleat, tamen, si primum illud enuntiati vocabulum praepositio est, plerumque substantivo ab ea pendenti adiungitur. De qua collocatione iam Lucretius decedit, cum *que* copulam saepe alteri enuntiati verbo adnectat, quamquam prius praepositio non est [1]); praeterea idem saepe *que* copulam praepositioni adiungit [2]). Manilius locis haud multis *que* copulam alteri enuntiati vocabulo adnectit: I 11 *iam propiusque.* 808 *vigeat quandoque.* II 39 *ritus pecorumque* (codd. LC omittunt *que,* G exhibet *pecorum ritus*). IV 269 *operum pontesque.* 682 *fluctibus excepitque* (G omis. *que*). V 323 *sua datque* (L *sua detque,* ceteri *suadetque,* M *madetque*); praeterea conferas II 700 *bis senaque.* III 616 et IV 482 *bis sexque.* V 491 *bis sextamque,* quibus quidem verbis una notio, »duodecim« vel »duodecimam«, significatur. Tertio enuntiati vocabulo affixum habes *que* I 847 *praecipites stellae passimque volare videntur.*

Que copula adnexa est substantivo vel adiectivo a praepositione pendenti locis his:

I 94 *in noctemque.* 239 *sub pedibusque.* 793 *per tresque triumphos.* II 885 *in peiusque.* IV 128 *in iugulumque.* 364 *in pluresque modos.* 435 *in vanumque.* 887 *in caelumque.* V 169 *per totumque — corpus.* 396 *in caelumque.* 413 *in lucemque.* 624 *per noctesque* (Bentleius et

---

[1]) Lachmann, ad Lucr. p. 113 sq. || [2]) Holtze, synt. Lucr. lin. p. 174 sq.

Iacobus: *pernoctesque*). 686 *ad bellumque* (Scaliger et Bentleius et Iacobus: *adpelluntque*).

Saepius tamen *que* particulam cum praepositione conectit Manilius:

cum praepositioni adiungitur: I 642 *cumque loco.* IV 236 *cumque elephante.* V 400 *cumque suis domibus.* || *eque* legimus: II 947 *eque illis* (ex Bentleii coniectura pro *ex illo*). IV 48 *eque crepidinibus.* 149 *eque suo-aratro.* V 265 *eque Arabum silvis* (ex Bentl. coni.). || *inque:* I 50 *inque deum-tulit* (ubi tamen *in* praepositio a *tulit* tmesi seiuncta est). 487 *inque illa.* II 275. 341. 468. III 640. IV 302 *inque vicem.* II 493 *inque ipsos-pisces.* 571 *inque odium.* IV 64 *inque rogo.* 85 *inque suas-poenas.* 369 *inque alio.* 541 *inque epulas.* 557 *inque arva.* 597 *inque sinus.* 877 *inque ipsos census.* V 216 *inque rogo.* 584 *inque ipso-ore.* 705 *inque artes.* || *perque:* I 213 *perque omnia.* 284 *perque ipsum-orbem.* 619 *perque pedes.* 627 *perque Lyram.* 725 *perque ipsos-nexus.* 913 *perque-vestigia.* II 41 *perque horrida-rura.* 589 *perque tot aetates.* 760 *perque pedes.* III 394 *perque suos-gressus.* 523 *perque alterna-sidera.* IV 160 *perque omnia.* 360 *perque decem-partes.* 720 *perque coloratas-gentes.* V 87 *perque-equos* (ex Bentl. coni.). 144 *perque dapes.* 318 *perque magistratus.* 518 *perque caput.* || denique *postque:* IV 38 *postque tuos-lacus.* 159 *postque ipsos* (ex Bentl. coni.). V 314 *postque gregem.* Praeterea commemoro II 723 *pluribus inque modis,* ubi *que* copula praepositioni anastrophes artificio collocatae affixa est.

Que copula Manilius saepe eo modo utitur, ut, ubi complura membra inter se coniunguntur, *que* adnectatur aut ultimo, aut omnibus excepto primo. Prioris generis exempla pauca praesto sunt:

II 404 sqq. *Solstitium brumae, Capricornum opponere Cancro, Lanigerum Librae — Piscibus Erigonen, Iuveni que Urnaeque Leonem.* || II 658 sq. *Ver Aries, Cererem Cancer, Bacchumque ministrans Libra.* || IV 288 sq. *Navales etiam pugnas, pendentia bella Attribuunt, pelagique infectos sanguine fluctus.* || V 740 sq. *Sunt stellae procerum similes, sunt proxima primis Sidera, suntque gradu* cett.

Ex alterius generis exemplis affero haec:

II 61 *Infusumque deum caelo terrisque fretoque* || II 723 sq. *Pluribus inque*[1]) *modis rerum natura locavit, Deduxitque vias, voluitque per omnia quaeri* || II 796 sq. *Quo defessus equis Phoebus subsistit anhelis, Declinatque diem, mediasque examinat umbras.* || II 899 *Conde locum numenque dei nomenque po-*

---

[1]) *que* post negationem = *sed.*

tentis. ‖ III 62 sq. *Phoebum Lunamque vagasque — stellas.* ‖ III 95 — *positura operum, nomenque genusque.* ‖ III 160 sq. *Et quoniam certo digestos orbe labores Nominaque in numerum, viresque exegimus omnes.* ‖ IV 156 *Arma procul lituosque*[1]) *volunt tristemque senectam* ‖ IV 566 — *Trebiam Cannasque lacumque.* ‖ IV 588 sq. *Nascentem, lapsumque diem, mediosque calores, Teque, Helice, —* ‖ IV 901 sq. *Unus in inspectus rerum, viresque loquendi, Ingeniumque capax, variasque educitur artes.* ‖ V 220 sq. *Effrenos animos violentaque pectora finget Irarumque dabit fletus odiumque metumque.* ‖ V 237 — *campos amnesque lacusque* ‖ V 466 — *natos fratremque patremque.*

Praeterea *que* copula adnectitur utrique duorum membrorum, quae ἐκ παραλλήλου posita sunt, ita ut constanter correpta sit[2]), exemplis his:

I 7 *princepsque paterque.* 70 *variosque dies incertaque noctis tempora.* 96 *finemque manumque.* 146 *hominemque deumque.* 208 *solisque orbem lunaeque rotundum.* 253 *faciatque feratque.* 342 *cursumque habitumque.* 360 *spoliumque sibi pestemque videnti.* 371 *Pleiadesque Hyadesque.* 443 *inter solisque vias Arctosque.* 537 *veniuntque caduntque.* 569 *lucemque moramque.* 578 *noctemque diemque.* 650 *caelique imum terraeque supremum.* 763 *terraeque marisque.* 862 *sequiturque fugitque.* 904 *rerumque hominumque ruinas.* II 2 *regemque patremque.* 88 *redditque rapitque.* 106 *linguamque capaxque ingenium volucremque animum.* 130 *pondusque fidemque.* 327 *transitque refertque.* 903 *causaeque deique.* 957 *recipitque refertque consummatque diem.* III 231 *noctemque diemque.* 266 *noctemque dies, lucemque tenebrae.* 383 *noctesque diesque.* 396. 463 *noctemque diemque.* 572 *geminatque diem, geminatque trientem.* IV 23 *vitaeque necisque.* 76 *laeduntque cibi, parcuntque venena.* 98 *cogatque regatque.* 446 *septemque novemque.* 549 *vitaeque necisque.* 571 *si quem sanctumque velis castumque probumque.* 682 *excepitque Iovem taurumque resolvit.* 763 *terraque marique.* 772 *noxque diesque.* 775 *tollitque premitque.* 795 *terraeque marisque.* V 49 *facietque tegetque.* 307 *somnumque animamque.* 554 *vultusque pudorque.*

Denique *que* copulam praegressa negatione adversative positam repperi, nisi quid me fugit, II 722 sq.:

Nec genus est unum, ratio nec prodita simplex,
Pluribus inque modis rerum natura locavit.

De *ac* et *atque* coniunctionum usu egerunt M. Haupt[3])

---

[1]) *que* omisit codex G. ‖ [2]) Lachmann ad Lucr. p. 75. ‖ [3]) opusc. I p. 107 sqq., cf. Lachmann ad Lucret. p. 173.

et post eum S. Kleemann[1]). Nusquam invenitur apud Manilium optimos poetas Romanos secutum *ac* aut ante vocalem aut ante *c, g, q* litteras collocatum; nam quod apud Iacobum legitur II 283 *Per totidem sortes diiuncta ac condita mundo*, non confirmatur libris manu scriptis, qui omnes recte *desunt quae condita* defendunt. *Atque* particula legitur ante *c* litteram I 232 et II 870; ante *q* non legitur nisi IV 478 ex incerta Iacobi coniectura (G praebet *et quae ter quinta*); ante *g* apud Manilium non occurrit. Manilius utitur *ac* coniunctione locis his: I 399. 483. 497. 646. 705 *(ac veluti)*[2]). 805 *(ac prius)*. 856. 871. 891. II 43. 69. 85. 86. 89 *(ac* codd. G et L, cett. *et)*. 118. 132. 150 *(ac primum)*. 640. 670 *(ac veluti)*. 772 *(ac velut)*. 931. III 215. 322. IV 205. 420. 445. 669. 698. 701 *(ac velut)*. V 75. 194. 284. 308. 310. 452. 522 *(ac ne)*. 550. 598. 653. *Atque* ante consonam collocatum locis his extat:

I 232 *a. cadens.* 236 *a. ferarum.* 681 *a. trecentas.* 691 *a. sagittam.* II 156 *a. ferarum.* 280 *a. sagittari.* 500 *a. sagittifero.* 528 *a. ferarum.* 558 *a. leonem.* 601 *a. nefas.* 777 *a. ferarum.* 936 *a. patrum.* III 259 *a. novem.* 519 *a. dies.* IV 210 *a. notis.* 339 *a. dies.* 377 *a. ferarum.* 478 *a. quater* (ex Iacobi coni.)

Ante vocalem vel ante *h* copulam *atque* legi locis nonaginta uno.

Ac et *atque* copulas Manilius constanter primo enuntiati loco ponit, nisi quod tribus versibus *atque* alterum locum obtinet: I 157 *tenues atque evomat auras.* 426 *montibus atque aliis.* III 340 *longius atque aliis.* Ad formanda polysyndeta *ac* vel *atque* particulas Manilius nunquam usurpat.

Inter negativas particulas Manilius multo rarius utitur *neque* particula quam *nec*. Occurrit *neque* ante consonam collocata I 182 (ante *f*). 212 (bis, ante *pr* et *f*; GCLM secundo loco [ante *f*] rectius *nec*). II 55 (ante *d*). 131 (ante *d*). 665 (ante *t*). III 301 (ante *p*). IV 89 (ante *p*). 110 (ante *m*). V 720 (bis, ante *p* et *t*); ante vocalem eandem copulam legi III 165. 376. 444 (ter: *neque enim*). III 238 *(neque ullam)*. *Nec* occurrit

[1]) De libri tertii carminibus quae Tibulli nomine circumferuntur. Argentorati 1876. p. 32 sq. || [2]) cf. Haupt, opusc. I 110 sq.

paene semper ante consonas (etiam ante *c* et *q*), ante vocalem vel ante *h* I 137. 542. II 56. 137. III 527. IV 20. 305. 469. 470. V 152.

Altero enuntiati loco collocatae sunt *neque* vel *nec* particulae I 141. 473. II 56. 722. III 9. 165. 302. 670. IV 20. 112. 271. 468. 738. V 51. 106. 108.

Nec non deprehenditur II 504. IV 450. 560. 834. V 85. 322; *nec non et* I 779. II 634. 660. 955. III 63. V 115. *Nec* pro *ne quidem* positum est IV 183; semel *nec* pro *et non:* I 378 *nec transita regna.*

Neque-neque utitur Manilius V 720; *nec-nec* I 77. 291. 473. 519 sq. 887. II 137. 216 (Iacobus: *ter-ter*). 722. IV 272. 305. 470. V 316 sq.; *nec-nec-nec* I 382 sq. IV 459 sq. 469; *nec* quater positum est II 75 sq., sexies IV 380—382; *neque-nec* inveni I 182 sq. I 212 (cf. p. 93). II 55 sq.; *neque-nec-nec* I 137. II 78. 665 sq.

Hoc loco pauca afferam de usu particularum correlativarum: *tum-tum* legi I 69. 412 ‖ *tum-cum* I 501 ‖ *modo-modo* II 649. III 557 ‖ *modo-nunc* I 835 et 838. IV 854 sq. ‖ *modo-post* I 231 ‖ *nunc-nunc* I 191. II 208. 349. 401. 862 sq. 904. III 140 sq. 167. 268. 556. 640. 675. IV 130—132 (quinquies). 224 sq. (ter). 423. 563. 811. 855. V 88 sq. 164. 424 sqq. (ter). 479 sq. ‖ *iam-iam* I 31. 71 sq. ‖ *hinc-hinc* I 311 [1]) ‖ *hinc-illinc* V 254. 467 ‖ *huc-illuc* I 199 *(huc illuc).* III 167 et 268 *(nunc huc nunc illuc)* ‖ *hîc-hîc* I 762 ‖ *hîc-illic* II 335 sq. ‖ *illic-huc* II 650.

Particulae adversativae.

Sed particula adversativa secundum enuntiati locum apud Manilium tenet I 531. II 918. IV 308. 386. 823. 849; eidem particulae *tamen* adicitur I 147. II 379. 539. 808. III 618. ‖ *Nec solum — quoque* legimus V 247 *Nec solum terrae spem credet in annua vota; Annonae quoque vectigal mercesque sequetur*; item pro *non tantum, sed*

---

[1]) II 781 G praebet *huic*, L *huic* ut videtur ex *hunc* correctum, V_1 *hinc.*

etiam habes *non tantum, sed et* I 36 *Non species tantum, sed et ipsa potentia rerum.*

Ast particulam antiquam bis sibi indulsit Manilius initio hexametri II 779 *(ast alii).* III 227 *(ast illis).*

At particula interdum secundum vel tertium enuntiati locum obtinet: secundum I 282, tertium IV 258 (codd. *et,* corr. Scaliger).

Verum semel legitur apud Manilium ita, ut a *sed* particula vix differat II 750; bis *verum* positum est praegressa negatione: IV 305 sq. *nec-nec-verum aliis alia opposita est — imago.* V 199 sq. *Venatus non ille quidem, verum arma — tribuit.*

Vero sexies occurrit, positum post *nec* I 194. 285., post *iam* II 385. V 157, post *si* III 356, post *cum* V 206.

Particulae disiunctivae.

Aut, vel, ve particulae saepius inter se variant:

aut-ve: II 469 *Aut odium foedusve gerunt*[1]).

ve-aut: IV 21 sq. *Fortunamve suis invitam prendere votis*
Aut fugere instantem.

aut-vel: IV 484 sq. *aut — Aut septena quater, vel cum — figurat.*

ve-vel: IV 489 *Quaeve auget quinto numero, vel sexta feretur*[2]).

V 239 sq. *Disponetve*[3]) *iugis imitatus fronde choreas,*
Robore vel proprio findentem in bracchia ducet.
[V 698 — *vastusve Leo vel Scorpius acer*].

Aut secundum enuntiati locum occupat I 142. II 214. 474. 873. III 555. IV 383.

Sive et *seu* particulas inter se variavit Manilius locis his: I 122—135 *sive-seu-sive-sive-seu*; III 149 sqq. *seu-sive-ve-seu-aut*; I 865—867 *sive-sive*; denique *seu si quis* (ita codd.; Bentleius *nam si quis*) — *seu* I 637 sq.; *sive* simplex positum est I 817.

---

[1]) I 481 *et,* non *aut* praebent codices. || [2]) sic G, *septima fertur* codices ceteri. || [3]) sic V_2, sed *Disponetque* praebent codices ceteri.

Particulae causales.

Nam semel alterum enuntiati locum occupat I 53.

Enim ubique alterum enuntiati locum obtinet praeter III 165 *Perpetuas neque enim sedes,* ubi *neque enim* unius fere notionis vim habet.

Etenim semel legitur secundo loco collocatum III 254.

Namque denique particulae, quae alibi apud Manilium ubique initio enuntiati legitur, V 255 quartus locus attributus est.

Cum causale altero enuntiati loco occurrit I 559. 721. 863 [1]). II 263, quinto loco II 136; *quia* secundo loco positum est II 184. 830 [2]). III 16, tertio loco II 728 [3]).

Quod alterum locum obtinet II 207. 555. 585. III 255. 314. 391. 515. 517. 533. 539, tertium II 360, quartum II 277. 392. 711.

Quoniam secundo loco legitur III 208, quarto II 603.

Particulae conclusivae.

Manilius nusquam utitur *quare* particula Ovidium, Vergilium, Horatium secutus [4]), cum *ergo* praeferat. Itaque legimus: *ergo age* II 788. III 169. *Ergo* particulam secundo loco collocavit poeta exceptis exemplis his: *ergo age, ergo ubi* (III 328), *ergo ipsa moveri* (III 336). *Igitur* particula, quae in quarto et quinto libro deest, secundum locum obtinet; *itaque* in Manilii carmine omnino non legitur; *idcirco* duodecies legitur, semel *que* copula affixa (I 168); *quocirca* occurrit II 342. 886. IV 239; *quapropter* semel I 753.

Particulae temporales.

Dum secundum locum occupat I 398 [5]). III 445 ‖ *donec* alterum locum III 651, tertium locum III 355 ‖ *cum* tem-

---

[1]) *cum* habent CV_1; sed *ne* G, $\overset{c\tilde{u}}{\textit{ne}}$ L. ‖ [2]) *qua* GC, *quia* ex *qua* correctum L, *qua* V_1. ‖ [3]) *totidem quę* GC, *totidem qa* V_1, *totidem quia* V_2, *totidemq'* L ante correctionem, $\overset{\textit{quia}}{\textit{totidemq'ue}}$ L post correctionem. ‖ [4]) cf. Haupt, obss. critt. p. 13 = opusc. I p. 85 sq. ‖ [5]) *vecors dum* Iacobus coniecit, *nec horrida* G L ($\overset{\textit{ri}}{\textit{hordu}}$ C), *nec hordum* V_1V_2,

porale secundum locum: I 401. 421. 819. 851. 872. III 110. 173. 439. 635. IV 218. 389. V 365, tertium: II 772 (ex coni. Scaligeri). III 186. 480. IV 525 [1]). 659. 747. 832. V 128. 417. 541. 632. 694. 697, quartum: I 917. II 334. 475. 509. III 422. IV 144. 530. V 39. 234, quintum: I 886.

Particulae condicionales.

Si altero loco occurrit: I 462. II 333. 413. 951. V 577, tertio: I 648. III 180. 457. IV 894, quarto: II 96 (codd. *sic,* ex coni. Bentleii); *nisi* secundo loco legitur: III 596. IV 49.

Particulae finales et *ut* consecutivum.

Ut vel *uti* alterum locum obtinet: I 29. 35. 253. 459. II 298 (ex coni. Scaligeri). 438. 451. 479. 517. III 66. 388. 406. 473. 522. 549 (ex coni. Scaligeri). IV 62. V 361. 545 [2]); tertium: I 549. II 734. III 168. 175. IV 407. 862; quartum: II 692; *ne* alterum locum: III 260. IV 645. 931; tertium: I 458. II 786. III 148; quartum: III 56; quintum locum: II 738.

Particulae concessivae.

De particulis concessivis *quamquam* semel tertio enuntiati loco collocata est: II 820.

Particulae comparativae.

Ut comparativum alterum enuntiati locum obtinet: II 273. III 126. V 444; *sicut* tertium: III 202.

---

n tam hŏrrens M. Tertio loco a Iacobo iniuria positum est V 631; G C L V_1 M praebent *interdum poenis innoxia,* V_2 *poenis noxia.*

[1]) *profert cum uincla* G et L (post correctionem), *profert cum unda* L (ante correctionem) et V_1, *cum profert* V_2; *profert cum uincula regit* M. || [2]) *uel* per compendium scripturae extat in G.

CAPUT IV.

De Manilii figuris et tropis.

Cum is, qui carmen de quo agimus composuit, linguae Latinae non satis compos fuerit, et Bentleius et Iacobus recte iudicasse videntur peregrinum eum fuisse contendentes, neque tamen certo dixeris, utrum ex Asia an ex Africa aliundeve oriundus fuerit; sane quidem nihil in sermone poetae inest, unde concludamus Africanum eum fuisse. Itaque non est mirandum defuisse poetae facultatem argumentum difficile in versus redigendi, quod, ut ipse ait, nemo ante ipsum ex poetis Romanis susceperat, idque a ceterorum poetarum Augusti aequalium argumento tantum discrepat, ut poetarum illorum exempla rarissime sequi potuerit; immo cum legentium animos novitate rei se sibi conciliaturum esse speraret, parare sibi sermonem argumento carminis sui aptum coactus est, ut inconditum docentium sermonem numeris dactylicis adstringeret. Nam quae poterat materia reperiri difficultatibus magis abundans? Quo factum est, ut eo ipso tempore, quo poesis Romana florebat, carmen oreretur parum politum, cuius multae sententiae lucem desiderant; quod qui confecit poeta saepe, ut Iacobi verbis utar, »linguae legibus vim affert, — ut modo libero volatu sese efferat, modo licenter verbis abundet ac non quid velit dicere, sed quo abripiatur, trahi videatur, modo aridissima rerum ieiunitate per inanes artis numeros evagatus nos defatiget, modo constipatis fabularum aenigmatis vix ex miro verborum involucro enucleandis nos exerceat«. Neque tamen omnes carminis partes aeque tractatae sunt, sed poeta progressus fecit in libris posterioribus ac praecipue in libro quinto; quo in libro cum in universum oratio poetica elegantior fiat et facilius suaviusque influat in aures, tum fere omnino deest repetitio eiusdem vocabuli, quae in primo libro ad taedium usque aures offendit[1]). Contra

[1]) cf. exempla, quae collegit Bechert l. l. p. 47.

servavit poeta etiam in quinto libro magnum numerum metaphorarum et periodorum per multos versus productarum, neque desunt antitheses, allitterationes, lusus verborum, similia, e quibus figuris hoc in capite eas enotavi, quae maxime dignae sunt, quae commemorentur, cum simul poetam poesin in ludis rhetoricis didicisse nos doceant.

Abundantia.

Abundantiae exempla enumero haec:

I 27 *clepsisset furto mundum.* 127 *fugit in infernas caligo pulsa tenebras.* 181 *qua cadat et subeat caelum.* 820 *arescit torridus aer.* 834 *exsistunt nata tenebris.* II 714 *ne vagus — erres.* 737 *sicut stant astra locata*[1]). III 311 *manifesta patet falsi fallacia mundi.* 389 *ne falsus dubia ratione erret.* IV 124 *dives fecundis Aries in vellera lanis.* 884 *capto potimur mundo.* V 732 *quot delapsa cadant foliorum milia.* cf. etiam V 464 *solemque reversum et caecum sine sole*[2]) *diem.*

Allitterationes.

Allitterationibus poeta saepissime usus est; cuius cum longum sit omnia exempla enumerare, perpauca et luculentissima delibasse sufficiat:

I 7 — *patriae princepsque paterque.* || I 171 *Ictaque contra actis consistunt corpora plagis.* || I 230 *Sed quia per teretem deducta est terra tumorem.* || I 269 *In cuius caudam contento dirigit arcu.* || I 329 *Tunc silvas et saxa trahens, nunc sidera ducit.* || I 396 *Subsequitur rapido contenta Canicula cursu.* || I 405 *Bella facit pacemque refert, varieque revertens.* || I 406 *Sic movet, ut vidit mundum, vultuque gubernat.* || I 547 *Exiguo dirimens solidam discrimine summam.* || I 605 *Seque secant gemino coeuntes cardine mundi.* || I 804 *Qui virtute sua similes vestigia tangunt.* || I 883 *Publica succensis peraguntur fata sepulcris.* || I 913 *Perque patris pater Augustus vestigia vicit.* || II 67 *Quod nisi cognatis membris contexta maneret.* || II 138 *Sed solus vacuo veluti vectatus in orbe.* || II 215 *Omnia dicuntur simili sub sorte diurna.* || II 437 *Condidit et varias sacro sub nomine vires.* || II 446

---

[1]) Quamquam *standi* verbo Manilius saepe Lucretiano more utitur, cf. Bechert l. l. p. 31. || [2]) cf. Iohannis Vahleni praefatio ad Senecae dialog. ed. Koch (1879) pag. X, qui ex Lucretiano (V 841) *muta sine ore etiam, sine voltu caeca reperta* illud expressisse Manilium docuit.

Et Iovis adverso Iunonis Aquarius astrum est. || II 501 *Libra suos sequitur sensus solumque videndo.* || II 527 *Quod tria signa tribus signis —.* || II 863 *Nunc sterilis poenamque serens in sidere sedis.* || III 61 *Quae quasi per mediam mundi praecordia partem.* || III 128 *Si male subscribunt stellae per signa locatae.* || III 384 *Per duo partitae dirimit divortia terrae.* || IV 10 *Luxuriamque lucris emimus luxuque rapinas.* || IV 212 *Perpetuus populi privato in limine praetor.* || IV 727 *Lenius irriguis infuscat corpora campis.* || V 23 *Andromedamque negans genitor cum coniuge Cepheus.* || V 95 *Sensit et immensos ignes super ipse secutus.* || V 246 *Gaudebitque mero, mergetque in pocula mentem.* || V 282 *Subdere fracturo silici frumenta superque.* || V 575 *Et postquam poenae causam cognovit ab ipsa.* || V 589 *Quae tua tunc fuerat facies, quas fugit in auras.* || V 656 *E penna et pendens populum suspendet ab ipso.*

Anaphora.

Anaphorae adverbiorum exempla enotavi haec:

II 70 sqq. *non - non - (que - que - nec - que - que) - non - non - nec - nec - nec.* || 87 sq. *sic - sic - sic.* || IV 130 sq. *nunc - nunc - nunc - nunc - nunc - et.* || 380 sqq. *nec - nec - nec - nec - nec - nec - (aut - aut - que -* asyndeton *- et - que).* || 815 sq. *sic - sic - sic.* || 924 sqq. *sic - sic - sic - sic.*

Pronominum anaphoram legi locis his:

V 162 sqq. *ille - ille - ille - (et - et - que) - ille.* || II 589 sq. *tot - tot - tot.* || III 24 *tot - tot - tot.* || IV 431 sq. *tot - tot - tot.* || I 55 sq. *quae - quae - in quas - quantaque.* || III 59 sqq. *quae - quae - quae - quae - quae - (que-que).* || 99 sq. *qui - qui - quamque.* || IV 207 sq. *qui - qui - (que - que).* || I 508 sqq. *quot - quot - quotiens - in quantum.* || III 67 sqq. *quodcunque - quodcunque - quaeque - quicunque.*

Anaphorae verbi unum enotavi exemplum:

III 507 *stent fundamenta sub imo, Stent veri stellarum obitus* (cf. tamen Bentl.);

item unum adiectivi cum negatione coniuncti anaphorae:

IV 86 *Quod Decios non omne tulit, non omne Camillos.*

Anastrophe praepositionum.

Praepositionibus, si coniunctae sunt cum substantivo et adiectivo vel pronomine vel participio ab eis pendente, Manilius saepe locum inter adiectivum vel pronomen vel participium praecedens et substantivum adsignat; cuius generis exempla adfero nulla, cum apud omnes scriptores

frequentissima sint. Qua in praepositionum collocatione saepe fit, ut praepositio seiuncta sit aut ab adiectivo praecedente aut ab substantivo insequente interpositis aliis vocabulis ut

I 45 *nigras super evolat urbes* (ubi tamen rectius *superevolat* scribitur). 121 *sua totus sub imagine mundus.* 162 *puras humor secessit in undas.* 275 *fulgentes caelo cum surgis ad Arctos.* Plura exempla adferre supervacaneum est.

Interdum poeta praepositiones bisyllabas (nunquam monosyllabas) post substantivum vel pronomen collocat:

I 236 *hanc circum.* 305 *has inter.* 433 *quam propter.* 582 *hunc ultra.* 586 *quos super.* V 144 *mensasque super.* 281 *quîs sine.* 319 *illo coram.* 335 *curas inter.* 525 *glebas inter.*

Praepositio *inter* collocata est inter duo substantiva vel duo pronomina ab ea pendentia locis his:

I 308 *hunc inter mediumque orbem.* 812 *Venerem inter agit Lunamque.* II 429 *hiemem inter et aestum.* 920 *occasus inter et ortus.* III 404 *has inter quasque accipiet.* IV 745 *Cancrum inter gelidumque Caprum.*

Inter substantivum praecedens et adiectivum sequens poeta praepositiones saepe collocavit; qua in collocatione idem saepenumero accidit, quod supra monuimus, ut praepositio seiungatur aut a substantivo aut ab adiectivo aliis vocabulis interiectis. Exempla congessi haec:

I 43 *oriente sub ipso.* 118 *caelo descendit carmen ab alto.* 156 *aequora per fudit toto nascentia ponto.* 279 *aera per gelidum.* 319 *parte ex alia.* 326 *manesque per ipsos.* 447 *mundo semper volvuntur in imo.* 577 *parte ab utraque.* 700 *partibus e binis.* 701 *visus incurrit in ipsos.* 754 *causa descendit ab ipsa.* 807 *corpusque per omne.* 815 *aera per liquidum.* 856 *silice in dura.* 864 *imbribus e mediis.* II 36 *aethera per summum.* 601 *legesque per ipsas.* 623 *te, Nemeaee, sub uno.* 721 *sidere in omni.* 861 *finibus in propriis.* 878 *montesque super rediere cadentes.* 911 *sedibus ex imis.* III 51 *corpus in unum.* 57 *mundo regeretur ab ipso.* 73 *ordine sub certo.* 118 *partem concessit in unam.* 157 *ordine sub certo.* 221 *parte ex illa.* 223 *tempus ad ipsum.* 245 *luce sub omni.* 299 *signis ducatur ab illis.* 303 *ratione sub una.* 442 *parte ex illa.* 541 *capite ex uno.* 578 *menses vitam producet in octo.* 606 *spatio divisa sub aequo.* 637 *parte ex adversa.* 656 *frondemque virescit in*

omnem. IV 25 *fatis vicisset in ipsis.* 126 *naufragiumque inter subitum.* 316 *parte sub illa.* 597 *vespere ab atro* (ex coni.). 605 *usque canes ad, Scylla, tuos.* 763 *virgine sub casta.* 800 *pisce sub hirto* (ex coni. Iacobi). 817 *caelo descendit ab alto.* 833 *scopuloque orbem possedit in uno.* V 33 *pelle immunis ab ipsa.* 62 *curasque per omnes.* 69 *clivoque rotas convellit ab imo.* 322 sq. *amores In varios.* 699 *nocte sub extrema.* 720 *tempore in omni.*

Inter duo substantiva, e quibus unum alteri appositum est, poeta bis praepositionem collocavit:

II 880 *monte sub Aetna.* IV 935 *Augusto crescet sub principe.*

Similiter medium praepositio tenet locum inter substantivum et genetivum ab eo pendentem

III 374 *vertice sub caeli.*

Post duo substantiva conexa praepositio collocata est

I 810 *terram caelumque inter*;

denique post substantivum cum adiectivo copulatum posita est

V 52 *Actiacosque sinus inter.* 95 *immensos ignes super.*

Saepe praepositio separata est a substantivo vel pronomine ab ea pendente uno vocabulo compluribusve vocabulis interiectis, quae tamen vocabula pleraque sunt genetivi ex substantivo illo adiectivorum modo suspensi; exempla enumero haec:

I 117 *cum parvis simili percurrere cura.* 146 *supra est hominemque deumque.* 373 *infra solis surgentia* (sc. *sidera*) *cursus.* 436 *ad expositae fatum.* 443 *inter solisque vias Arctosque.* 567 *a caeli vertice.* 568 *ad extremi decurrens sidera Cancri.* 685 *ab boreae gyro.* 886 *in alterius labens cum fata.* 913 *perque patris pater Augustus vestigia.* II 103 *ad lunae nascentis cornua.* 541 *cum Virgine natis.* 549 *sub aversi numerantur sidere Tauri.* 599 *sub amicitiae grassantem nomine.* III 264 *ad ardentis pugnarunt sidera Cancri.* 625 *ad aestivae fulget fastigia zonae.* IV 34 *sub unius fratres virtute.* 568 *in caudae Capricornus acumine summo.* 670 *ad Aegypti ponet* (GV$_1$ *ponat*) *sua iura colonos.* V 37 *a dextri lateris ducat regione.* 87 *perque volabit equos* (ex coni. Bentleii). 265 *eque Arabum silvis* (ex coni. Bentleii). 282 sq. *superque Ducere pendentes orbes.*

Denique praepositiones bisyllabae a substantivo ita separantur, ut, cum illae versum finiant, ab hoc versus proximus incipiat:

I 324 sq. *inter Sidera.* V 8 sq. *omnia circum Sidera.* 282 sq. *superque Ducere pendentes orbes.*

Antitheta.

Antitheta a Manilio in deliciis haberi ostendunt exempla haec:

I 57 *quantaque quam parvi.* 241 *pariter surgente via pariterque cadente.* 246 *distinguit et alligat undis.* 306 *dividit et cingit.* 307 *ne coeant abeantve.* 360 *spoliumque sibi, pestemque videnti.* 422 sqq. *tum di quoque magnos Quaesivere deos, dubitabat Iuppiter ipse, Quod poterat non posse timens.* 452 *distingui-claudique.* 519 *nec longa dies auget minuitque senectus.* 528 *quo crescat, quove recedat.* 537 *veniuntque caduntque.* 661 *teget et referet.* 862 *sequiturque fugitque.* II 73 *nox-diem fugeret, rursumque fugaret.* 88 *redditque rapitque.* 89 *immittit et aufert.* 160 *addit et aufert.* 327 *transitque refertque.* 649 *modo dat vires, modo detrahit.* 693 *tenuem visu rem, pondere magnam.* 870 *scandendum est atque cadendum.* 918 sq. *qua summa acclivia finem Inveniunt, qua principium declivia sumunt.* 928 *ut brevia in longo compendia carmine perstent.* 957 *recipitque refertque.* III 89 *laeduntve iuvantve.* 91 *felix aut triste.* 263 *cadunt noctes, surguntque-luces.* 277 *ne magna in brevibus pereant compendia dictis.* 322 *mundus-latet-patetque.* 436 *accipiunt redduntque* (ex coni. Bentl.). IV 16 *nascentes morimur.* 72 *his vita duplex, illis vix contigit una.* 76 *laeduntque cibi, parcuntque venena.* 87 *invictum devicta morte Catonem.* 127 *crescendo cadet.* 130 *nunc glomerare -nunc-solvere lanas.* 525 *profert unda tegitque.* 563 *altaque nunc statuet, nunc-moenia vertet.* 775 *gentes tollitque premitque.* 815 *sedes fugienda petendaque.* V 549 *virginis-rapitur sine funere funus.*

Apostrophe.

Apostrophe saepe usurpata est non solum ad alloquendos deos, homines, sidera, sed etiam ad describendas regiones, res, simm.

Deos alloquitur poeta:

I 30 *Tu princeps auctorque sacri, Cyllenie, tanti.* || II 440 sq. *Cyllenie Cancrum, Iuppiter et cum matre deum regis ipse Leonem* (*regis* cod. G. exhibet). || II 943 *Haec tua templa ferunt Maia, Cyllenie, nate.* || IV 736 *Nec te, Bacche, pari donantem munere terras.* || V 238 *Et te, Bacche, tuas nubentem iunget ad ulmos.* || IV 755 sq. *Euxinus-pontus-te, Phoebe, colit.* ||

Huc referendi sunt etiam ei versus, in quibus Lunam alloquitur poeta:

I 221—227 *Te testem dat. Luna, sui glomerabilis orbis* cett. || II 95—99 *Et cum damna tuas imitantur, Delia, vires* cett. || V 7 *Post Venerem et Maia natum te, Luna, vagantem.*

Homines alloquitur poeta versibus his:

I 768 sq. — *nec te, Mavortia virgo, Praeteream* — (de Penthesilea verba fiunt). || IV 50—53 *Quis te Niliaco periturum litore, Magne,* (de Pompeio dicit). || V 175 sq. *quibus aspirantibus orti Te, Meleagre, colunt.* || V 300 *Teve, Philoctete, cui malim credere parti.* || V 560—562 *Fleveruntque* (sc. *alcyones*) *tuos* (sc. *Andromedae*) *miserando carmine casus* cett. || V 588 sqq. *Infelix virgo (Andromeda) — Quae tua tunc fuerat facies* cett.

Sidera Manilius alloquitur:

III 570 sq. *Tuque bis octonos, Cancer, binosque trientes, Bisque novem, Nemeaee, dabis* — || I 696 — *teque, unde profectus, Cassiepia, petens.* || II 252 *Tuque tuo, Capricorne, gelu contractus.* || II 417 — *Cancerque tibi, Capricorne, repugnat.* || II 553 — *et te, Capricorne, rigentem.* || II 563 *Haec eadem, Capricorne, tuis inimica feruntur.* || III 576 *Ter quinos, Capricorne, dares.* || IV 243 *Vesta tuos, Capricorne, fovet — ignes.* || IV 791 *Tu, Capricorne, regis.* || V 391 *Cum venit in regione tuae, Capricorne, figurae.* || II 612 — *et te, Centaure, creatos.* || IV 589 *Teque, Helice.* || II 623 — *quam te, Nemeaee, sub uno.* || IV 335 sq. — *vicina relicta est Vicino, Nemeaee, tibi.* || IV 464 *Tu quoque* —, *Nemeaee,* — *timendus.* || IV 706 *Te scapulae, Nemeaee, vocant, teque ilia, Virgo.* || IV 759 — *Phrygia, Nemeaee, potiris.* || III 568 — *adpositis tu, Taure, duobus Vincis.* || IV 360 *Perque decem medias partes, tu, Taure, receptus.*

Scyllam monstrum alloquitur Manilius:

IV 605 *Usque canes ad, Scylla, tuos* —.

E regionibus appellat poeta Galliam, Germaniam, Trasimenum lacum; versus sunt hi:

IV 603 *Teque in vicinis haerentem, Gallia, terris.* || IV 794 *Teque feris dignam tantum, Germania,* cett. || IV 38 *Postque tuos, Trasimene, lacus.*

Denique res alloqui dicitur poeta duobus locis:

IV 453 — *et tu tricesima summa es,* quo loco Bentleio adsentiendum est legenti: *et tum tricesima summa* (codd. *summa est* exhibent), et IV 488 — *aut una quae te, vicesima* (sc. *pars*), *fraudat.*

Asyndeta.

Asyndeti figura utitur Manilius aut ita, ut coniunctum sit asyndeton cum polysyndeto (velut I 34. 91 sqq. 185 sqq. 249. 403 sq. II 179. 198 sq. 290 sqq. 456—465. IV 77 sqq.

317 sqq. 687 sqq. 704 sqq. 753 sqq. 804. V 6. 61 sq. 256 sqq. 702 sq.), aut ita, ut asyndeton cum polysyndeto non coniunctum sit. Cuius generis exempla collegi haec, sepositis eis, quae simul chiasmum efficiunt: haec enim in ea huius capitis parte afferam, ubi de chiasmi figura agam. In non paucis versibus simul anaphora usurpata est.

I 109 *suas formas, sua nomina.* II 477 *Atque aliorum oculos, aliorum contulit aures.* 518 *Horum odio, nunc horum idem ducantur amore; Illis insidias tendant, captentur ab illis.* 646 *sua quadratis veniunt, sua iura trigonis.* 831 *Hic tenet arbitrium vitae, hic regula morum est.* III 313 *Omnibus auctumnus signis, ver omnibus unum.* IV 178 *novas semper pugnas, nova bella ferarum.* 772 *Tempora quo pendent, coeunt quo noxque diesque.* I 199 *huc illuc.* II 104 *Venturasque vident hiemes, reditura serena.* 176 sq. *desinit aestas, Incipit auctumnus.* 193 *hiemem claudit, ver inchoat alter.* 258 sqq. *Scorpios in Libra consumit bracchia; Taurus Succidit in curvo claudus pede; lumina Cancro Desunt, Centauro superest et quaeritur unum.* 266 sq. *Aestas a Geminis, auctumnus Virgine surgit, Bruma Sagittifero, ver Piscibus incipit esse.* 426 *Fructibus hic implet —, floribus illud.* III 481 *diem brumae nox aequat, tempora noctis Longa dies.* 605 *ter vicenos geminat, tres abstrahit annos.* 641 *riget omnis ager, clausum mare, condita castra.* IV 74 sqq. *Succumbunt artes rationis, vincitur usus, Cura nocet, cessare iuvat, mora saepe malorum Dat causas.* 95 *male consultis pretium est, prudentia fallit.* 367 *Dissimulant, non ostentant mortalibus ora.* V 172 *Invigilat somnis, curas industria vincit, Otia per varios exercet dulcia lusus.* 495 *Nec pacem a bello, civem discernet ab hoste.*

Chiasmi.

Multa chiasmi exempla simul cum asyndeti figura coniuncta esse supra monui; exempla exscripsi haec:

I 105 *sonitum ventis concessit, nubibus ignem.* 231 *His modo, post illis.* 266 *Cancrum Leo, Virgo Leonem.* 466 sq. *ignibus ignes Respondent, media extremis atque ultima summis.* 672 *tenet a summo Cancer, Capricornus ab imo.* II 182 sq. *alter florentia tempora veris Sufficit, aestatem sitientem provehit alter.* 198 sq. *aspice Taurum Clunibus, et Geminos pedibus, testudine Cancrum Surgere.* 231 *Ambiguus terrae Capricornus, Aquarius undis.* 269 *Hiberna aestivis, auctumnis verna repugnant.* 286 *Dexter erit Tauro Capricornus, Virgo sinistra.* 687 *Adde suas partes signis, sua partibus astra.* 693 *tenuem visu rem, pondere magnam.* 776 *solemque novum, nova sidera cernunt.*

872 *praeceps haec, illa superne.* III 544 sq. *quod tardius illa, Haec citius peragant orbem.* 546 sq. *Hora die bis, mense dies semel, unus in anno Mensis.* IV 86 *Quod Decios non omne tulit, non omne Camillos.* 313 *Altera sors Tauro, Geminis pars tertia cedit.* 340 sq. *veris iuga temperat ille, Haec auctumnales componit—horas.* 432 *Tot partes iterare queat, tot dicere summas.* 591 *Asper ab axe ruit Boreas, fugit Eurus ab ortu.* 731 *Adde sonos totidem vocum, totidem insere linguas.* 813 sq. *Sic terrae terris respondent, orbibus orbes, Litora litoribus, regnis contraria regna.* V 583 *pelagusque vomit, circumsonat aequor.*

Versus, in quibus chiasmus cum asyndeto non coniunctus est, enotavi hos:

I 10 *Das animum viresque facis.* 69 sq. *Tum velut amissis maerens, tum laeta renatis Sideribus.* 77 *Nec vitam pelago, nec ventis credere vota.* 186 *Idem Phoebus eat caeli de partibus isdem.* 205 *Undique surgentem pariter, pariterque cadentem.* 215 *terris non omnibus omnia signa.* 314 *Proxima frigentes Arctos Boreamque rigentem.* 357 *Expositam ponto deflet scopulisque revinctam.* 482 *Quid tam confusum specie, quid tam vice certum est?* 498 sq. *Cur eadem aestivas exornant sidera noctes Semper, et hibernas eadem?* 519 *Quae nec longa dies auget minuitque senectus.* 522 sq. *Non alium videre patres aliumve nepotes Aspicient.* 614 sq. *squamosaque tergora Ceti Lanigerique notat fines.* 688 sq. *Aestivosque secat fines, Aquilamque supinam, Temporaque aequantem gyrum zonamque ferentem.* 734 *Infusumque loco cinerem mundumque sepultum?* 762 *Atque hic Aeacidas, hic et venerantur Atridas.* 808 *Quidquid ubique nitet, vigeat quandoque.* 856 *Ac silice in dura, viridique in cortice.* II 28 sq. *matremque dolentem, Solventemque patrem.* 185 sq. *ille senescentis veris, subeuntis et ille Aestatis.* 208 *nunc illa dies, nunc noctes illa sequuntur.* 404—406 *Capricornum opponere Cancro, Lanigerum Librae, — Piscibus Erigonem, Iuvenique Urnaeque Leonem.* 517 *Audire ut cupiant alios, aliosque videre.* 658 sq. *Ver Aries, Cererem Cancer, Bacchumque ministrans Libra, Caper brumam.* 918 sq. *qua — acclivia finem Inveniunt, qua principium declivia sumunt.* III 530 *Non annis anni, nec menses mensibus.* 639 *producitque diem, tenebrasque resolvit.* IV 10 *Luxuriamque lucris emimus, luxuque rapinas.* 46 *Quod consul totiens exul, quod de exule consul.* 64 *Inque rogo Croesum, Priamumque in litore truncum.* 317 sq. *Cancro primam, mediamque Leoni, Extremam Erigonae tribuit.* 349 *medias Tauro partes, Geminisque supremas.* 380 sq. *Nec — lanas Aries, nec Taurus aratra, Nec Gemini musas, nec merces Cancer amabit.* 383 sqq. *Men-*

suris aut Libra potens, aut Scorpius armis, Centaurusque feris, igni Capricornus et undis Ipse suis Iuvenis geminique — Pisces. 474 *Tertia et undecimae decimaeque et septima iuncta.* 610 sq. *secat — Illyricum, Epirumque lavat.* 660 sq. *Fecit et aeternam Trebiam Cannasque sepulcris Obruit.* 689 sqq. *Princeps Pella domus, Troiani gratia belli Thessalia, Epirosque potens, vicinaque ripis Illyris et Thrace*[1]) *Martem sortita colonum.* V 20 *Heniochusque memor currus, plaustrique Bootes.* 70 *gelidus boreas aquilonibus instat acutis.* 110 sq. *in lusus agiles agilemque vigorem Desudant.* 186 *Mendacesque parant foveas laqueosque tenaces.* 332 *quodcunque manu loquitur, flatuque movetur.* 334 *Mulcebitque — Bacchum, noctemque tenebit.* 494 *Quasque hominum dederit strages, dabit ille ferarum.* 533 *coquet argenti glebas, venamque — Eruet.* [698 *vastusve Leo vel Scorpius acer*]. 736 sq. *populumque equiti, populoque subire Volgus iners videas.*

Hyperbole.

Hyperbole non utitur Manilius nisi *mille* numerali et *innumerus* adiectivo, utroque artificio a Lucretio accepto; conf.:

I 129 *saecula mille.* IV 128 *mille per artes.* 266 *mille - artes.* 374 *in tam multis animantum milibus.* 630 *mille - terrae.* V 302 *mille carinae.* 371 *mille - artes.* 469 *mille - species.* 507 *mille figurae.* 732 *foliorum milia.* — IV 277 *innumerae artes.* 623 *innumerae gentes.* 641 *innumeri scopuli.* 805 *innumerae figurae.* V 243 *innumeri cultus.* 276 *fruges innumerae.*

Tmeses.

Tmeseos praepositionum exempla legi tria:

I 50 *Inque deum deus ipse tulit.* 189 *circumque feratur.* V 559 *Ter circum Alcyones pinnis planxere volantes.*

Adverbia per tmesin dirimuntur:

III 141 *movent ut mundum sidera cunque.* V 496 *et qua fert cunque voluntas,*

nec multo secus *priusquam* et *antequam* adverbia dispescuntur:

I 805 *Ac prius incipiam stellis quam reddere vires.* II 774 *ante manus quam temptet.* V 183 sq. *et ante Quam canibus nova praeda fuit.*

---

[1]) cf. supra p. 80.

Metonymiae.

De metonymiis scite egit M. Haupt in ind. lect. Berol. hib. 1859 [1]); Manilius his fere usus est metonymiis:

Causa efficiens pro re effecta ponitur:

Bacchus = vinum III 153. IV 204. V 227. 680. (apud Vergilium et Ovidium saepe eadem metonymia occurrit, legitur etiam apud Tibullum et Lygdamum et Propertium); = vitis II 20. V 238. (Verg.); = auctumnus II 658; denique = ebrietas vel potatio V 334. || *Ceres* = aestas II 658; = seges II 21. III 152. 629. 664. IV 251. 734. V 281. (Verg. et Ovid.). || *Iris* = arcus caelestis I 713. || *Liber* = vitis III 662. || *Lyaeus* = vinum V 323. (saepius apud Horat. Ovid., legitur etiam apud Lygdamum et Propertium). || *Mars* = pugna III 632 (Verg., Panegyr. in Messallam, Prop. [= bellum], Ovid.). || *Pallas* = olea (ex coni. Bentleii) II 21. (Ovid. am. II 16, 8; cf. a. a. I 727 *Palladiae — palma coronae*). || *Venus* = amor vel libido III 655. IV 258. V 143 (legitur iam apud Lucretium).

Res effecta pro causa efficienti ponitur:

Aquilo = septentriones I 574. || *austri* = meridies I 612 (ex coni. Scaligeri). || *boreas* = septentriones I 314. 372. 566. 685. IV 646. || *calores* = dies IV 588. || *flammae* = stellae I 132. 255. 311. 416. || *ignes* = stellae I 218. 466. 896. III 502. IV 328. V 38. 733. || *lumina* = stellae, saepe. || *lux* vel *luces* = dies, saepissime. || *natura* = auctor naturae, saepe. || *tenebrae* = nox I 834. II 205. III 266. 380. 639. || *umbra* vel *umbrae* = nox I 673. II 797. III 236. 251. 302. 446. 450. IV 326.

Concretum pro abstracto vel abstractum pro concreto ponitur:

aratra = agricultura IV 380. || *lanae* = lanificium IV 380. || *merces* = mercatura IV 381. || *aestus* = aestas II 429; = pars aestiva vel tropica I 581. || *anni teneri* = pueri V 456. || *mortes* = mortui I 889. || *magnae virtutes* = dei II 436.

Locus pro eo, quod in eo est, ponitur:

Athenae = Athenienses I 775. 885. || *cor* vel *corda* = mens I 79. II 452. 638. 898. III 203. IV 241. V 63. 144. || *Helicon* = Musae in Helicone sedentes I 4. || *Olympus* = caelicolae V 18. || *pectus* = mens I 28. || *templa* = ignes in templis ardentes IV 68. || *urbes nigrae* = incolae urbium nigri I 45. || *urbes sopitae* = incolae urbium sopiti I 243.

Materia pro ea re, quae ex materia fabricata est, ponitur:

aera = tympana I 227. || *testudo* = lyra V 325.

---

[1]) = opusc. II pp. 162 sqq.

Synecdochae.

Synecdoches exempla enotavi haec:

Pars pro toto ponitur:

bruma = hiems II 267. 418. 659; = annus III 607. || *carina* = navis I 298. IV 55. 278. V 302. || *limen* = domus IV 212. V 65. 364. || *polus* = caelum I 225. IV 811. || *puppis* = navis IV 275. 569. V 36. 38. 41.

Species pro genere ponitur:

adulterium sucorum = permixtio V 267. || *aequor* = aqua II 225. || *census* = divitiae, saepe, velut I 12. II 69. IV 877. quamquam saepe in codicibus pro *census* legitur *sensus*[1]); *census oris* = eloquentia I 794. || *cothurnus* = tragoedia V 459. || *fasces* = magistratus II 146. || *lenocinium* = illecebrae V 269. 516. || *lupus* = frenum lupatum V 74. || *militia* = munus II 894. III 106; = cultus II 20. IV 145; = bellum IV 569. V 376; *militia luxuriae* IV 404. || *natalis* = ortus I 123. 477. || *naufragium* = damnum II 330. IV 126. || *Olympus* = caelum, saepissime; = polus I 609. || *palma* = victor I 787 (cf. Verg. georg. I 59. aen. V 339). || *robur* = durities I 285. || *sanguis* = sucus V 212; = color V 259. || *thalami* = matrimonium V 576.

Genus pro specie ponitur:

altum = mare IV 641; = caelum I 343. || *arena* = palaestra IV 225. || *armenta* = equi IV 233. || *ars* = astrologia, saepius. || *carcer* = rete IV 287. V 663. || *cardo* = polus, saepius. || *convexum* = caelum II 117. || *feri* vel *ferae* = equi IV 238. V 77. 354. 366; = pecudes V 644. || *fragor* = tonitrus I 99. || *inane* vel *inania* = aether I 33. 153. 176. 200. 283. 553. IV 590. V 445. || *lapides* = gemmae IV 399. V 518; = margaritae V 405 (ex coni.). || *luces* = colores V 258. || *lustrum* = annus[2]) III 321. 580. || *natura* = mundus, saepe. || *populi capti* (de piscibus) IV 286; *populi aërii* = aves V 369. || *profundum* = mare I 203. IV 274. 789. V 43. 190. 402. 421. 599. 660. || *quadrupedes* = equi IV 234. V 86. 644. || *ratis, ratis heroum, Argivum ratis* = Argo I 623. 694. V 13. || *sorores doctae* ≐ Musae II 49 (cf. infra). || *summa* = universum vel mundus I 254. II 76. || *vulnera* = scissurae I 721; = morbus V 643.

Metaphorae.

Ex ingenti metaphorarum numero pauca et luculentissima exempla seligam:

mundus supervolat urbes I 45. *volitant luna et stellae* I 200. *volans mundus* I 207. *volat aër* I 288. *volitantia cuncta* I 293. *volant sidera* I 309. *volat orbe Corona (sidus)* I 319. *Cygnus*

---

[1]) cf. Bechert l. l. p. 48. || [2]) cf. id. ibid. p. 56.

volitat stellatus I 341. *sidus Aquilae volitans* I 344. *Heniochus volitans curru* I 363. *hora volat per orbem* I 641. *linea volitabit per caelum* I 654. *Phaeton volans per signa* I 736. *sidera volitantia pendent* I 810. *flamma* (cometae) *volat* I 836. *volitantia lumina mundo* II 18. *curru in caelum volamus* II 58. *spiritus omnia pervolitans* II 66. *volaret caelum* II 79. *Phoebus volans* I 92. *volitant astra* II 415. *volitans* (poeta) *carmine per mundum* II 765. *signa volantia* II 790. *astrorum series pervolat templa caeli* II 959. *mundus volans per signa* III 212. *caelum volans* III 331. *Phoebus circumvolitans* III 369. *aevum volans* III 534. *fretum circumvolat oras* IV 612. *volat stellatus equus* V 24. *volat* (desultor) *per equos* V 87. *Bellerophon volans* V 97 sq. *volitabit in undis* V 423. *campo volantia membra* V 449. *equus* (sidus) *caelo volabit* V 634. || *sidera labentia* I 683. *signa labentia* II 26. *dies lapsus* IV 588. || *movere Helicona cantibus* I 5. || *ratio currit per stellas et sidera* II 449. || *fugit vestis lacertos* V 557 sq. *terrae aequora fugientes* IV 625. || *aestas subiens* II 185 sq. || *arma surgentia fraudibus clandestinis* I 897. || *luna infectis volvitur alis* I 226. || *animo magis quam corpore pendet* V 608. || *habitabat aurum in montibus* I 75[1]). *spiritus unus habitat per cunctas partes* II 64 sq. *artes habitant* IV 266. *membra habitata veneno* IV 664. *habitat sub pectore caeco Ambitio* V 154 sq. similiter: *habitat puer sub fronte Cupido* IV 151. || *descendit nomen causa ab ipsa* I 754. *descendunt noctes* III 478. *descendit Liber* (vitis) *gravida ab ulmo* III 662. || *deducere divinas artes mundo* I 3. || *natans unda* III 52. *natantes fluctus* I 155. *natat mens* IV 257. *natabit fortuna* V 53. || *pontus enatat Ionio* (mari) IV 607. || *fluit fortuna* III 528. || *Nilus inundat in gentes* I 44. || *merget in pocula mentem* V 246. || *emergere* (i. e. evincere) *moles* I 116. || *Argo navigat astris* V 13. || *venatur sidus in astris* V 232. || *claudicat numerus* III 260.

aequora nascentia I 156. *mundus nascens* I 564. *caelum nascens* II 791. *dies nascens* IV 588. *cinnama nascentia* IV 738. *fluctus nascentes eunt* V 731. || *vivit* (i. e. durat) *opus* I 825. *mundus vivit* (i. e. est) II 63. *viventia crimina* IV 665. || *vigilat ruinis venter* IV 404. || *aegrotat natura, suum sortita sepulcrum* I 895. || *ver senescens* II 185. || *dies moritur* II 953. *litora ripis Niliacis morientia* IV 627. || *mundus sepultus* I 734. *ignis sepultus* IV 30. || *pestis extulit — Athenas* I 885.

loquitur canora voce nemus III 656. || *canunt ignes bella* I 896. || *mundus solatur casus in astris* II 261. || — *pontus litora revocans* IV 600. *navita revocatus fluctibus* IV 619. *comas revocare vinclis*

[1]) L. Mueller in mus. Rhen. XVII p. 188 iniuria coniecit *latitabat*.

V 148. *passus revocans* (i. e. reducens) V 695. || *cerni mente* I 678. — *sol aspicit lunam* I 242. — *despectant sidera caelo* I 276. || *unda meditans murmur in antris* II 54. || *nox oblita diei* III 259. || *fallit solum declivia* I 240. || *ementita nox diem* V 60.

pascentur curis V 453. || *bibit fluctus Eridani fretum* IV 610. *bibens somnum animamque* V 307. || *aestas sitiens* II 183. || *lavat pontus Epirum* IV 611. || *incocta sidera flammis* I 732. || *ardent terrae* I 101. *ardent Aethiopes* IV 758. *sedes exustae* I 732. || *Phoebus exsiccat populos* IV 729. *Arcti siccae* I 610. || *accendit praesentia numinis mentem* I 49.

micant corda et lingua rabit V 224. || *maculant Aethiopes orbem* IV 723. || *Asiae populi nitentes* IV 621 sq. || *florentia tempora veris* II 182 sq.

indutus est Taurus Iovi (i. e. Iuppiter in taurum se mutavit) II 491. || *nudare* (i. e. explicare) *iura* III 114. || *destringere membra in varias palaestras* III 630.

arva exercita frugibus I 86. || *militat ales* (sc. Iovis) *caelo* V 490. || *edomare terram in fruges* IV 904. || *dies acuens mortalia corda* I 79. || *fabricaverat* (Socrates) *Platonem* (i. e. instituerat) I 774. || *nutrire annos teneros* (i. e. docere pueros) V 456.

Haedi claudentes sidere pontum I 365. *limes claudit principium suum* I 617.

depingitur caelum astris I 445.

aequora freti caedunt gentes IV 602. || *Euphrates secat gentes* I 44. *fretum secat Icarium Aegaeumque* (mare) IV 621.

CAPUT V.

De Manilio aliorum poetarum imitatore.

Nunc breviter exponam, quae ratio intercedat inter Manilium et poetas Romanos, qui aut ante eum vixerunt aut aequales ei fuerunt. Cum quibus consentire Manilium saepe in phrasibus, epithetis ornantibus, similibus, quin etiam non paucos exitus vel initia versuum, quae in memoria attente legentis poetae haererent, ex illorum carminibus deprompsisse et in suum carmen recepisse mirum non est. Atque cum plerique poetae Romani imperatorum temporibus in factiones discederent, quae certi alicuius poetae regulas

metricas, genus dicendi, elocutionem accurate sequerentur, Manilius noluit certi ullius poetae partes religiose atque anxie sequi: quod cum de rebus metricis iam observaverit L. Mueller[1]), in genere dicendi est neglectum; nam quod Teuffel ait[2]) redolere poesin Manilii Ovidium (e. g. III 1), omnino autem ad Lucretii exemplum Manilium sese applicasse, non recte est dictum, cum Vergilium multo saepius imitatus sit quam Lucretium.

Consentaneum est Manilium vestigiis eorum maxime institisse poetarum, qui similem materiam tractaverant, Lucretii, Vergilii in eclogis et georgicis, Ovidii in metamorphoseon libris et (in libro quinto) in fastis; neque tamen desunt exempla, quibus probabile fiat nosse eum etiam cetera Vergilii et Ovidii carmina, Catullum, Tibullum, Propertium, Horatium[3]), Culicis auctorem, similes; ita tamen, ut non tam hemistichia quam phrases et epitheta ab his depromeret vel potius communia cum his haberet.

Ciceronis Arateis Manilius usus non videtur esse; sane praeter phrases et epitheta in Ciceronis carmine occurrentia, quae etiam apud alios poetas leguntur et quae infra suis locis afferam, vix unum versum invenias, qui cum Arateis consentiat, exceptis scilicet eis versibus, in quibus ob argumenti similitudinem consensus flagitatur. Unus extat versus Manilianus, quem aliqua probabilitatis specie ad Ciceronis Aratea referre possis, Man. I 319: *At parte ex alia claro volat orbe Corona,* qui consentit cum versu Arat. 367: *At parte ex alia claris cum lucibus enat Orion.* Sed num Manilius versum a Cicerone mutuatus sit, valde dubito, cum etiam apud Catullum (64, 251) simillimus hexameter legatur: *At parte ex alia florens volitabat Iacchus.*

Paucis hoc loco disseram, qua ratione Manilius poetas imitatus sit. Cum apud alios poetas tum apud Ovidium plurima imitationis exempla in eis carminum partibus

---

[1]) d. r. m. p. 136. || [2]) hist. litt. Rom. [3] p. 541. || [3]) cf. Freier l. l. p. 21, qui adnotat multa Manilium inde a I 702 usque ad vs. 804 ab Horat. carm. I 12 mutuatum esse.

deprehendi solent, quarum argumentum ipsum iam antiquiores poetae tractaverunt. Ex contrario Manilius rarissime isdem phrasibus utitur quibus alii poetae in enarranda eadem re, sed phrases, hemistichia, similia in quemlibet carminis versum recepit, ubi apta esse viderentur. Obstabat sane Manilio argumentum carminis asperum needum ab aliis in versus redactum. Itaque cum cogeretur sermonem argumento carminis aptum sibi parare, videtur saepe ad poetas, qui ipsum aetate praegressi erant, ita respexisse, ut in illorum carminibus perlegendis operam consumeret, priusquam ad componendas sui carminis particulas accederet; inde, dum meditatur, non paucae in memoriam Manilii vel inviti irrepunt locutiones verborumque poeticorum coniunctiones. Itaque, cum consensus multorum Ovidii versuum cum aliorum poetarum versibus egregio Ovidii ingenio et praestanti eius memoriae adscribendus sit, Manilium paene semper ex alienis carminibus in carmen suum eas versuum partes recepisse iudicabimus, quae acri legendi studio in memoria haererent; qua tamen in re Manilium modo verborum depromptorum ordinem mutasse, modo verbum synonymum recepisse, velut *gentis* pro *stirpis*, *pecudum* pro *pecoris*, similia.

Restat, ut breviter de iis paucissimis praemoneam, qui Manilium imitati sunt. Primam imitationem Manilianam suppeditat Nemesianus, qui tertio p. Chr. n. saeculo Calpurnium imitatus est: Manilii enim versibus I 760 sq.[1])

Huc migrant ex orbe, suumque habitantia caelum
Aethereos vivunt annos, mundoque fruuntur

respondent Nemesiani ecl. 1 versus 39 sq.

Nam si sublimes animae caelestia templa
Sidereasque colunt sedes mundoque fruuntur.

Praeterea Manilii carmen notum fuit auctori carminis de Luna Anthol. Lat. V 15[2]), quod postremis imperii

[1]) Iacob, d. M. Manilio poeta; progr. Lubec. 1832 p. 5 not. ||
[2]) Riese 723. Poetae Latini Minores III p. 163 sq. (Baehrens).

Romani temporibus videtur esse compositum [1]); cuius versus primi exitum

Luna, decus mundi, magni pars maxima caeli

multo aptius quam in lunam convenire in ingens illud Orionis sidus, ad quod verba Manilius rettulit, apparet; legimus enim V 12:

Hinc vocat Orion, magni pars maxima caeli.

Firmicum Maternum, quem Constantini Magni temporibus Matheseos libros VIII scripsisse constat, carmine de quo agimus locis multis usum esse demonstrarunt et Scaliger [2]) et Bechert [3]); ea autem Scaligeri coniectura probari non potest, novisse Firmicum praeter quinque carminis libros, qui aetatem tulerunt, librum sextum et partem carminis alteram; sane e poetae ipsius verbis [4]), ubi promittit se alia in parte carminis siderum occasus et planetarum vires esse canturum, nullo modo colligi licet poetam ea, quae promisit, perfecisse; immo facillime fieri poterat, ut prohiberetur, quominus promissum exsolveret. Ceterum Firmicum Maternum nomen poetae eam ob rem non indicasse suspiceris, quod iam tum ignotum fuerit.

Denique etiam Germanicum Manilii carmen novisse docet initium Arateorum. Nam non solum vss. 10—12 et vs. 16:

10 *procul arma silerent?*
11 *Nunc vacat audaces in caelum tollere vultus,*
12 *Sideraque et mundi varios cognoscere motus,*
16 *Pax tua tuque adsis nato, numenque secundes!*

conspirant cum versibus Manilii I 13—15:

Hoc sub pace vacat; tantum iuvat: ire per ipsum
Aera et immenso spatiantem vivere caelo
Signaque et adversos stellarum noscere cursus,

sed etiam in Germanici vss. 1—4 multa cum primi libri Maniliani initio congruunt; Germanicus enim haec exhibet:

---

[1]) Haupt, opusc. I p. 301 sq. || [2]) Scaliger, edit. sec. proll. p. 3 sq. || [3]) Bechert, l. l. p. 18 sqq. not. || [4]) II 965. III 156 sqq. 586.

Ab Iove principium magno deduxit Aratus,
Carminis at nobis, genitor, tu maximus auctor,
Te veneror, tibi sacra fero doctique laboris
Primitias; probat ipse deum rectorque satorque,

cum quibus versibus conferas Manil. I 1. 3. 4. 6. 7:

Carmine divinas artes et conscia fati
Sidera —
3 *deducere mundo*
4 *Aggredior, primusque novis Helicona movere*
6 *Hospita sacra ferens —*
7 *Hunc mihi tu, Caesar, patriae princepsque paterque*;

accedit, quod etiam *maximus auctor* (Germ. 2) a Manilio I 386

Caesar, nunc terris, post caelo maximus auctor

petitum est.

Nunc ea colligam, quae ad apparatum mythologicum pertinent, in quo Manilius praecipue a Vergilii et Ovidii partibus stetit.

Legimus apud Manilium pro Artemide vel lunae dea: *Delia*: I 231. 669. II 95. IV 844. V 722 (Verg. ecl. 3, 67. 7, 29. Sulpic. et Cer. apud Tib. IV 3, 5. Priapeorum 76, 6. Ovid. her. 4, 40; cf. *Delia dea*: Hor. carm. IV 6, 33. Similiter poeta eandem deam *Phoeben* appellat: II 913. III 197. IV 847 (Verg. georg. I 431. aen. III 371. X 216. Prop. I 2, 15. Ovid. her. 19, 229. am. III 2, 51. met. I 11. 476. II 415. 723. VI 216. XII 36. fast. II 163. V 306. 699. VI 235. ex Pont. III 2, 64. Ibis 109).

Pro Baccho utitur *Iacchus* forma I 417 (Catull. 64, 251. Verg. ecl. 6, 15. 7, 61. georg. I 166. Prop. II 3, 17. V 2, 31. Ovid. met. IV 15). *Lyaeus* dicitur V 323 (Verg. georg. II 229. Prop. III 31 (33), 35. IV 4 (5), 21. Lygdam. apud Tib. III 2, 19. Priapeorum 39, 3. Hor. carm. I 7, 22. III 21, 16. epod. 9, 38. Ovid. am. II 11, 49. III 15, 17. a. a. III 645. 765. met. IV 11. VIII 274. XI 67. fast. I 395. V 521. trist. II 401. ex Pont. I 10, 29; cf. *pater Lyaeus* Verg. aen. IV 58).

Pro Marte dicitur *Gradivus* IV 719 (Ovid. a. a. II 566. met. VI 427. XIV 820. XV 863. fast. II 861. III 169. 677. V 556. (cf. *Gradivus pater*: Verg. aen. III 35; *rex Gradivus*: Verg. aen. X 542).

Mercurium nuncupat *Cyllenium* I 30. II 440. 943. cf. *Cyllenius orbis* I 871 (Verg. aen. IV 252. 276. cf. *Cyllenius ignis*: georg. I 337; Ovid. met. I 713. II 720. 818. V 331. XIII 146. XIV 291. cf. *Cyllenia proles*: a. a. III 725); *Maia natus* cluet II 943. V 7 (Hor. sat. II 6, 5. Ovid. met. II 685 sq.; cf. *Maia genitus*: Verg. aen. I 297. *filius Maiae*: Hor. carm. I 2, 43. *Maia creatus*: Ovid. met. XI 303).

Pro Venere legitur modo *Cythereis* II 33 (Ovid. met. IV 288 eodem versus loco) modo *Cytherea* II 922. IV 579 (Verg. aen. I 257. 657. IV 128. V 800. VIII 523. 615. Prop. III 6 (14), 25. Tib. IV 7, 3. Ovid. her. 15, 20. 16, 241. am. I 3, 4. a. a. II 15. 607. met. X 640. 717. XIV 487. XV 803. 816. fast. IV 673. Hor. carm. III 12, 4; cf. *Cytherea Venus*: Hor. carm. I 4, 5).

Cybele nuncupatur *Idaea mater*: IV 760 (Lucr. II 611. Verg. aen. IX 619 sq.; cf. *parens Idaea deum*: Verg. aen. X 252).

Musas appellat *Pierides*: II 767. III 3 (Lucr. I 926. IV 1. Verg. ecl. 3, 85. 6, 13. 8, 63. 9, 33. 10, 72. Tib. I 4, 61. 62. 9, 48. Lygdamus apud Tibull. III 1, 5. 4, 44. Sulpic. et Cer. apud Tibull. IV 2, 21. Prop. III 1 (10), 12. Hor. carm. IV 3, 18 (singul.). 8, 20. Ovid. am I 1, 6. a. a. III 548. fast. II 269. IV 222 (singul.). V 109. VI 798. 799. trist. III 2, 3. 7, 4. IV 1, 28. 9, 16. V 1, 34. 3, 10. 7, 32. ex Pont. II 5, 63. IV 2, 45. 8, 70. 12, 28. 16, 42).

Pro Ulixe dicitur *Ithacus*: I 764 (Verg. aen. II 104. 122. III 629. Prop. I 15, 9. Ovid. met. XIII 98. 103. ex Pont. I 3, 33); pro Nestore *Pylius*: I 764 (Ovid. am. III 7, 41. met. VIII 365. XII 537. 542; cf. *Pylius Nestor*: Hor. carm. I 15, 22 et Ovid. ex Pont. I 4, 10).

Oeagrius Orpheus legitur: V 327.

Athenienses nuncupat *Erechtheos colonos* I 884. (cf. eodem loco: *Erechtheae arces*: Ovid. met. VIII 547).

Capellae sidus appellatur *Olenie*: V 130 (cf. *Olenium pecus*: Ovid. her. 17, 188. *Olenia capella*: Ovid. met. III 594. fast. V 113).

Leo (sidus) vocatur *Nemeaeus*: II 623. III 404. 409. 571. IV 336. 464. 706. 759. V 206.

Iam ad eos versus percensendos transeo, quibus Manilius alios poetas imitatus est, ita ut primum ea afferam, quae a Manilio deberi Lucretio, Vergilio, Ovidio, reliquis nulla est dubitatio, deinde ea colligam, quae casu consentire suspicio subnascitur, denique epitheta ornantia enumerem, quae Manilio cum aliis poetis communia sunt.

Ex LUCRETII carmine sine dubio derivata sunt haec:

Man. I 236 *Hanc circum variae gentes hominum atque ferarum.* Lucr. II 1076 *Et varias hominum gentes et saecla ferarum.* ‖ M. I 448 *Quîs innixa manent caeli fulgentia templa.* V 727 *Tum conferta licet caeli fulgentia templa.* L. V 490 sq. *altaque caeli Densebant procul a terris fulgentia templa*; similiter Lucr. VI 387 sq. *Quod si Iuppiter atque alii fulgentia divi Terrifico quatiunt sonitu caelestia templa*; *caeli lucida templa* legimus: Lucr. I 1014. II 1039. *caeli templa*: II 1001. V 521. VI 286. 644. 1228. ‖ M. I 529 *Nec cadere in terra pendentia sidera caelo.* L. II 209 *Nec cadere in terram stellas et sidera cernis.* Qui versus simul demonstrat apud Manilium *terram* cum codicibus GCLM scribendum esse. ‖ M. I 553 *Qua per inane meant oculi* —. L. II 158 *Cum per inane meant vacuum* —. ‖ M. I 575 *Tertius in media mundi regione locatus.* L. V 534 *Terraque ut in media mundi regione quiescat*; cf. Cic. Arat. 193 *Aram sub media caeli regione locatam.* ibid. 472 *Sed cum se medium caeli in regione locavit* (sc. Aquarius). Ovid. fast. VI 273 *Cumque sit in media rerum regione locata.* Germ. Arat. 384 *Quaque caput piscis media regione locatae.* ‖ M. I 795 *Emeritus caelum et Claudi magna propago.* L. I 42 *Possumus aequo*

animo nec Memmi clara propago. Qui versus docet non *Claudia* legendum esse. cf. supra p. 62. || M. II 182 *E Geminis alter florentia tempora veris.* L. VI 359 *Et cum tempora se veris florentia pandunt*; *tempora veris*: M. I 579. Ovid. fast. I 496. II 150. IV 902. || *M. II 738[1]) — *percipe paucis*[2]). *L. IV 115. 723 — *percipe paucis.* || *M. II 764 — *praeposterus ordo.* *L. III 621 — *praeposterus ordo.* || M. III 514 sq. *Primus erit signi, quo sol effulserit annus, Annua quod lustrans consumit tempora mundum.* L. V 619 *Annua sol in quo consumit tempora cursu*; V 693. 692 *lumine lustrans, Annua sol in quo concludit tempora serpens*; *sol omnia lustrans* legitur: Lucr. VI 737. || M. IV 12 *Solvite, mortales, animos curasque levate.* L. II 365 *Derivare queunt animum curaque levare*; *Ennius 339 — *curamque levasso.* *Hor. sat. II 5, 99 — *curaque levarit.* *Ovid. met. V 500 — *curaque levata*; *levare curas*: Catull. 2,10. Ovid. met. XII 156. || M. IV 828 *Concutitur tellus validis compagibus haerens.* L. IV 1113 *Usque adeo cupide in Veneris compagibus haerent.* IV 1204 *Quom interea validis Veneris compagibus haerent.*

Cf. etiam quae supra pag. 99, ubi de »abundantia« egi, de Manilii V 464 adnotavi.

VERGILIO debet Manilius haec: Man. I 1 sq. *et conscia fati Sidera.* Verg. aen. IV 519 sq. *et conscia fati Sidera*; *conscia sidera*: aen. IX 429. || M. I 4 sq. — *primusque novis Helicona movere Cantibus.* V. aen. VII 641 (X 163) *Pandite nunc Helicona, deae, cantusque movete.* || M. I 5 — *et viridi nutantes vertice silvas.* V. aen. II 629 (ornus) *concusso vertice nutat,* ibid. IX 682 (quercus) — *et sublimi vertice nutant.* || M. I 51 *Hi tantum movere decus, primique per artem.* V. georg. I 122 *Haud facilem esse viam voluit, primusque per artem*; cf. Lucr. V 10

---

[1]) Iis locis, quibus asteriscum apposui, verba in fine versus collocata sunt. ||
[2]) Iacobus legit *perspice*, sed cf. L. Mueller in Mus. Rhen. XVII p. 190.

Nunc appellatur sapientia, quique per artem. || M. I 68 *Et stupefacta novo pendebat lumine mundi.* V. aen. IV 584 (IX 459) *Et iam prima novo spargebat lumine terras;* cf. Lucr. II 144 *Primum aurora novo cum spargit lumine terras.* V 283 *Suppeditatque novo confestim lumine lumen.* || M. I 79[1]) † *Sed cum longa dies acuit mortalia corda.* V. georg. I 123 *Movit agros curis acuens mortalia corda.* || *M. I 92 — *et rumpere vocibus angues.* V. ecl. 8, 71 *Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.* || M. I 93 *Sollicitare umbras, imumque Acheronta movere.* V. aen. VII 312 *Flectere si nequeo superos, Acheronta movebo*; cf. aen. XI, 23 — *qui solus honos Acheronte sub imo est.* Ovid. met. XI 504 *Despicere in valles imumque Acheronta videtur.* || M. I 267 *Aequato tum Libra die cum tempore noctis.* V. georg. I 208 *Libra die somnique pares ubi fecerit horas.* || M. I 285 *Nec vero e solido stant robora corporis ei.* V. aen. II 639 *solidaeque suo stant robore vires.* || M. I. 304 *Vergit in alterius rostro sequiturque sequentem.* V. aen. XI 695 *Eludit gyro interior sequiturque sequentem.* || M. I 317 *Quod similis iunctis instat de more iuvencis.* V. aen. III 369 *Hic Helenus, caesis primum de more iuvencis.* || M. I 396 *Subsequitur rapido contenta Canicula cursu.* V. aen. V 291 *Hic, qui forte velint rapido contendere cursu*; *contendere cursu*: Lucr. VI 28. Ovid. met. IV 303; *rapidus cursus*: Verg. aen. VII 676. XII 683. || M. I 433 *Quam propter Cetus convolvens squamea terga.* V. georg. III 426 *Squamea convolvens sublato pectore terga*; cf. aen. II 218 sq. *squamea circum Terga.* || M. I 514 *Lustrarit mundum vario sol igneus orbe.* V. georg. IV 426 *Ardebat caelo, et medium sol igneus orbem*; *sol igneus*: aen. VIII 97. *sol ardens*: Cat. 64, 354; cf. Lucr. V 693 sq. — *terras et caelum lumine lustrans — sol.* || M. I 516 *Nec se cognoscunt terrae vertentibus annis.* III 554 *Non annos signis, menses vertentibus annis.*

---

[1]) Eos locos, quibus signum crucis † apposui, iam contulit W. Ribbeck in appendice editionis Vergilianae ab Ottone Ribbeckio curatae.

V. aen. I 231 *Certe hinc Romanos olim volventibus annis*; *vertens annus*: Prop. V 2, 11. ‖ M. I 519 *Quae nec longa dies auget, minuitque* —. V. aen. V 783 *Quam nec longa dies, pietas nec* —. ‖ M. I 536 — *amplectens pontum terrasque iacentes.* V. aen. I 224 *Dispiciens mare velivolum terrasque iacentes*; similiter: *M. I 249 — *terrae pelagique iacentis.* ‖ M. I 649 *Circumfer faciles oculos* —. V. aen. VIII 310 — *facilesque oculos fert omnia circum.* ‖ M. I 716 *Dum nova per caecam vibrantur lumina noctem.* V. aen. II 397 *Multaque per caecam congressi proelia noctem*; *nox caeca*: Lucr. I 1115 sq. Cat. 68, 44. Ovid. met. VI 472 sq. X 476. XI 521. trist. III 6, 32. ‖ M. I 766 *Assaracum atque Ilum tutamque* (ex coni.) *sub Hectore Troiam.* V. aen. VI 650 *Ilusque Assaracusque et Troiae Dardanus auctor.* ‖ *M. I 777 — *quorum iam maxima turba est.* V. aen. VI 611 *Nec partem posuere suis, quae maxima turba est.* ‖ M. I 845 *Hirta figurantes tremulo sub lumine menta.* V. aen. VII 9 — *splendet tremulo sub lumine pontus.* ‖ M. I 849 *Et tenuem longis iaculantur crinibus ignem.* V. aen. VII 73 *Visa, nefas, longis comprendere crinibus ignem.* ‖ M. I 914 *Necdum finis erat, restabant Actia bella.* V. aen. I 223 *Et iam finis erat* —. *ibid. VIII 675 *Actia bella.* ‖ M. II 20 *quod colles Bacchus amaret.* V. georg. II 113 *Bacchus amat colles* —. ‖ M. II 26 *Signaque diffuso passim labentia caelo.* V. aen. III 515 *Sidera cuncta notat tacito labentia caelo*; cf. Ovid. fast. III 113 *Non illi caelo labentia signa tenebant*; *caeli labentia signa*: Lucr. I 2. ‖ M. II 84 *Quae quamquam longo cogit submota recessu*, II 681 *Utque ipsa a longo coeunt submota recessu*, cf. IV 869 *Conditur, en, inquit, vasto natura recessu.* V. aen. VIII 193 *Hic spelunca fuit vasto summota recessu*; *longi recessus*: Ovid. met. XI 592. fast. I 555. ‖ M. II 102 †*Attollunt animos 'caelumque et sidera servant.* V. aen. XII 4 *Attollitque animos* — georg. I 335 *Hoc metuens caeli menses et sidera serva.* ‖ M. II 134 sq. †*Quod fortuna ratum faciat, quis dicere falsum Audeat...?* V. georg. I 463 *Sol tibi signa dabit. Solem quis*

dicere falsum Audeat? ‖ M. II 150 *Ac primum astrorum varia est natura notanda.* V. georg. II 9 *Principio arboribus varia est natura creandis.* ‖ M. II 202 †*Aestivum tardis attollat* (sic GC) *mensibus annum.* V. georg. I 32 *Anne novum tardis sidus te mensibus addas.* ‖ *M. II 229 *dumosis Scorpius arvis.* V. georg. II 180 *Tenuis ubi argilla et dumosis calculus arvis.* ‖ M. II 291 *hunc Aries atque illum partibus aequis.* V. aen. IX 754 *Sternit humi moriens, atque illi partibus aequis.* ‖ M. II 447 *Agnoscitque suos Neptunus in aequore Pisces.* V. aen. III 347 *Agnoscitque suos laetusque* —. Ovid. met. V. 212 *Agnoscitque suos et* —. ‖ M. II 494 *Cancer et adverso Capricornus conditus astro.* V. georg. I 218 *Taurus, et adverso* (Ribbeck: *averso*) *cedens canis occidit astro.* ‖ M. II 514 *Direxere aciem cupiuntque* —. V. aen. VII 523 *Derexere acies. non iam* —. ‖ M. II 618 *nec longa est gratia facti.* V. aen. IV 539 *Et bene apud memores veteris stat gratia facti,* ibid. VII 232 *Fama levis, tantique abolescet gratia facti.* ‖ M. II 658 *Ver Aries, Cererem Cancer, Bacchumque ministrans.* V. aen. VIII 181 *Dona laboratae Cereris Bacchumque ministrant.* ‖ M. II 778 *Antiquasque domos et* —. V. georg. II 209 *Antiquasque domos avium,* — aen. II 635 *Antiquasque domos* —. ‖ M. II 780 *Rimantur, ferrique rigor* —. V. georg. I 143 *Tum ferri rigor atque*; cf. Lucr. I 492 *rigor auri.* ‖ M. II 794 *praecepsque in tartara tendit.* V. georg. II 292 (aen. IV 446) — *tantum radice in tartara tendit.* ‖ M. II 796 *Quo defessus equis Phoebus subsistit anhelis.* V. georg. I 250 *Nosque ubi primus equis Oriens afflavit anhelis,* aen. V 739 *Et me saevus equis Oriens afflavit anhelis*; cf. *Solis (Phoebi) equi anheli*: Ovid. met. IV 633 sq. XV 418 sq.; *equi solis anhelantes*: Tib. II 5, 60. ‖ M. II 951 *Ne mirere, nigri si Ditis ianua fertur.* V. aen. VI 127 *Noctes atque dies patet atri ianua Ditis; Dis niger*: Ovid. met. IV 438; *praeceps ianua Ditis*: *Gratius cyn. 70; *alta ostia Ditis*: V. aen. VIII 667. *Ditis limina*: Germ. prog. 4, 13. ‖ M. III 1 *In nova surgentem maioraque viribus ausum.* V. aen. X 811 *Quo moriture ruis maiora-*

que viribus audes? maioraque viribus: Ovid. fast. II 123 (eodem loco). || *M. III 23 *Romanae gentis origo.* V. aen. XII 166 *Hinc pater Aeneas, Romanae stirpis origo.* || M. III 436 †*Accipiunt perduntque pares —.* V. georg. IV 172 (aen. VIII 450) *Accipiunt redduntque —.* Versus Vergiliani docent Manilio Bentleium suo iure reddidisse *redduntque.* || M. III 629 *Tum Cererem fragili properant destringere culmo.* V. georg. I 317 *Agricola et fragili iam stringeret hordea culmo.* || M. III 639 *producitque diem, tenebrasque resolvit.* V. aen. VIII 591 *Extulit os sacrum caelo tenebrasque resolvit.* || M. IV 27 *Roma casis enata foret? Pecudumque magistri.* V. ecl. 3, 101 *Idem amor exitium pecori est pecorisque magistro.* georg. II 529 *Te libans, Lenaee, vocat, pecorisque magistris.* || *M. IV 40. 599 *victae (magnae) Carthaginis arces.* *V. aen. I 298. IV 347. *Ovid. fast. VI 45 *Carthaginis arces.* || *M. IV 64 *Priamumque in litore truncum.* V. aen. II 557 *iacet ingens litore truncus* (sc. Priamus). || M. IV 171 *Atque alio sub sole novas exquirere praedas.* V. georg. II 512 *Atque alio patriam quaerunt sub sole iacentem.* || M. IV 182 †*Et pacare metu silvas et vivere rapto.* V. aen. VII 749 (IX 613) *Convectare (comportare) iuvat praedas et vivere rapto*; *vivere rapto*: Ovid. trist. V 10, 16; *vivit rapto*: met. XI 291. || M. IV 243 *Vesta tuos, Capricorne, fovet penetralibus ignes.* V. aen. II 297 *Aeternumque adytis effert penetralibus ignem,* ibid. V. 660 *Conclamant, rapiuntque focis penetralibus ignem.* || M. IV 508 †*Et dabit in praedas animos, solvetque pudorem.* V. aen. IV 55 *Spemque dedit dubiae menti solvitque pudorem.* || *M. IV 539 *cibi tam dira cupido.* *V. georg. I 37 *veniat tam dira cupido.* *aen. VI 373 *tibi tam dira cupido.* *ibid. VI 721 *miseris tam dira cupido.* *ibid. IX 185 *fit dira cupido.* || M. IV 662 *Huic varias pestes diversaque monstra ferarum.* V. aen. VI 285 *Multaque praeterea variarum monstra ferarum.* Ovid. met. XIV 414 *Cuius ab attactu variarum monstra ferarum.* || M. IV 694 *Italia in summa, quam rerum maxima Roma.* V. aen. VII 602 sq. *nunc maxima rerum Roma*;

cf. *Prop. V. 1, 1 *qua maxima Roma est.* || M. IV 758 *Ardent Aethiopes Cancro, cui plurimus ignis.* V. ecl. 7, 49 *Hic focus et taedae pingues, hic plurimus ignis.* || M. IV 817 *Ut genus in terram caelo descendit ab alto.* I 118 *Et quoniam caelo descendit carmen ab alto.* I 798 sq. *proles* | *Iulia descendit caelo.* V. aen. VIII 423 *Hoc tunc ignipotens caelo descendit ab alto*; *descendere caelo*: Ovid. fast. V 551. Hor. carm. III 4, 1. || M. V 16 *Hesperidumque vigil custos.* V. aen. IV 484 *Hesperidum templi custos*; *custos vigil*: Ovid. a. a. III 612. || M. V 41 *Rector erit puppis, clavoque immobilis haerens.* V 678 *Squamigerum nubes turbaque immobilis haeret.* V. aen. VII 250 *Obtutu tenet ora, soloque immobilis haeret.* || M. V 150 *Pumicibusque cavis horrentia —.* V. georg. IV 44 *Pumicibusque cavis exesaeque —.* || M. V 201 *Et genus a proavis —.* V. aen. XII 225 *Quoi genus a proavis ingens.* || M. V 202 *Retiaque et valida venabula cuspide fixa.* V. aen. XI 691 *sed Buten aversum cuspide fixit.* || M. V 220 *Effrenos animos violentaque pectora finget.* V. aen. X 151 *Quae sibi conciliet, violentaque pectora Turni.* || M. V 226 *Ardescit vitio vitium viresque ministrat.* V. aen. XI 71 *Non iam mater alit tellus viresque ministrat.* || M. V 229 *Aut spumantis apri dentes —.* V. aen. I 324 *Aut spumantis apri cursum —.* || M. V 257 sq. *Pallentes violas et purpureos hyacinthos, Liliaque et Tyrias imitata papavera luces.* V. ecl. 2, 47 *Pallentis violas et summa papavera carpens*; cf. georg. IV 130 sq. *albaque circum Lilia verbenasque premens vescumque papaver.* Ovid. met. X 190 sq. *Ut si quis violas riguove papaver in horto Liliaque infringat.* || M. V 348 *et qui possunt ventura videre.* V. aen. II 125 *et taciti ventura videbant.* Ovid. met. V 146 *sugax quondam ventura videre.* || M. V 461 *Nec minus hac scelerum facie.* V. georg. I 506 *Tam multae scelerum facies —.* aen. VI 560 *Quae scelerum facies? o virgo —.* || M. V 489 *et extentis praedam circumvolat alis.* V. aen. III 233 *Turba sonans praedam pedibus circumvolat uncis.* Ovid. met. II 719 *Spemque suam motis avidus circumvolat alis.* || M. V 603 *et vani*

crepitent sine vulnere dentes. V. aen. V 436 *duro crepitant sub volnere malae.* ‖ M. V 646 *Nixa genu species vel Graio nomine dicta.* V. aen. III 210 *Strophades Graio stant nomine dictae*; cf. Ovid. fast. IV 63 *Nec tibi sit mirum Graeco rem nomine dici.* ‖ M. V 732 *Quot delapsa cadant foliorum milia silvis.* V. aen. VI 309 sq. *Quam multa in silvis autumni frigore primo Lapsa cadunt folia.*

Ad OVIDIUM spectant versus hi: Man. I 113 *Hoc mihi surgit opus —.* Ovid. am. I 1, 27 *Sex mihi surgat opus numeris.* fast. IV 830 *Auspicibus vobis hoc mihi surgit opus.* ibid. V 111 *A Iove surgat opus —.* ‖ M. I 329 *Tunc silvas et saxa trahens, nunc sidera ducit* (Orpheus). O. met. XI, 1 sq. *Carmine dum tali silvas animosque ferarum Threicius vates et saxa sequentia ducit,* trist. IV 1, 17 sq. *Cum traheret silvas Orpheus et — Saxa.* cf. supra p. 60. ‖ M. I 371 *Pleiades Hyadesque, feri —.* O. met. XIII 293 *Pleiadasque, Hyadasque —.* Verg. georg. I 138 *Pleiadas, hyadas, claramque —.* ‖ M. I 410 sq. *nec clarius astrum Tinguitur oceano.* O. trist. I 4, 1 *Tinguitur oceano custos Erymanthidos ursae.* cf. supra p. 61. ‖ M. II 51 *Et iam confusi manant de fontibus amnes.* O. met. XIII 954 *Nec mora, diversis lapsi de fontibus* (alii: *partibus*) *amnes.* ‖ M. II 61 *Infusumque deum caelo terrisque fretoque.* O. am. III 13, 33 *Iamque pererratis profugus terraque fretoque.* ‖ M. II, 165 *Dissimile est illis iter in contraria versis.* O. met. XII 179 *Quis fuerit Caeneus, cur in contraria versus.* trist. I 3, 75 *Sic doluit Mettus tunc, cum in contraria versos.* ‖ M. II 228 *Lanigeri gregis est Aries*; simile hexametri initium legitur: O. met. III 585. VI 395. VII 540. ‖ M. II 601 *Et fas atque nefas mixtum —.* O. a. a. I 739 *Conquerar, an moneam mixtum fas omne nefasque.* ‖ *M. II 847 *puerilibus annis.* *O. met. II 55 *nec tam puerilibus annis*[1]); *puerilibus annis* in fine versus occurrit: fast. VI 417. her. 5, 157; cf. *puerilibus affuit annis*: *met. V 400. ‖

[1]) cf. A. Zingerle, z. spät. lat. Dichtern, p. 72.

M. III 13 *Et male conceptos partus* —. O. met. X 503 *At male conceptus sub robore creverat infans.* ‖ M. III 22 *Non regis Magni spatio maiore canenda.* O. fast. VI 585 *Tertia causa mihi spatio maiore canenda.* ‖ M. IV 60 *Vulnera non potuit toto spectante senatu.* O. ex Pont. IV 4, 41 *Inde domum repetes toto comitante senatu.* cf. supra p. 60. ‖ M. IV 83 *Mutuaque armati coeunt in vulnera fratres.* O. met. III 123 *Marte cadunt subiti per mutua vulnera fratres.* ibid. VII 141 *Terrigenae pereunt per mutua vulnera fratres.* trist. II 319 *Cur tacui Thebas et mutua vulnera fratrum?* ‖ M. IV 118 *Hoc quoque fatale est, sic* —. O. her. 4, 63 *Hoc quoque fatale est: placuit* —. ‖ M. IV 124 *Dives fecundis Aries in vellera lanis;* cf. I 263 *Aurato princeps Aries in vellere fulgens.* O. her. 6, 2 *Diceris auratae vellere dives ovis.* ‖ M. IV 130 *Nunc glomerare rudis, nunc rursus solvere lanas.* O. met. VI 19 *Sive rudem primos lanam glomerabat in orbes; lanae rudes*: O. her. 1, 78. a a. II 220. ‖ M. IV 287 *Aut uncos celare cibis aut* —. O. met. XV 476. *Nec celate cibis uncos fallacibus hamos.* ‖ M. IV 755 *Euxinos* (*Euxinus* G et L correctus) *Scythicos pontus sinuatus in arcus.* O. met. XIV 51 *Parvus erat gurges, curvos sinuatus in arcus; Scythicus arcus*: O. ex Pont. I 1, 79 (eodem loco). ‖ M. V 176 *Te, Meleagre, colunt, flammis absentibus ustum.* O. fast. V 305 *Respice Thestiaden: flammis absentibus arsit.* Ibis 599 *Natus ut Althaeae flammis absentibus arsit.* cf. supra p. 61. ‖ M. V 184 *canibus nova praeda fuit* (Actaeon). O. trist. II 106 *Praeda fuit canibus* (Actaeon). ‖ M. V 224 *Corda micant et lingua rabit.* O. fast. III 331 *Corda micant regis.* ‖ M. V 253 *Cara Ariadneae quondam monumenta coronae.* O. fast. III 513 *Sintque tuae tecum faciam monumenta coronae.* ‖ M. V 295 *Chelarum. dabit et iaculum torquere lacertis.* O. ex Pont. II 9, 57 *Atque ut es excusso iaculum torquere lacerto.* cf. supra p. 61. ‖ M. V 333 *Ille dabit cantus.* O. fast. II 767 *Iam dederat cantus.* ‖ M. V 551 *Mollia per duras*

panduntur b r a c c h i a c a u t e s (de Andromeda). O. met. IV 672 *Quam simul ad* d u r a s *religatam* b r a c c h i a c a u t e s (de eadem); *cautes durae*: Verg. Aen. IV 366. ‖ M. V 682 *Et fluit in liquidas tabes* r e s o l u t a m e d u l l a s. O. met. IX 484 — *ut iacui totis* r e s o l u t a m e d u l l i s.

CATULLI verborum nescio an meminerit Manilius versu hoc:

Man. I 319 *A t p a r t e e x a l i a claro* v o l a t *orbe Corona.* Cat. 64, 251 *A t p a r t e e x a l i a florens* v o l i t a *bat Iacchus.* (cf. supra pag. 112),

itemque TIBULLI loco hoc:

M. I 87 sq. *Et* v a g u s *in caecum penetravit* n a v i t a *pontum Fecit et* i g n o t i s *itiner commercia* t e r r i s. Tib. I 3, 39 sq. *N e c* v a g u s i g n o t i s *repetens compendia* t e r r i s *Presserat externa* n a v i t a *merce ratem,*

LYGDAMI denique versu hoc:

Man. IV 577 *N u l l a f i d e s i n e r i t natis, sed* —. Lygd. apud Tib. III 6, 49 *N u l l a f i d e s i n e r i t: periuria* —.

Iam transeo ad eas phrases percensendas, quae cum apud alios quoque poetas occurrant, dubites, num casu cum Manilio consentiant. Huc referendi sunt ei versuum fines, qui apud plurimos poetas Romanos leguntur, et de quibus egit A. Z i n g e r l e in libello qui inscribitur: *Zu späteren lateinischen Dichtern* I p. 44 sqq. et II p. 49 sqq.

Man. I 6 *Hospita* s a c r a f e r e n s; s a c r a f e r e n s: Verg. aen. VIII 85 (eod. loco); s a c r a f e r o: Verg. georg. II 476 (eod. loco); cf. Verg. aen. VI 809. Prop. IV 8 (9), 46. ‖ Man. I 10 *D a s a n i m u m* (Bentl. *animos*) — *d a r e a n i m o s*: Verg. aen. VII 383 (eod. loco). Ovid. am. II 17, 7. met. V 47 (eod. loco). ex Pont. I 2, 85; cf. Lachmann ad Prop. IV 15, 15. ‖ Man. I 26 *M u n e r a* (Bentl. *munere*) *c a e l e s t u m*; Verg. georg. I 238 *M u n e r e concessae d i v o m.* ‖ Man. I 29 *I n v i t i s ut d i s cuperet* —. Cat. 76, 12 *Et d i s i n v i t i s.* Verg. aen. II 402 *invitis - divis.* X, 31 *invito numine.* Ovid. Ibis 498 *invito - deo.* ‖ Man. I 32 *Sublimes a p e r i r e v i a s.* Lucr. I 373 *Et*

liquidas aperire vias. || *Man. I 41 *dignata movere.* *Ovid. am. III 1, 37 *dignata moveri.* || Man. I 53 *Singula — signarunt tempora casu.* I 596 *Et per quinque notat signantes tempora fines.* I 607 *Tempora signantes anni.* IV 15 *signantes tempora casus.* Ovid. fast. I 657 *Ter quater evolvi signantes tempora fastos.* ibid. II 7 *Idem sacra cano signataque tempora fastis.* || Man. I 57 *Quantaque quam parvi facerent discrimina motus.* Ovid. met. X 517 *sed, ne faciat discrimina cultus.* || Man. I 60 *sua cuique potentia formae.* Ovid. met. X 573 *sed tanta potentia formae est.* || Man. I 61 *Per varios usus artem experientia fecit.* Lucr. V 1452 *Usus et impigrae simul experientia mentis.* || Man. I 62 *Exemplo monstrante viam.* Verg. aen. I 382 *Matre dea monstrante viam.* Ovid. met. III 602 *Admoneo, monstroque viam.* || *Man. I 66 *nullo discrimine vita*; *nullo discrimine* in eadem hexametri sede legitur: Man. I 651. Lucr. V 1314. Verg. aen. I 574. X 108. XII 498. 770. || *Man. I 67 — *ratione carebat*; *ratione carentes* eodem loco: Ovid. am. I 10, 25. fast. III 119. || *Man. I 105 *nubibus ignem.* *Lucr. II 214 — *nubibus ignes.* || *Man. I 122 — *semina rebus*; *semina rerum* eodem loco saepe occurrit apud Lucretium; praeterea: Ovid. met. I 9. 419. fast. IV 787. || Man. I 180 *Sed medio suspensa manet* (sc. tellus). Lucr. VI 1128 *Aut etiam suspensa manet vis aere in ipso.* || *Man. I 182. III 286. V 127 — *surgentibus astris*: *Verg. georg. I 440. || *Man. I 267 — *tempore noctis*; eodem loco: Ovid. am. II 10, 27. || *Man. I 269 — *dirigit arcu*, *Verg. aen. XI 654. || *Man. I 272 — *Aquarius urnam*, *Ovid. fast. II 457. || Man. I 276 *Omnia quae summo despectant sidera caelo.* Ovid. a. a. II 87 *Territus a summo despexit in aequora caelo.* || *Man. I 301 — *certior auctor*, *Verg. aen. X 510. || Man. I 306 *Dividit et cingit stellis ardentibus Anguis.* Verg. aen. IV 482 (VI 797) *Axem umero torquet stellis ardentibus aptum.* || Man. I 330 *Et rapit immensum mundi — orbem.* Verg. georg. II 153 *Nunc rapit immensos orbes.* || *Man. I 334 — *molli*

cervice reflexus. *Verg. aen. VIII 633 — *tereti cervice reflexa.* *Ovid. a. a. III 779 — *paullum cervice reflexa.* *Cic. Arat. IX 5 — *tereti cervice reflexum.* ‖ *Man. I 357 — *scopulisque revinctam.* Ovid. met. XI 212 — *quam dura ad saxa revinctam.* ‖ Man. I 359 *Auxilioque iuvet* —. Ovid. met. IX 781 *Auxilioque iuva.* ‖ *Man. I 362 — *nomen adeptus*, *Lucr. II 998. V 795. 821. (ter: *adepta*). ‖ Man. I 403 *Eventus frugum varios* —. Verg. aen. X 160 *Eventus belli varios* —. ‖ *Man. I 447 *mundo . . . volvuntur in imo.* *Verg. aen. VI 581 — *fundo volvuntur in imo.* ‖ Man. I 469 *Praecipue medio cum luna implebitur orbe.* Ovid. met. II 344 *Luna quater iunctis implerat cornibus orbem.* ibid. XI 453 — *quam luna bis impleat orbem.* fast. II 175 *Luna novum decies implerat cornibus orbem.* ‖ Man. I 492 *Quis credat tantas operum sine numine moles.* Ovid. a. a. II 467 *Prima fuit rerum confusa sine ordine moles.* ‖ *Man. I 527 — *luminis orbes*; *luminis orbem*: *Lucr. III 410. *Ovid. met. XIV 200. ‖ *Man. I 583 — *lumina solis*, *Lucr. saepe. *Ovid. met. I 767. trist. II 325. ‖ *Man. I 657. IV 631 — *vestigia plantae*, *Ovid. fast. IV 463. *Grat. cyn. 238 (*plantis*). ‖ *Man. I 668 — *moderatur habenas*, *Ovid. met. VI 223 (*-antur h.*) ‖ Man. I 704 *Ceu missura diem subito caelumque recludens.* Verg. georg. IV 52 — *caelumque aestiva luce reclusit.* ‖ *Man. I 709 — *spumantibus undis*; eodem loco: Verg. aen. III 268. cf. Cat. 64, 155. 68, 3. ‖ Man. I 767 *Auroraeque nigrum partum.* Verg. aen. I 489 — *et nigri Memnonis arma.* ‖ Man. I 787 sq. — *et tertia palma Marcellus.* Verg. aen. V 339 — *et nunc tertia palma Diores.* ‖ Man. I 792 *Scipiadaeque duces, fatum Carthaginis unum.* Culex 370 sq. *Scipiadaeque duces, quorum devota triumphis Moenia vae rapidis Libycae Karthaginis horrent*; cf. Lucr. III 1034 *Scipiadae, belli fulmen, Carthaginis horror.* ‖ *Man. I 835 — *vertice crines*, *Cat. 64, 350. *Ovid. met. IV 558. XIII 427 (bis: *crinem*). ‖ *Man. I 841 — *glomeratus in orbes.* *Ovid. met. I 35 — *glomeravit in*

orbes. *ibid. VI 19 — *glomerabat in orbes.* ‖ Man. I 853 *Qui gravidas habitant fabricantes fulmina nubes.* Lucr. VI 365 *Quorum utrumque opus est fabricanda ad fulmina nubi.* ‖ *Man. I 877 — *arva coloni,* *Verg. georg. I 125. ‖ *Man. I 881 — *flamma medullis,* *Verg. georg. III 271. ‖ *Man. I 898. II 48 — *foedere rupto.* *II 639 *foedera rumpunt,* *Lucr. II 254 — *foedera rumpat.* *Ovid. her. 4, 17 — *foedera rumpam.* *Verg. aen. XII 582 — *foedera rumpi.* ‖ *Man. I 916 — *rector Olympi,* eodem loco: Ovid. met. II 60. IX 499. ‖ Man. II 3 *Hectoreasque faces.* V 301 *Hectoris ille faces.* Ovid. ex Pont. IV 7, 42 *Dicitur Hectoreas sustinuisse faces.* ‖ Man. II 10 *Amnemque in tenues ausa est deducere rivos.* Ovid. met. V 435 *Pectoraque in tenues abeunt evanida rivos.* ‖ Man. II 17 *Atque iterum patrio nascentem corpore Bacchum.* Ovid. met. XV 402 *Corpore de patrio parvum phoenica renasci.* ‖ *Man. II 32 — *spolioque leonem,* similis versus finis legitur: Ovid. met. III 81. IX 113. fast. II 325. V 393. ‖ *Man. II 49 *doctae cecinere sorores.* *Ovid. fast. VI 811 *doctae assensere sorores.* ‖ *Man. II 82 — *quae cuncta gubernat.* *III 208. IV 892 — *qui cuncta gubernat.* *Lucr. V 1240 — *quae cuncta gubernent.* ‖ *Man. II 87 — *temperat arva,* *Verg. georg. I 110. ‖ Man. II 142 *Et gaudente sui mundo per carmina vatis.* Ovid. ex Pont. IV 8, 43 *Nec tamen officio vatum per carmina facto.* ‖ Man. II 252 *Tuque tuo, Capricorne, gelu contractus* —. Verg. georg. IV 259 *Ignavaeque fame et contractae frigore pigrae.* ‖ *Man. II 359 — *foedera servant,* similiter eodem loco: Ovid. a. a. I 641. fast. II 159. ‖ *Man. II 400 — *tempora poscunt,* *Ovid. fast. II 861. ‖ Man. II 433 *His animadversis rebus* —. Verg. georg. II 259. III 123 *His animum adversis* —. ‖ Man. II 456 — *Aries caput est ante omnia princeps.* Verg. aen. V 833 *Princeps ante omnes — Palinurus.* ‖ *Man. II 485 — *ut principe dignum est.* *Ovid. trist. II 133 — *ita principe dignum.* ‖ *Man. II 536 — *per signa sequenda.* *III 155 — *per signa sequentes,* similis versus finis legitur: Verg.

georg. I 439. aen. V 590. IX 394. ‖ Man. II 626 *Nec magis illorum coeunt ad foedera mentes.* Verg. aen. XI 292 — *coeant in foedera dextrae.* ‖ Man. II 714 *Ne vagus ignotis — partibus erres.* Ovid. met. XIV 680 — *nec toto passim vagus errat in orbe.* cf. supra p. 99. ‖ Man. II 777 *Pellitur omne loco volucrum genus atque ferarum,* cf. I 236 — *gentes hominum atque ferarum.* Lucr. VI 1216 — *alituum genus atque ferarum*; *genus omne ferarum* in clausula hexametri: Lucr. I 163. V 1338. Verg. georg. IV 223. Ovid. her. 10, 1. met. X 705[1]). ‖ *Man. II 779 — *marmora templis,* similis versus exitus legitur: Verg. aen. IV 457. VI 69. Ovid. a. a. I 81. ex Pont. III 6, 25. ‖ *Man. II 793 — *aetheris ora,* similiter eodem loco: Lucr. II 1000. V 143. 683. ‖ *Man. II 839 — *tempora vitae,* *Ovid. ex Pont. III 2, 29. ‖ *Man. II 851 — *exercita cursu,* *Verg. georg. III 529. ‖ Man. II 929 *At qua subsidit converso cardine mundus.* III 623 — *converso cardine mundum.* Verg. aen. IX 724 *Portam vi magna converso cardine torquet.* ‖ *Man. II 942 — *accenditur igne,* similis versus finis: Lucr. VI 321. Verg. aen. V 4. Ovid. trist. IV 10, 67. ‖ Man. III 2 *Nec per inaccessos metuentem invadere saltus.* Verg. aen. VII 11 *Dives inaccessos ubi Solis filia lucos.* ‖ *Man. III 21 — *aequoris undis,* similis versus exitus: Lucr. V 374. Ovid. am. II 11, 1. a. a. I 723. met. V 498. XIII 779. ‖ *Man. III 26 — *ventis dare vela secundis,* eodem loco: Verg. aen. IV 546. Ovid. a. a. I 51 *(vento)*; cf. Verg. aen. III 683 — *ventis intendere vela secundis.* Ovid. her. 16 (17), 163 *vela - ventis dedit - secundis.* ‖ *Man. III 27 *Fecundumque solum* —. Ovid. met. VII 417 *Fecundique soli* —. ‖ *Man. III 66 — *traheretur in unum.* *Ovid. fast. IV 97 — *contraxit in unum.* ‖ *Man. III 95 — *nomenque genusque,* *Verg. aen. X 149. ‖ *Man. III 173 — *ratione repertus,* *Ovid. met. I 688 *(-reperta).* ‖ Man. III 203 *Forsitan et*[2]) *quaeras agili*

[1]) cf. Zingerle, Ovid u. s. Verh. II p. 38. ‖ [2]) cf. Huebner, in Hermae Berol. vol. XIII p. 182.

rem. Verg. georg. II 288 *Forsitan et scrobibus quae sint — quaeras.* aen. II 506 *Forsitan et — requiras.* || *Man. III 264 (480) *sidera (sidere) Cancri,* *Verg. ecl. 10, 68 *(sidere C.).* || Man. III 276 *Sidera, quoque cadant, animo cognosce sagaci.* Lucr. II 840 *Nec minus haec animum cognoscere posse sagacem.* || Man. III 547 *Mensis, et exactis bis sex iam mensibus annus*; *exactis mensibus* eodem loco: Verg. georg. III 139. aen. V 46. || *Man. III 602 — *insuper addit,* eodem loco: Verg. aen. XI 107. XII 358. Ovid. met. VI 362 *(addunt).* || *Man. III 613 — *flore iuventam,* similiter eodem loco: Verg. aen. VII 162. VIII 160. || *Man. III 630 — *membra palaestras,* *Verg. aen. VI 642 *(palaestris).* || *Man. III 658 *Huic ex adverso —.* Verg. aen. II 716 *Hanc ex diverso —.* || Man. IV 105 *Astra novant formas —.* Ovid. met. XI 261 *Ille novat formas —,* cf. ibid. VIII 853 *Esset ero, formamque novat —.* || *Man. IV 156 — *tristemque senectam,* similis versus finis: Verg. georg. III 67. aen. VI 275. || Man. IV 339 *Noctes atque dies —*; idem versus initium legitur e. g. Lucr. II 12. III 62. Verg. aen. VI 127. || *Man. IV 380 — *taurus aratra,* *Verg. georg. I 45 *(-aratro).* || Man. IV 417 *Et maris et ruptis fugientia flumina ripis.* Lucr. II 362 *Fluminaque illa queunt summis labentia ripis.* || Man. IV 481 *Si te fata sinant —.* Prop. III 7 (15), 23 *Dum nos fata sinunt —.* cf. Ovid. met. XI 408 *Fata sinunt: —.* || Man. IV 506 *Et cervice prior flexa quam cornibus ibit.* Verg. georg. I 433 *Pura neque obtunsis per caelum cornibus ibit.* || *Man. IV 527 — *tincta lepore.* Lucr. V 1376 — *distincta lepore.* || *Man. IV 591 — *Eurus ab ortu,* *Ovid. trist. I 2, 27. Man. IV 623 *Quot loca et innumeras gentes —.* Verg. aen. VI 706 *Hanc circum innumerae gentes,* — cf. Ovid. met. IV 668. trist. V 10, 15. ex Pont. II 1, 22; cf. supra p. 107. || *Man. IV 763 — *terraque marique.* *IV 795. 889 — *terraeque marisque,* similis versus finis legitur: Lucr. V 219. VI 678. Verg. aen. I 598. X 162. Ovid. trist. III 1, 25. IV 8, 15. || Man. IV 773 *Hesperiam sua libra tenet —.*

Ovid. fast. I 498 *Nave secat fluctus, Hesperiamque tcent.* || Man. IV 799 *Et Cilicum gentes vicinaque Caridos arva.* Verg. aen. III 500 *Si quando Thybrim vicinaque Thybridos arva.* || Man. IV 829 *Subducitque solum pedibus* —. Lucr. I 1106 *Terraque se pedibus raptim subducat* —. || Man. IV 830 *Et vomit Oceanus pontum sitiensque resorbet.* Ovid. her. 12, 125 *Quaeque* (sc. Scylla) *vomit totidem fluctus totidemque resorbet.* || Man. IV 924 — *sic auri pondera parvi.* Verg. aen. X 527 — *sunt auri pondera facti.* Tib. I 9, 31 sq. — *divitis auri Pondere.* Lygdamus apud Tib. III 3, 11 — *pondus mihi divitis auri.* Ovid. her. 16 (17), 224 *Congestoque auri pondere dives ero.* || *Man. IV 926 — *pretiosior auro est*; eodem loco: Ovid. a. a. II 299. am. III 8, 3 *(pretiosius —).* || *Man. V 10 — *conscendere currus,* eodem loco: Lucr. VI 47 *(currum).* Ovid. trist. III 8, 1. || *Man. V 26 — *labentia caelo,* *Verg. aen. III 515. || *Man. V 51 — *aequore rostra,* similiter *Verg. aen. IX 119. || *Man. V 54 — *aequore classes,* similiter *Verg. aen. III 403. || *Man. V 125 — *sordida rura,* *Verg. ecl. 2, 28. || *Man. V 185 — *formidine mortis*; eodem loco: Ovid. met. XV 153. cf. Lucr. III 64. 79 *(mortis formidine).* || *Man. V 227 — *exsuscitat iras,* *Ovid. met. VIII 474. XIV 495 — *resuscitat iram.* || *Man. V 285 — *variare figuras,* eodem loco: Lucr. II 491. 494. || *Man. V 302 — *mille carinis,* eodem loco: Verg. aen. IX 148, — *carinae*: aen. II 198. Ovid. met. XII 37. XIII 182. || Man. V 327 *Qua quondam sonitumque ferens Oeagrius Orpheus.* Verg. aen. XII 455 *Ante volant sonitumque ferunt ad litora venti.* || *Man. V 425 — *aequore mersas,* similis versus exitus: Verg. aen. VI 342. 348. Ovid. trist. V 8, 11. cf. fast. IV 388. || *Man. V 507 — *mille figuris,* similiter eodem loco: Ovid. a. a. II 679. rem. 269. her. 10, 81. ex Pont. III 4, 25. || Man. V 534 — *et silicem rivo saliente liquabit.* Verg. ecl. 5, 47 *Dulcis aquae saliente sitim restinguere rivo.* || Man. V 546 *Hic Hymenaeus erat:* —. Ovid. met. VI 429 *Non*

Hymenaeus adest —. ‖ Man. V 553 *Et cruce virginea moritura puella pependit.* Verg. georg. IV 458 *Immanem ante pedes hydrum moritura puella.* ‖ Man. V 631 *Intentus poenis dum noxia corpora servat.* Verg. aen. VI 731 — *quantum non noxia corpora tardant.* ‖ Man. V 723 *Cumque vagae stellae terris sua lumina condunt.* Ovid. her. 1. 113 — *ut iam sua lumina condas.*

Ex clausulis a poetis frequentatis apud Manilium deprehendi has: participio perfecti passivi *condita* effectum inveni pedem hexametri quintum saepe, velut: I 204 *(c. in orbem).* 248. II 537 *(c. forma).* II 283 *(c. mundo).* 288 *(c. ductu).* 668 *(c. templo).* 936 *(c. parte).* III 46 *(c. sensu).* 83 *(c. sorte).* 114. IV 209 *(c. iura).* III 262 *(c. summa).* 295 *(c. mente).* 619 *(c. signa).* 641 *(c. castra).* IV 196 *(c. causis).* 378 *(c. plures).* 491 *(c. nono).* 773 *(c. Roma).* 788 *(c. signo).* *conditus* in eadem sede positum: I 119. III 168. 585. (ter: *c. ordo*). ‖ Eodem loco formas *imitari* verbi inveni locis his: *imitata* I 201. 850. *imitatus* V 91. *imitantia* V 445. *imitantibus* V 341. ‖ *aequore ponti* in extremo versu legitur: V 158. ‖ *aequora ponti* IV 649. ‖ *aequora* (*-ore*) *terr*-: I 163. IV 625. 630. 645. 782. ‖ *aequora* (*-ore*) *pisces*: II 225. 237. 447. IV 385. V 395 (*-piscis*). ‖ *aequore fluct*-: V 686. 731. ‖ *aequoris undis*: III 21. ‖ *carcere clau*-: I 924. II 93. 954. ‖ *cardine mund*-: I 280. 605. II 868. 929. 939. III 623. ‖ *culmina* (*-ine*) *caeli*: I 150. II 810. ‖ *culmine mund*-: I 640. II 846. ‖ *culmine summo*: III 593. V 384. ‖ *litora pont*-: I 437. IV 656. 806. V 528. 550. ‖ *lumina mund*-: I 376. 848. II 18. ‖ *moenia mundi*: I 486. III 48. ‖ *sidera cael*-: I 276. 472. 488. 529. II 742. III 101. ‖ *sidera mund*-: I 259. 670. 809. II 728. 836. III 273. IV 744. 920. V 410. ‖ *sidera cancri*: I 568. III 264. 646. 651; III 480 et IV 329: *sidere c.* ‖ *tempora vitae*: II 839. 850. III 560. ‖ *tempore vitam*: V 397.

Adiectivis in *-bilis* desinentibus Manilius ad formandam sedem hexametri quintam usus est his:

delassabile IV 242. *excussabile* II 593. *flebile* V 567. *generabile* I 143. *glomerabilis* I 221. *glomerabile* IV 522. *habitabilis* I 238. [*inevitabile* II 113]. *mirabile* I 478. *miserabilis* I 229. *nobilis* II 798. *penetrabile* I 543. *revolubilis* I 330.

Iam ut ipsam tamquam officinam poeticam Manilii perlustrem, transeo ad ea epitheta colligenda, quae Manilio cum aliis poetis communia sunt, quibus ea adiciam, quae non legi nisi apud unum Manilium. Epitheta sunt haec:

Acheron imus: Man. I 93. Verg. aen. XI, 23. Ovid. met. XI, 504. || *aequor caecum*: Man. V 54. 399; *fluidum*: Man. I 164; *liquidum*: Man. V 564. Ovid. fast. V 547. Ciris 493; *summum*: Man. V 158. || *aequora aspera Euxini ponti*: Man. IV 678 sq. || *aer gelidus*: Man. I 279; *liquidus*: Man. I 815. Verg. aen. VI 202. Ovid. am. II 6, 11. Pseudo-Tib. IV 1, 209. Germ. Arat. 568; *torridus*: Man. I 820. Prop. III 24 (28), 3. || *aestas sitiens*: Man. II 183. || *aestus candens*: Man. I 587; *rapidus*: Man. I 869. Verg. ecl. 2, 10. || *aether altus*: Man. I 286. Verg. aen. XII 181 (eodem loco). IV 574. Ovid. met. I 80 sq. II 204. III 298 sq. fast. II 131. Germ. Arat. 423 (eodem loco). || *aether laxus*: Man. V 600. (cf. *aether liquidus*: Hor. carm. II 20, 2); *magnus*: Man. I 456. Verg. aen. X 356 (eodem loco). Lucr. V 473 *(maximus aether)*. Germ. Prog. 4, 33; *summus*: Man. II 36. Verg. aen. I 223. XII 853. Ovid. met. I 608. II 135. 178. Ibis 72. Germ. Arat. 222. || *amictus laxus*: Man. IV 750. Ovid. a. a. III 268. (cf. *toga laxa*: Tib. I 6, 40. *sinus laxus*: ibid. I 6, 18). || *amnes aurati*: Man. IV 672. (cf. *amnis aurifer Tagus*: Cat. 29, 19. *Lydius aurifer amnis*: Lygdamus apud Tib. III 3, 29). || *amnis vagus*: Man. V 193. (cf. *flumina vaga*: Dirae 67). || *animal mutum*: Man. II 99. (cf. *mutae squamigerum pecudes*: Lucr. II 342 sq. 1082 sq. *mutum pecus*: Hor. sat. I 3, 100). || *animus sagax*: Man. II 157 sq. III 276. IV 368. Lucr. I 402. II 840. IV 912. Germ. Prog. 4, 161 sq. (eodem loco ac

II 157 sq.); *volucer*: Man. II 107; Ovid. met. XV 457 eodem loco: *anima volucris.* ‖ *anni pueriles*: Man. II 847. eodem loco: Ovid. her. 5, 157. fast. VI 417; praeterea: met. V 400. ‖ *annus vertens*: Man. I 516 III. 554. Prop. V 2, 11. (cf. *annus volvens*: Verg. aen. I 234). ‖ *aquilo acutus*: Man. V 70. ‖ *Arabes molles*: Man. IV 654. 754. Cat. 11, 5. (cf. *Arabs tener*: Tib. II 2, 4. *Sabaei molles*: Verg. georg. I 57). ‖ *aratrum curvum*: Man. IV 556. eodem loco: Lucr. V 933. VI 1253. Tib. II 3, 7. Ovid. met. III 11. her. 1, 55; praeterea: Verg. georg. I 170. II 189. Ovid. met. XV 123. fast. II 517. III 781. her. 16 (17), 139. ‖ *Arcti fulgentes*: Man. I 275. 566 (singul.); *gelidae*: Man. III 344. Verg. aen. VI 16. Ovid. met. IV 625 (cf. *Arcti frigentes*: Man. I 314; Bentl. *fulgentes*); *geminae*: Man. III 382. V 19. Ovid. met. III 45 (cf. *Arcti binae*: Man. I 283). ‖ *Arcti siccae*: Man. I 610. Ovid. trist. I 2, 29 (singul.). ‖ *arcus contentus*: Man. I 269. Ovid. a. a. II 191 (eodem loco). rem. 435; *intentus*: Man. II 171. IV 786. Ovid. ex Pont. I 2, 21; *Scythicus*: Man. IV 755. eodem loco: Ovid. ex Pont. I 1, 79. ‖ *arena fulva*: Man. V 527. eodem loco: Verg. aen. XII 741. Ovid. met. IX 36. XI 499. trist. IV 6, 31. ex Pont. IV 4, 11; praeterea: Verg. georg. III 110. aen. V 374. VI 643. XII 276. Ovid. met. II 865. XI 355; *litorea*: Man. V 191. Ovid. met. XV 725; *sicca*: Man. I 910. IV 669. V 730. Verg. georg. I 389 (eodem loco ac I 910). Prop. II 3, 5 (eodem loco ac I 910). Ovid. met. II 262. XV 268. her. 17, 33. Ciris 72; *vaga*: Man. I 160. ‖ *artes doctae*: Man. I 73. IV 191 sq. Ovid. met. IX 743 sq. (eodem loco ac IV 191 sq.); *innumerae*: Man. IV 277. Ovid. rem. 691; *magicae*: Man. V 34. Verg. aen. IV 493. Ovid. am. III 7, 35. rem. 250; *medicae*: Man. V 644. Tib. II 3, 14. Ovid. a. a. II 425. met. II 618. trist. V 6, 12. her. 5, 145. ‖ *artus laceri*: Man. I 911. IV 185. Ovid. met. IX 169 (eodem loco ac IV 185). ‖ *arva dumosa*: Man. II 229. Verg. georg. II 180 (eodem loco). ‖ *arx caeli*: Man. II 918. Ovid. fast. V 41. ‖ *Asia potens*: Man. IV 680. 753. ‖ *aura aetherea*: Man. I 149. Lucr. III 405 (v. l. *aeria*). Verg. georg. II 291 sq. aen.

I 546 sq. VII 557 (eodem loco). Germ. Arat. 524 sq. (cf. — *aeria*: Verg. aen. V 520); *tenuis*: Man. I 152. eodem loco: Lucr. I 1087. Verg. aen. V 740. 861. Ovid. met. VIII 827. fast. II 509; praeterea: Lucr. III 232. Verg. georg. IV 499 sq. saepe apud Ovidium velut met. VIII 179. XIV 824 sq. fast. V 375. (cf. *aura volucris*: Culex 253); *sicca*: Man. I 818. ‖ *aurem intendere*: Man. II 511. Ovid. ex Pont. IV 4, 36 *(aures)*. ‖ *aurum dives*: Man. V 16. eodem loco: Tib. I 9, 31. III 3, 11; praeterea: I 10, 7. ‖ *Bacchi munera*: Man. IV 204. Verg. georg. III 526 sq. Lygdamus apud Tib. III 6, 17 sq. Ovid. a. a. I 565 (eodem loco). — *munus*: Ovid. rem. 803. (cf. *munera Liberi*: Hor. carm. IV 15, 26. — *Cereris*: Ovid. met. X 74). ‖ *Bithynia dives*: Man. IV 761. (cf. *India dives*: Hor. carm. III 24, 2. *Indi dites*: Prop. IV. 3 (4), 1. *Arabs dives*: Tib. IV 2, 18. *Asiae divitiae*: Prop. I 6, 14). ‖ *bonum commune*: Man. I 84. Lucr. V 958 (eodem loco). Ovid. trist. IV 4, 16. ‖ *boreas gelidus*: Man. V 70. Ovid. am. II 11, 10. trist. I 2, 29. her. 17 (18), 41; *spirat*: Man. V 105. Verg. georg. II 316. ‖ *caelum altum*: Man. I 118. 600. 728. IV 817. Lucr. V 446. VI 287 sq. Verg. aen. VIII 423. Ovid. am. II 11, 55. met. IV 18 sq. trist. I 3, 71: *fulgens*: Man. II 881. III 101. Ovid. met. II 17; *immensum*: Man. I 14; *magnum*: Man. I 721. Lucr. V 1221. Ovid. met. I 176; *serenum*: Man. I 260. eodem loco: Verg. georg. I 260. aen. III 518. Ovid. met. I 168; praeterea: Lucr. VI 247. Ovid. met. II 321 (cf. *Zingerle, Ovid u. s. Verh.* II p. 27); *stellans*: Man. I 150. Lucr. IV 212. Verg. aen. VII 210 (eodem loco); *summum*: Man. I 276. 548. II 810. III 506. 604. Ovid. a. a. II 87. met. II 515. ‖ *campus viridis*: Man. I 705. Verg. georg. III 13. ‖ *cancer litoreus*: Man. III 316. Ovid. met. X 127. XV 369. ‖ *capillus effusus*: Man. V 558. eodem loco: Ovid. am. I 7, 39. (cf. *capilli fusi*: Tib. IV 2,9. *coma effusa*: Tib. I 3, 8. *coma fusa*: Tib. II 5, 66). ‖ *cardo versus* vel *conversus*: Man. I 449. II 929. III 623. Verg. aen. III 448. IX 724 (eodem loco ac Man. II 929 et III 623). Ovid. amr. I 6, 49. met. XI

608. XIV 782. || *carmen dulce*: Man. III 38. Cat. 68, 7. || *Cato antiquus*: Man. V 454. (cf. — *priscus*: Hor. carm. III 21, 11. — *intonsus*: Hor. carm. II 15, 11). || *catulus sagax*: Man. V 200. 710. Ovid. rem. 201 (eodem loco ac V 200). || *cautes durae*: Man. V 551. Verg. aen. IV 366. Ovid. met. IV 672 (eodem loco). || *Centaurus geminus*: Man. II 498. || *cervix mollis*: Man. I 334. Lucr. VI 744 (eodem loco). Ovid. fast. IV 185; *nivea*: Man. V 555. Ovid. met. X 272 (eodem loco). am. II 4,41. || *Charybdis avida*: Man. IV 605. Ovid. met. XIV 75 (eodem loco); *vasta*: Man. IV 421. eodem loco: Cat. 64, 156. Verg. aen. VII 302; praeterea: Lucr. I 722. Prop. III 22, 54. || *collis viridis*: Man. V 260. Lucr. II 322. || *convallis cava*: Man. I 164. Verg. georg. II 186 (eodem loco). || *copia dives*: Man. III 123. Ovid. ex Pont. III 1, 102. || *cor sagax*: Man. II 898. || *corda mortalia*: Man. I 79. II 452. Verg. georg. I 123. Germ. Prog. 4, 68. (bis eodem loco). || *cortex viridis*: Man. I 856. Verg. ecl. 5, 13. Ovid. a. a. II 649. (cf. *cortex viridis nucis*: Tib. I 8, 44). || *cothurnus tragicus*: Man. V 459. eodem loco: Ovid. trist. II 393. 553; praeterea: rem. 375. ex Pont. IV 16, 29. || *culmen summum*: Man. I 150. II 846. III 593. V 384. 742. Verg. georg. I 402. aen. II 458. 695. VII 512. (cf. *cacumen summum*: Man. II 806. Lucr. II 1130. V 1457. VI 464. Verg. georg. II 28 sq. Ovid. met. XV 510). || *culmus fragilis*: Man. III 629. Verg. georg. I 317 (eodem loco). || *cupido caeca*: Man. IV 2. Lucr. III 59. Ovid. met. III 620; *dira*: Man. IV 539. Verg. georg. I 37. aen. VI 373. 721. IX 185. || *cura sollers*: Man. II 256. Ovid. ex Pont. I 6, 35; *subtilis*: Man. III 43. || *cursus rapidus*: Man. I 348. 396. Verg. aen. V 291. VII 676. XII 683. Ovid. a. a. I 629. || *cursus aërii*: Man. V 578. Ovid. met. VI 709 (eodem loco et de eadem re). || *cuspis triplex*: Man. V 298. Ovid. met. XII 594. || *custos vigil*: Man. V 16. Ovid. a. a. III 612. || *Delia vaga*: Man. I 669. (cf. *Luna vaga*: Hor. sat. I 8, 21). || *dies alma*: Man. III 187. Ovid. met. V 444; *labens*: Man. II 855. Verg. aen. IV 77. XI 914; *longa*: Man. I 79. 519,

III 482. Verg. aen. V 783. VI 745. Tib. I 4, 17. Lygdamus apud Tib. III 6, 54. Ovid. met. I 346. XIV 148. ex Pont. II 4, 25. IV 11, 19. ‖ *Dis niger*: Man. II 951. Ovid. met. IV 438. (cf. *Dis ater*: Verg. aen. VI 127). ‖ *dona caelestia*: Man. V 21. Ovid. met. XIII 289. ‖ *draco vigil*: Man. III 11. (cf. *draco pervigil*: Ovid. met. VII 149. her. 6, 13. cf. her. 12, 101). ‖ *ductus aequalis*: Man. II 274. 288. eodem loco: Lucr. IV 426. (cf. *tractus aequalis*: Man. I 532). ‖ *elephas vastus*: Man. IV 667. (cf. infra ad *Gigantes v.*). ‖ *equi anheli*: Man. II 796 (ex coni. Scaligeri). eodem loco: Verg. georg. I 250. aen. V 739; praeterea: Ovid. met. IV 633 sq. XV 418 sq. (cf. *equi anhelantes*: Tib. II 5, 60); *ardentes*: Man. IV 232. Verg. aen. I 472; *quadriiugi*: Man. I 364. V 3. Verg. aen. X 571 (*-iuges*). Ovid. am. III 2, 66. trist. IV 2, 54. (cf. *equi bigi lunae*: Man. V 3). ‖ *esca dulcis*: Man. IV 112. Ovid. am. II 19, 26. ‖ *fastigia summa*: Man. II 813. IV 254. Verg. aen. II 758 (eodem loco ac IV 254). Ovid. met. II 3. Germ. Arat. 478 (eodem loco ac II 813). ‖ *fauces angustae*: Man. IV 619. Verg. aen. XI 525: *artae*: Man. IV 616. ‖ *ferarum turba*: Man. II 566. Ovid. met. XI 44. ‖ *filum gracile*: Man. I 851; *leve*: Man. IV 131. (cf. *f. tenue*: Grat. cyn. 25. 358). ‖ *flammae coruscae*: Man. I 860. Verg. aen. II 172 sq. ‖ *fratres gemini*: Man. II 568. eodem loco: Verg. aen. VII 670. Ovid. met. V 107; praeterea: Hor. epist. I 18, 41. Ovid. met. VIII 372. her. 15 (16), 271. 16 (17), 250. ‖ *frons adversa*: Man. I 502. Lucr. VI 117. Ovid. met. II 476. trist. I 2, 30. ‖ *fulmina vibrantia*: Man. I 134. (cf. — *vibrata*: Ovid. met. II 308 (eodem loco)). ‖ *gens colorata*: Man. IV 720. (cf. *colorati Indi*: Verg. georg. IV 293 (eodem loco). *colorati Seres*: Ovid. am. I 14, 6. *decolor Indus*: Prop. V 3, 10. Ovid. a. a. III 130); *eoa*: Man. I 224. (cf. *aquae eoae*: Tib. IV 2, 20; *Arabes eoi*: Lygdamus apud Tib. III 2, 24; *Arabum domus eoae*: Verg. georg. II 115; *fluctus eoi*: Hor. epod. 2, 51; *Indi eoi*: Ovid. am. II 6, 1; *mare eoum*: Tib. II 2, 16; *partes eoae*: Hor. carm. I 35, 31 sq.; *Sabaei eoi*: Grat. cyn. 132); *externa*: Man. II 818. Ovid. am.

III 4, 34; *extrema*: Man. I 227. Ovid. fast. III 195. (cf. *Arabes extremi*: Hor. epist. I 6, 6. *Indi extremi*: ibid, I 1, 45. *Indi longinqui*: Prop. II 9, 29); *fera*: Man. I 43. Ovid. fast. III 86. trist. III 10, 5. 11, 9; *hominum*: Man. I 236. 378. II 607. IV 724. Lucr. I 119. II 1076. ‖ *gentes innumerae*: Man. IV 623. Verg. aen. VI 706 (eodem loco). Ovid. met. IV 668. trist. V 10, 15. ex Pont. II 1, 22. ‖ *Germania fera*: Man. I 899. eodem loco: Hor. epod. 16, 7. Ovid. ex Pont. II 8, 39; praeterea: Ovid. trist. IV 2, 1. ‖ *Gigantes vasti*: Man. I 421. (cf. B. Deipser in Dissert. Argentor. vol. V p. 206). ‖ *Graecia subtilis*: Man. IV 720. ‖ *grando aestiva*: Man. I 100. ‖ *grex laniger*: Man. II 228. eodem loco: Ovid. met. III 585. VI 395. VII 540; praeterea: Verg. georg. III 287. ‖ *habenae laxae*: Man. III 372. Verg. georg. II 364. aen. I 63. ‖ *haedi petulci*: Man. V 108. Verg. georg. IV 10 (cf. *agni petulci*: Lucr. II 368). ‖ *hastilia lenta*: Man. V 203. Verg. aen. XI 650. XII 489 (eodem loco). Ovid. met. VIII 28. ‖ *hiatus vastus*: Man. I 356. V 206. Lucr. V 375. Verg. aen. VI 237. ‖ *ignis aethereus*: Man. II 56. Lucr. II 1098. Ovid. fast. I 473 (eodem loco). Germ. Prog. 4, 74 sq. ‖ *imber hibernus*: Man. II 195. Verg. georg. IV 474. ‖ *India tostas progenerat gentes*: Man. IV 724. (cf. *quos India torret*: Tib. II 3, 55. *Indus ustus*: Prop. V 3, 10). ‖ *ingenium capax*: Man. II 106 sq. Ovid. met. VIII 533; *sollers*: Man. IV 175. Ovid. fast. III 840. ‖ *intervallum longum*: Man. V 314. Verg. aen. V 320 (eodem loco). ‖ *Iovis ales*: Man. I 343. Verg. aen. XII 247. Ovid. a. a. III 420. Cic. Arat. 294 (eodem loco). Germ. Arat. 316. ‖ *ira saeva*: Man. V 227. eodem loco: Verg. aen. X 813. Ovid. met. I 453; praeterea: Ovid. trist. IV 6, 15. ‖ *Iuppiter magnus*: Man. I 343. V 132. Verg. aen. III 104. IX 82 sq. XII 808 sq. saepe apud Ovidium. Germ. Arat. 1. 34 sq. (cf. *summus*: Cic. Arat. 294). ‖ *lana rudis*: Man. IV 130. Ovid. a. a. II 220. met. VI 19. her. 1, 78. ‖ *leo avidus*: Man. IV 535 sq. Ovid. her. 9, 37; *magnus*: Man. II 504. V 234. Verg. ecl. 4, 22 (eodem loco ac V 234); *rabidus*[1]): Man.

[1]) ita cum cod. G. scribendum esse demonstravit Bechert, l. l. p. 52.

II 211. 550. Lucr. IV 712. Hor. art. poet. 393 (eodem loco); *saevus*: Man. IV 667. eodem loco: Lucr. III 306. IV 1016; praeterea: Verg. aen. IX 792. (cf. *vesanus leo*: Hor. carm. III 29, 19); *vastus*: Man. V [698]. 702. Verg. aen. VIII 295 (eodem loco ac 702). Germ. Prog. 4, 124. ‖ *lex fatalis*: Man. IV 391. Ovid. met. III 316. ‖ *leges infernae*: Man. I 327. Prop. V 11, 3. ‖ *limes tenuis*: Man. I 653. II 811. Ovid. rem. 599. trist. I 10, 16. ‖ *litus curvum*: Man. V 730. Verg. aen. III 16. 223. XI 184. Ovid. met. XI 352. fast. III 469. ‖ *lumine crasso candet orbis lacteus*: Man. I 756. (cf. *candens lacteus umor*: Lucr. I 258. *lumen candens*: Lucr. V 721. VI 1197). ‖ *lumen tremulum*: Man. I 845. 863. Verg. aen. VII 9 (eodem loco ac I 845). Ovid. her. 17 (18), 59. ‖ *lunae cornua*: Man. II 103. Verg. aen. III 645. Ovid. am. II 1, 23. met. II 117. III 682. her. 2, 3. (cf. *cornua Phoebes*: Ovid. met. I 11). ‖ *luna menstrua*: Man. III 517. Lucr. V 764. ‖ *lux aeterna*: Man. I 190. Ovid. met. XIV 132; *alma*: Man. V 142 sq. Verg. aen. I 306. III 311. VIII 455. XI 182 sq. Ovid. met. XV 664. ‖ *mare rapidum*: Man. V 584. (cf. — *rabidum*: Tib. I 2, 40. Pseudo-Tib. IV 1, 126. *rabidae undae maris*: Pseudo-Tib. IV I, 193. — *tumidum*: Prop. IV 8 (9), 35. — *vastum*: Tib. II 4, 10. Prop. IV 24, 10. Ovid. hal. 84). ‖ *mens alta*: Man. IV 308. Verg. aen. I 26. Ovid. met. I 76; *memor*: Man. II 842. III 618. Lucr. II 582. III 858. Ovid. met. VII 521 (eodem loco); *tacita*: Man. II 60. Ovid. am. I 4, 23. III 7, 63. a. a. I 602. met. V 427. XV 26. fast. III 634. ‖ *menses exacti*: Man. III 547. eodem loco: Verg. georg. III 139. aen. V 46. ‖ *moles immensa*: Man. I 542. Verg. aen. II 185; *ingens*: Man. II 62. Ovid. met. XV 433. trist. I 8, 17; *magna*: Man. III 100. Lucr. VI 194. Verg. aen. VIII 199. Ovid. met. V 347. ‖ *montes aggesti*: Man. I 426. (cf. *montes congesti*: Ovid. met. I 153); *alti*: Man. IV 644. saepe apud Verg. et Ovid. ‖ *mundus immensus*: Man. I 247. II 18. Ovid. met. II 35. 157; *magnus*: Man. I 17. 283. IV 766. V 410, 738. Lucr. saepe. Pseudo-Tib. IV 1, 18.

Ovid. met. XV 67. trist. IV 4, 83. || *mundi moles*: Man. I 107. Lucr. V 96; *templum*: Man. I 420. Lucr. V 1204. 1436. VI 43; *moenia*: Man. I 486. III 48. Lucr. saepe. || *musta pinguia*: Man. III 153. 663. Tib. I 1, 10. || *nix hiberna*: Man. I 100. Hor. carm. IV 12, 4. || *nox atra*: Man. V 726. Tib. IV 13, 11. Ovid. met. V 71 (eodem loco). X 454. Germ. Arat. 291. 695; *caeca*: Man. I 716. Lucr. I 1115 sq. Cat. 68, 44. Verg. georg. III 260. aen. II 397 (eodem loco). Ovid. met. VI 472 sq. X 476. XI 521. trist. III 6, 32; *nigra*: Man. I 621. Lucr. IV 537. Ovid. met. XV 187; *obscura*: Man. I 506. III 310. Cic. Arat. 404. Verg. aen. II 420. IV 461. Tib. I 2, 23. Germ. Arat. 202. || *nubes gravida*: Man. I 853. II 75. Lucr. VI 440. Ovid. trist. I 2, 107; *obscura*: Man. IV 530. Verg. georg. IV 60. || *numen divinum*: Man. I 484. eodem loco: Lucr. I 154. V 122. VI 91. Cic. Arat. 305. *magnum*: Man. I 531. Verg. aen. IV 94 (v. l. *nomen*); eodem loco: Ovid. am. III 11, 47. met. VI 443 || *oculi faciles*: Man. I 647. Verg. aen. VIII 310. || *olor niveus*: Man. I 339. (cf. *olor albus*: Verg. aen. XI 580. Ovid. her. 7, 2. *cygnus niveus*: Verg. georg. II 199. aen. VII 699. Grat. cyn. 77. Germ. Arat. 615. *cygnus albus*: Ovid. met. XIV 509. *cygnus candidus*: Germ. Arat. 465). || *Olympus altus*: Man. II 377. Verg. georg. I 96. Tib. I 6, 83. Grat. cyn. 481; *excelsus*: Man. I 392. 609. (cf. — *celsus*: Ciris 34); *magnus*: Man. I 367. V 31. Verg. aen. X 437. Ovid. met. XIII 761. Germ. Prog. 4, 132 (eodem loco ac I 367); *niger*: Man. I 711; *summus*: Man. III 422. 636. || *orbis solidus*: Man. I 101. Ovid. met. I 31 (eodem loco); *tortus*: Man. I 434. V 597. Verg. aen. XII 481. Ovid. am. I 14, 26. (cf. *orbis contortus*: Cic. Arat. 304). || *os resupinum*: Man. I 715. Ovid. met. III 452. || *pectus angustum*: Man. II 121. Verg. georg. IV 83; *humanum*: Man. I 28. 717. Lucr. V 103; *trepidum*: Man. IV 138. Ovid. ex Pont. III 3, 12. || *pelagus iacens*: Man. I 249. (cf. *terrae iacentes*: Man. I 536. Verg. aen. I 224); *trepidum*: Man. III 631. || *pericla sacra*;

Man. III 127. Verg. aen. VIII 188. Ovid. her. 19 (20), 175. ‖ *Phoebi orbis*: Man. III 221. Ovid. rem. 256. ‖ *pisces gemini*: Man. IV 385. 583. Ovid. fast. III 400; *squamosi*: Man. IV 582. (cf. *squamosa tergora Ceti*: Man. I 614. *squamoso corpore pisces* Cic. Arat. 143). ‖ *planta vaga*: Man. I 657 ‖ *pontus caecus*: Man. I 87. (cf. *undae caecae*: Verg. aen. III 200); *caeruleus*: Man. V 667. eodem loco: Ovid. met. XIII 838. trist. I 4, 25; praeterea: Verg. aen. XII 182; *horrendus*: Man. V 192; *immensus*: Man. I 295; *infestus*: Man. V 541 sq.; *magnus*: Man. V 611; *vastus*: Man. I 166. eodem loco: Lygdamus apud Tib. III 4, 85. Prop. I 15, 29; praeterea: Verg. aen. III 605; *vesanus*: Man. V 544. Prop. I 8, 5 (eodem loco); *vitreus*: Man. IV 515. ‖ *praedae cupido*: Man. II 616. Ovid. met. III 620. ‖ *primordia rerum*: Man. I 125. Lucr. saepe. ‖ *pumex cavus*: Man. V 150. Verg. georg. IV 44 (eodem loco). ‖ *querella mixta*: Man. II 624. (cf. *commixta querella*: Lucr. VI 1159 eodem loco). ‖ *radius ardens*: Man. I 837. Lucr. V 755. ‖ *ratio facilis*: Man. IV 389. Lucr. IV 143 (eodem loco); *tenuis*: Man. IV 866. Ovid. a. a. III 363. ‖ *recessus longus*: Man. II 84. 681. Ovid. met. XI 592. fast. I 555; *vastus*: Man. IV 613. 869. Verg. aen. VIII 193 (eodem loco ac IV 869). ‖ *rivus tenuis*: Man. II 10. Grat. cyn. 522 (eodem loco). ‖ *rogus accensus*: Man. V 627. Verg. aen. XI 188 sq. Ovid. trist. V 14, 38. ex Pont. III 1, 112; *ardens*: Man. I 894. Tib. II 4, 46. ‖ *rores verni*: Man. II 195. ‖ *ruris opes*: Man. IV 523. Ovid. fast. IV 928. trist. III 10, 59. ‖ *saccula longa*: Man. I 54. Ovid. met. IV 67. XV 446. ex Pont. III 3, 81. ‖ *sagitta celeris*: Man. IV 785. V 24. eodem loco ac IV 785: Verg. aen. IX 590. Ovid. met. V 367; eodem loco ac V 24: Verg. aen. I 187. XII 394. Pseudo-Tib. IV 1, 89; *volucris*: Man. I 270. 850. Verg. aen. V 242. XI 858. XII 415 (duobus his locis eodem loco ac I 850). Grat. cyn. 126 (eodem loco ac I 270). ‖ *sal mordax*: Man. V 145. ‖ *sedes imae*: Man. II 911. Lucr. V 451. Verg. georg. IV 471. aen. I 84. *sidereae*:

Man. IV 267 sq. Verg. aen. X 3. Ovid. a. a. II 39. ‖ *senecta tristis*: Man. IV 156. eodem loco: Verg. georg. III 67. aen. VI 275. *tremula*: Man. II 855. ‖ *Sicula tellus*: Man. II 40. Verg. aen. I 34. (cf. *Sicula terra*: Ovid. met. V 361. XIV 7). ‖ *sidera surgentia*: Man. I 560. III 332 sq. Verg. aen. VI 850 (eodem loco ac I 560). (cf. *astra surgentia*: Man. III 286. V 127. Verg. georg. I 440 (eodem loco)); *vaga*: Man. I 52. III 101. Germ. Arat. 17. (cf. *stellae vagae*: Man. III 62 sq. V 723; *lumina vaga*: Man. I 746. 848; *Delia vaga*: Man. I 669; *sol vagus*: Cat. 64, 271). ‖ *signa fulgentia*: Man. I 667. IV 859. Ovid. met. XIII 700. *astra fulgentia*: Man. II 702. *stellae fulgentes*: Lucr. VI 357. *stellae ardentes*: Man. I 306. eodem loco: Verg. aen. IV 482. VI 797. XI 202. cf. *signa ardentia*: Cic. Arat. 319. *astrum ardens*: Man. I 268. *ignes ardentes*: Man. V 724. ‖ *signa* (*sidera*) *labuntur* (*labentia*): Man. I 374. 683. II 26. V 26. Lucr. I 2. Verg. aen. III 515. Ovid. fast. III 113. ‖ *silex dura*: Man. I 856. Verg. aen. VI 471. Ovid. met. II 706. IX 303 sq. ‖ *Solis equi*: Man. I 690. 730. Lucr. V 397. Verg. aen. XII 115 (eodem loco ac I 690). Ovid. am. II 1, 24. her. 6, 86. ‖ *solis cursus*: Man. I 373. Lucr. V 76. 418. 774; *s. viae*: Man. I 443. Verg. aen. VI 796 (eodem loco). ‖ *sol fulgens*: Man. I 583; *igneus*: Man. I 514. Verg. georg. IV 426 (eodem loco). aen. VIII 97. (cf. *sol ardens*: Cat. 64, 354); *recurrens*: Man. I 513. Verg. aen. VII 100; *regressus*: Man. I 71. ‖ *solum fecundum*: Man. III 27. Ovid. met. VII 417 (eodem loco). (cf. *solum pingue*: Verg. georg. I 64. Tib. II 3, 6. *arvum pingue*: Lygdamus apud Tib. III 3, 12. *humus pinguis*: Ovid. a. a. I 360. her. 1, 54. *campus pinguior*: Hor. carm. II 1, 29 sq. *Asiae campi pingues*: Hor. epist. I 3, 5. *Assyria pinguis*: Lygdamus apud Tib. III 2, 24. *Phrygia pinguis*: Hor. carm. II 12, 22. *Campania pinguis*: Prop. IV 4, 5). ‖ *sonus blandus*: Man. II 147. Ovid. rem. 332. her. 15 (16), 258. ‖ *sorores doctae* (i. e. Musae): Man. II 49. Lygdamus apud Tib. III 4, 45. Ovid. met. V 255. fast. VI 811 (eodem loco).

trist. II 13[1]). ‖ *sucus saluber*: Man. III 144. Verg. aen. XII 418 sq. ‖ *Syrtis vadosae*: Man. IV 600. ‖ *tabes lenta*: Man. I 880. Ovid. met. II 807. ‖ *taurorum flammae*: Man. III 11. Ovid. met. VII 210. ‖ *templum sacratum*: Man. V 510. Cat. 55, 5. Verg. aen. II 165 (eodem loco). Ovid. fast. II 57 sq. III 429 sq. (cf. — *sanctum*: Culex 83 sq.). ‖ *tempora labentia*: Man. III 470. Ovid. trist. III 3, 11 sq. ‖ *terga lubrica*: Man. V 716. Verg. aen. II 474; *squamea* (*Ceti*): Man. I 433. Verg. georg. III 426. aen. II 218 sq. Germ. Arat. 721 (eodem loco de Pristi). ‖ *terra arenosa*: Man. IV 728. Ovid. met. XIV 82 (eodem loco). ‖ *terrae iacentes*: Man. I 536. Verg. aen. I 224. (cf. *pelagus iacens*: Man. I 249). ‖ *tractus terreni*: Man. IV 416 (cf. Lachmann, *comment. Lucr.* p. 37 sq.). ‖ *triumphus magnus*: Man. IV 561. V 500. Ovid. rem. 155. ex Pont. II 5, 27. III 4, 53; *vetus*: Man. V 513. Ovid. trist. IV 2, 71. ‖ *umbra celeris*: Man. III 343. Verg. aen. XII 859; *gelida*: Man. III 283. eodem loco: Lucr. V 641. Ovid. met. VIII 496; praeterea: Verg. aen. XI 210; *nigra*: Man. I 222. Lucr. IV 316. 378. ‖ *unda aeterna*: Man. II 492. 564. Ovid. met. XV 551 (eodem loco); *gelida*: Man. II 941. Ovid. met. V 433. XV 310; eodem loco: Pseudo-Tib. IV 1, 60. Ovid. trist. IV 10, 3. (cf. *aqua gelida*: Tib. I 1, 47); *liquida*: Man. V 444. eodem loco: Ovid. met. I 95. IV 380. XI 116. XV 135; praeterea: Verg. aen. V 859. Ovid. met. I 369 sq. XIII 535. fast. VI 699; *pura*: Man. I 162. Verg. aen. VI 229. Ovid. met. XI 125 (eodem loco); *spumans*: Man. I 709. Verg. aen. III 268 (eodem loco). Cat. 64, 155. 68, 3; *summa*: Man. IV 505. 535. V 430. 610. eodem loco ac IV 505. 535. V 610: Verg. georg. IV 352. aen. I 127. 147. Ovid. met. XI 733. trist. III 4, 11; eodem loco ac V 430: Verg. aen. VI 357. Ovid. met. II 457. V 470. fast. II 407; praeterea: Ovid. am. I 7, 56. III 6, 6. trist. III 10, 40; *tacita*: Man. III 631. Verg.

[1]) cf. Kleemann, de libri tertii carminibus, quae Tibulli nomine circumferuntur. Argentorati 1876. p. 58 sq.

aen. VIII 87. X 227 (eodem loco). ‖ *vellus auratum*: Man. I 263 (arietis). II 212 (leonis). cf. IV 515. Germ. Arat. 532 (arietis) eodem loco ac II 212; (cf. Ovid. her. 6, 2). ‖ *venena mixta*: Man. II 597. Ovid. am. I 14, 44. ‖ *vertex excelsus montis*: Man. I 402. Verg. aen. V 35. cf. *celsus vertex montis*: Cic. Prog. III; *caeli*: Man. I 567. III 356. 374. Cic. Arat. 297. Verg. aen. I 225 (eodem loco ac III 356); *summus*: Man. I 564. II 906. eodem loco ac I 564: Cic. Arat. 297. Ciris 307; eodem loco ac II 906: Lucr. III 1001. Ovid. met. VI 204; praeterea: Lucr. II 210. Cat. 64, 390. Ovid. am. I 10, 6. met. IV 731. VII 702. Ciris 319. Germ. Arat. 219; *tortus*: Man. I 710. Lucr. I 293. ‖ *vestigia ponere*: Man. I 196. Lucr. III 4. 389. Verg. georg. III 195. Ovid. met. II 871. VIII 694. XIV 49 (eodem loco). ‖ *vires amplae*: Man. II 530. Lucr. V 1174 (eodem loco). ‖ *virgo infelix*: Man. V 588 (de Andromeda). Ciris 71 (eodem loco, de Scylla). ‖ *visus mortales*: Man. IV 870. Verg. aen. II 605 (eodem loco). IV 277. ‖ *volucres aeriae*: Man. I 237. V 380. Lucr. I 12. V 825 (bis eodem loco ac I 237). Ovid. Ibis 290. (cf. *aeriae grues*: Verg. georg. I 375. *aeriae palumbes*: Verg. ecl. 3, 69). ‖ *volucres pictae*: Man. II 43. Verg. georg. III 243. aen. IV 525. ‖ *vultus summissus*: Man. I 265. Verg. aen. XII 807.

Superest, ut gratias agam Guilelmo Studemund praeceptori meo, qui de nonnullis locis dubiis quid sentiendum esset me docuit, et ut indicem earum notarum addam, quibus codices a Becherto collatos significavi:

G = Gemblacensis.	V_1 = Vossianus I.
C = Cusanus.	V_2 = Vossianus II.
L = Lipsiensis.	M = Monacensis.

DE M. MANILII QUAE FERUNTUR ASTRONOMICON AETATE.

DISSERTATIO INAUGURALIS
PHILOLOGICA
QUAM
AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINI
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
GEORGIA AUGUSTA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
PROPOSUIT

BERTHOLDUS FREIER
NEOMARCHICUS.

GOTTINGAE.
A. MDCCCLXXX.

Argumentum.

Ante quam vere criticam, quae valde quidem desideratur, literarum Graecarum et Romanarum historiam instituas, videtur hoc inprimis efficiendum, ut quem quisque veterum scriptorum in ordine temporum locum obtinuit, is quam accuratissime definiatur. Quod ut fiat, necesse sane est viri docti singula referant illorum opera ad certos annorum numeros. Videmus autem eam rem quoniam natura difficillima est ac mirabilem in modum saepe contorta, ne nunc quidem omnibus partibus adeo absolutam, ut de nullorum iam librorum aetate ambigi liceat. Adhuc enim, quamvis inde a renato antiquitatis studio quatuor fere saeculorum labor consumptus sit, tamen supersunt multi, qui quando primum in lucem prodierint, inter omnes parum constat. Si quis igitur ad inveniendos eorum annos aliquid auxilii afferet, spes est fore, ut non solum otio sibi concesso bene utatur verum etiam a studiorum sodalibus comiter accipiatur.

Hac consideratione adductus libellum audebam componere de poeta, quem vocant Manilium. Quoniam enim cum multi scriptores (memini autem Velleii et Curtii) tum iste Latinus, cuius nomine Astronomicon libros V homines docti e bibliothecis edere consueverunt, saeculis post mortem omnibus paucorum fuit, quae est de eius aetate quaestio, hanc nondum debemus ad eum finem perductam putare, ut quiddam certi nec ambigui in medium proferatur. E contrario reperiuntur, qui paene desperent aliquando ita, ut est in votis investigatorum antiquitatis, interrogantibus posse responderi. — Sed operae sane pretium est vel maxime arduam rem identidem tractare, modo vetus quaedam, quae de ea habetur, sententia novis ar-

gumentis certior fiat ac stabiliatur. Cuius rei occasionem nanctus quandoquidem talem qualem significavi molem subire me iuvat, iam et ipse quaecumque viri docti de Manilii aevo usque ad hunc diem iudicavere, in utramque partem disputabo idque ita, ut alia gravissimis rationibus probata teneam alia deteriore nota signata a re disceptanda in aeternum repellam. — Deinde si quid novi ac memorabilis forte nobis obtigerit, id aptissimo quoque loco ad peritiores arbitros deferam. Videlicet erit magna quaestio etiam de iis hominibus, qui Manilii vel auctores vel familiares vel assecutores fuisse putandi sunt, si quidem his cognitis ipse inter certos annorum terminos includetur.

Quibus praemissis restat, ut qui viri docti haud mediocri opera me adiuverint, paucis ostendam. Sunt igitur inprimis:

Josephus Scaliger, qui ante hos CCC annos Parisiis Astronomicon libros edidit ornatos commentario, ut solet scribere, satis amplo;

Ricardus Bentleius, qui curante Londini a. 1739 nepote carminis contextum recensitum cum praefatione parvula posteris reliquit;

Carolus Lachmannus, cuius inter observationes criticas Gottingae a. 1815 scriptas caput I de Manilii aetate habetur (v. Kl. Schriften z. klass. Philol. pag. 42 seq.);

Fridericus Jacobus, qui de eadem re et in programmate Lubecensi a. 1832 et in praefatione suae Manilii editioni a. 1849 adiecta pluribus disseruit;

Rudolphus Merkelius, a quo prolatas de poeta argutas sententias in prolusione ad Ovidii Ibin Berolini a. 1837 (v. Ovid. Trist. p. 393—406) facta legimus.

Praeter hos si qui de indaganda Manilii aetate bene meriti sunt, eos ubicunque decet iustis laudibus efferam.

Iam vides tantis cum viris mihi fore certamen, in quantos summam tantum verecundiam meam iuvenis existimantis esse oporteat. Fortiter tamen ad propositam rem aggrediamur!

Caput I.

De carminis inscriptione.

Hinc disserendi initium ut sumamus, auctoritate commovemur Bentleii, quippe qui nepote teste primum ex ipso operis titulo abunde statuerit liquere auctorem tempore Augusti fuisse. Atque eo accuratius et exponenda ea res et diiudicanda videtur, quo longius de ea alii dissentiunt.

Accidit enim M. Manilio, ut a nullo antiquitatis neque poeta neque oratore neque grammatico unquam in partes vocatus sit.[1]) Extemplo igitur exsistit quaestio, qua aetate ipse floruerit. Neque vero eius facilis erit et prompta responsio: quoniam testis, quem posteriorum temporum unicum habemus, Gerbertus pontifex saeculo p. Chr. decimo ab amico M. Manilii libros de astrologia petens in epistola nullis prorsus quis poeta fuerit quandove vixerit verbis docuit,[2]) facere non possumus, quin illarum rerum indicia e libris manu scriptis eruamus.

Quid autem proficiemus, si monente Bentleii nepote carminis inscriptiones[3]) collegerimus collectasque contulerimus? Hoc si quaeras, libere fatendum est primum apparere ne nomen quidem poetae posse stare. Etenim codex, qui ceteros vetustate sine dubio superat, nullum a prima manu habet nomen, ab altera demum saec. XV. additum: Mălius poeta. At in recentioribus, qui eiusdem fere aetatis (i. e. saec. XV.) omnes sunt, aliis carmen traditur esse Arati philosophi aliis

[1]) Merk. Prol. p. 400. [2]) Fabricii bibl. Lat. I., p. 499 ed. Ernesti. [3]) Cfr. Jac. praef. p. V.—XII.

sive Mallii EQVOM sive Mallii poetae illustris sive boeni sive Malii sive Manlii poetae clarissimi sive Manilii sive Manilii Boeni. — Qua e nominum serie etiam si legitime Aratum ut alicuius fraude introductum movimus, talia tamen restant, qualia non a librariis solis verum a scriptoribus ipsis permixta videntur. Ergo quid est cur Mallio, qui in exemplari diligentissime scripto reperitur, sive Manlio Manilium praeferamus? Laudaverit quispiam huius auctorem Gerbertum pontificem, sed nulla probabit ratione eum verum poetae nomen nec iam falsum memoria tenuisse.

Nec solae nominis literae vacillant, sed etiam quem ad modum Aratus sic Manilius legentis cuiusdam arbitratu ad honorem auctoris Astronomicon videtur adscendisse. Hanc labimur ad opinionem necessario, ut primum sumus recordati nullam omnino inscriptionem carminis fuisse in codice longe vetustissimo Gemblacensi. Quem qui ultimus inspexit Theodorus Oehler,[4]) non ad persuadendum apte demonstravit, sed credidit tantum ibi titulum aliquo casu periisse. Adeo hoc a natura libri abhorret. Nam si qua ante carminis principium de poeta verba fuissent, haec in iis quoque, qui primum subsequuntur, libris a librario suae artis peritissimo opportuno loco appicta reperiremus. Cuius rei ne minima quidem apparent vestigia. Quid autem aptius excogitatur quam eum, qui a scribendis codicibus erat, usum esse Astronomicon exemplo, in quo titulus iam non fuit residuus? Inde facillime sane intellegitur, cur inscriptione Gemblacensis vacet. Deinde nullam aliam video causam subesse, quod ii libri, qui cum illo nulla parte cohaerent, velut Lipsiensis et Bruxellensis, nomen Arati tanquam auctoris tradunt. Hoc nomen aliquem tenebrionem invenisse ex similitudine, quam esse meminerat Astronomicis cum Phaenomenis Solensis, cum plane appareat, cur tandem tam inepte ille finxisset, si in exemplo iam certum nomen habuisset? — Denique ceteri quoque codices, quibus hoc literis quibusdam depravatum quidem sed Manilio

4) Cfr. Jac. praef. p. VII. VIII.

simile continetur, fluxisse putandi sunt ex archetypo non inscripto. Quam ad rem demonstrandum commodissimum est, quod isti supra prooemium libri I. indicant carmen missum esse ad Augustum principem. Namque in hanc tituli partem priorem cadit maxima commenti suspicio.

Quisquis enim haud omnino rerum Romanarum imperitus primos carminis versus perlustraverit, neglectis reliquis ultro in eam veniet opinionem, ut de Octaviano verba fieri credat, neque ulla dedita opera carminis si desiderabit titulum ita supplere poterit, ut inscribat sive ut est in Vossiano I: „ad Caesarem Augustum" sive ad exemplum Vaticani (n. 3089) „ad Octavianum Augustum". — At quae fieri potuerunt, ea re vera facta esse optime mea quidem sententia cognoscitur ex titulo Vossiani II, cuius summa nunc est fides et auctoritas. Is constat his verbis: „M. Mallii EQVOM astronomicon divo oct. quirino augq prooemium lib. pr." Quis tandem poeta sana mente usus eum, ad quem carmina sua daturus erat, iam in prima pagina tot cognominibus iisque miro modo consertis unquam cumulavit? Immo aurea quidem Augusti aetate nemo sane scriptor opera sua dedicavit Divo Octaviano Quirino Augusto. Talis nominum congeries nescio an multo melius conveniat temporibus quae dicuntur Byzantinis. Quin etiam hoc sine ulla dubitatione pro vero affirmaverim ab homine quodam satis inepto, qui Astronomicis operam dabat, consutum esse illum indicem ex iis nominibus, quae in versibus libri I., 7. 8. 800. 801 exstant:

„Tu Caesar, patriae princepsque paterque,
Qui regis augustis parentem legibus orbem.
. . regit Augustus socio per signa Tonante.
Cernit et in coetu Divum magnumque Quirinum."

Id quidem profecto mirum non est, quod aliquis astrologus, Firmicorum instar, ea nomina, quae de Caesare et Romulo nuncupata a poeta sunt, contulit in Octavianum, quem unum Caesarem Augustum cognominari posse putaret, fortasse ne hoc quidem oblitus, illi saepe cognomen Divi ab Ovidio, a Vergilio semel (Georg. III, 27) Quirini indi. Nec hominem

Byzantinum praesertim literatum dedecet ea cognomina, quibus in carmine ipso ad celebrandum principem uti poetae liceat, etiam inscriptioni illius inseruisse, tanquam si iam mortuus atque inter superos receptus Augustus astronomico carmine a Manilio donatus esset[5]).

regit orbem, qui non invitus, verum suapte quasi sponte sanctis legibus paret. Praeterea si Caesar hoc loco esset Tiberius, admirationem mihi quidem etiam quae sequuntur inicerent: *Concessum patri mundum deus ipse mereris.* Is igitur ad quem se convertit alloquendo poeta, mundum (i. e. caelum) meretur, qui patri ante eum concessum est; quod quicumque legerit, eius animus eo fere labetur, ut patrem putet primum fuisse, cui mundus concederetur: tum vero temporis, quo fuit Manilius, omnibus, cum de homine in deorum numerum relato sermo erat, primi in mentem veniebat divi Iulii Caesaris, cui primo e gente Iulia concessum est caelum: is igitur pater est: filius autem C. Iulius Caesar Octavianus secundus mundum meretur. Verumenimvero Tiberium si poeta eo loco, de quo agitur, allocutus esset, cur tandem omitteret C. Iulium Caesarem, intellegi minime posset. Iamque summi ad recte interpretandum momenti esse puto haec verba: *das animos viresque facis ad tanta canenda . . . . hoc sub pace vacat.*[1]) Octavianus profecto bellis civilibus, quibus antea universus orbis tum cognitus vastatus erat, profligatis, cum orbi,[2]) tum urbi Italiaeque pacem dederat, ut Musis, cum antea inter arma obmutuissent, rursus locus concederetur; atque quis tandem nescit Augusto imperante ut omnes artes liberales, ita poesin mirum quantum floruisse? Augustus poetis nonne maxime favit? non quacunque poterat ratione adiuvabat, laudabat? Expediet fortasse Ovidii recordatio qui ad Augustum sese convertens sic est locutus: *aspicias, quantum dederis mihi pectoris ipse* (trist. II, 561); et in Verg. Ecl. 1, v. 6 sq. habemus haec: *O Meliboee, deus nobis haec otia fecit. Namque erit ille mihi semper deus* etc. Ubi de Tiberio quidquam simile? Cuius sub imperio, etsi artes liberales utriusque generis studiosissime eum coluisse Suetonius narrat (Tib. 70), litteras vix renatas tamquam quiescere atque carmina poetarum silere videmus. E contrario sub Augusto, quoniam honos eis non defuit, alebantur artes eiusque regnum paene Apollinis regnum fuit, nec dubito mihi persuadere in Verg. Gg. IV, 10 Apollinem

1) de lectione vacat vid. Becterti diss.

2) cf. Ov. Met. XV, 832 Pace data terris.

pro Caesare esse dictum.[1]) Nam Augustus non solum cum Apolline conferebatur, sed esse etiam existimabatur Apollo.[2]) Conferri possunt, quae Horatius c. IV 15 sq. dicit:

Tua, Caesar, aetas . . .
Et veteres revocavit artes,
Per quas Latinum nomen et Italae
Crevere vires famaque et imperi
Porrecta maiestas ad ortum
Solis ab Hesperio cubili,

quibus comparem atque apud Manilium inesse videmus laudationem. Atque tamquam Apollo Musagetes eo, de quo est quaestio, loco Augustus invocatur (Ruediger l. l. p. 6. not. 3). Quapropter aptissimi sunt v. 10 cet., si ad Octavianum, sed minus idonei, si ad Tiberium referuntur. Neque adversatur nostrae sententiae v. 13, quo potissimum nisus Freier post cladem Varianam, antequam Octavianus diem supremum obisset, nullum sine gravi bello annum fuisse dicit. Quid tandem? Roma atque Italia nonne furore civili compresso (cf. Hor. c. IV 15, 17) pacatae fuerunt atque otio fruebantur? Id autem gravissimum est, ut mei quidem animi sententia stat: ibi enim civium discordiis remotis pacis, quae et sunt et appellantur, artes et poterant florere et reapse florebant; ibi sub pace otioque vacavit canere poetis nullo bellorum tumultu impeditis. Sub hac pace floruit Ovidius, quamdiu Romae vitam degit; at Tomos eiectus de terra pacis inopi tristis queritur, qua quae minus fruatur Augusta pace vix humum totum per orbem inveniri dicit (Ep. ex P. II 5, 17 sq. II 7, 17, saepius). Utebatur igitur Italia quiete armisque silentibus silere desinebant carmina. Pannonico autem tumultu (Tac. a. l. I.) misso cum solis Germaniae gentibus illo tempore Augusto bellandum erat, quod bellum per legatos administravit. Reliquas nationes externas ad obsequium brevi redegit (Suet. Oct. 21). Germanorum tamen bella prae pace, qua et ipsa Italia et ceterae provinciae

---

[1]) Non plane eadem de hoc loco disputantur in Heynii editione a Wagnero Lipsiae 1830 curata p. 132.

[2]) Ruediger quibuscum viris fuerit Statio poetae usus consuetudo familiaritas. diss. inaug. Marburgi 1887, p. 6.

pleraeque fruebantur, non tam gravia erant, ut omnino de pace sub Augusti imperio dici non possit (cf. Hor. c. IV 5, 25 sq.). Praecipue prae civilibus bellis illi provinciarum motus minore erant gravitate, ac legatorum, ut monui, consiliis gerenda committebantur: nam externa bella Augustus duo omnino per se gessit, Delmaticum adulescens et Antonio devicto Cantabricum (Suet. Oct. 20). Ceterum ne Tiberio quidem imperante plane pacata fuit Germania. Et mihi quidem si sub Tiberio scripsisset Manilius, sane quam mirum esset, cur nusquam Germanos a Germanico victos commemoraret, cuius rei occasio non defuit aut in eis versibus, ubi de Germania dicit (III 633. IV 692. 719. 794.) aut ibi, ubi Freier de Germanico eum locutum putat (IV 776). Animadvertas quoque vel Arminium proeliis ambiguum, non bello victum dici a Tacito (a. II 88). Usque ad annum p. Chr. n. 16, quo Arminius superatus est, cum Germanis bellavit Germanicus, donec sub finem eiusdem anni aut anno 17 per Tiberium, qui gloriae eius invidere videbatur, a rebus gerendis revocatus et in Asiam missus est.[1]) Freier autem iam anno 16 primum Manilii librum com-

[1]) Halucinari mihi persuasi Freierum, cum verisimile esse putet cum Germanico in Germania Manilium versatum esse, et pro certo habeat ab eo Asiam eundem illuc comitato visam esse (p. 72—89). Causae nempe, quibus in hanc sententiam impulsus est, nullo negotio in cassum redigentur, quandoquidem quae de Germania poeta dixit (errat autem Freier p. 75 dicens Germaniam siccam appellari III 633, nam sicca cum tellure est coniungendum), ea et tam pauca et tam universe dicta sunt, ut, quomodo inde Manilium in nostra patria fuisse concludi possit, nesciam. Immo si suis oculis saltum Teutoburgiensem reliquasque terrae illius partes inspexisset, fortasse cur oblata occasione non plura de ea in medium proferret, alicui mirum videri posset. Neque opus est suspicari — etsi id fieri sane potuisse nequaquam negare nec volo nec valeo — Germanicum a. 770 triumphantem et in pompa spectantes captivis spoliis simulacris montium fluminum proeliorum delectantem visum esse ab eo, qui conderet astronomica. Idemque fere cadit in Lansonem, qui inde quod poeta non sine aliquo horrore Germaniam ingentium flavorumque corporum parentem dignamque feris tantum matrem breviter praedicet, Germanos crediderit vel auxiliares vel captivos vel gladiatores Romae cotidie spectandos homini nigris Asiae Africaeve gentibus assueto (sic!) fuisse admirationi. Supervacanea videlicet res fuit haec concludendo assumere, quae expresse memoriae prodita sunt. Imperator quidem Au-

positum esse statuit. — Haec igitur eius de pace a poeta memorata concidit argumentatio: Universe enim, ut vidimus, pacis dulcedine delectabantur Romani, atque ipse Octavianus a. U. C. 725 (f. f. a. a. Chr. n. 29) Iani templum, quod in bello patebat ac post Numam semel clausum fuisse traditur (Suet. Oct. 22), operuerat, ut bellum et discordia inclusa quodammodo viderentur esse ac pax renata. Loquitur de ea re Horatius c. IV 15 sic: *Tua, Caesar, aetas . . . .*

. . . et vacuum duellis
Ianum Quirini clausit.

Quibus adseri possunt e carmine saeculari v. 57 sq., quibus pax et fides et honos laudantur. Omnino multus est Horatius in praedicanda Augusti temporum felicitate, quam ita exornatam ante oculos ponit, ut aurea aetas redisse

gustus Germanorum manum usque ad Vari cladem inter armigeros circa se habuisse disertis verbis dicitur Suet. Oct. 49. Et notum est etiam Romanos Germanorum, cum primum eos conspexerunt, admiratione captos esse. Tum vero cum astrologica carmina scripta putamus, de Germanis, quibuscum saepissime iam congressi essent, Romanorum unumquemque in universum edoctum fuisse consentaneum est. Etenim postquam Cimbri Teutonique tantum Romanis terrorem iniecerunt, tota ut trepidaret Italia solidusque tremisceret orbis, primus Posidonius (cf. Athen. IV p. 153 et Strabo II p. 102. VII 2. p. 292—294), tum C. Iulius Caesar Rhenum bis transgressus mores Germanorum descripsit; Cicero et de Caesare et de Mario composuit carmina, ubi de Germanis dicendi fuit occasio; Furium Bibaculum (Teuffelii § 192, 8 et 9) de bellis, quae Caesar cum Gallis gessit, pragmatiam scripsisse probabile est, Sallustius de proavis nostris in historiis narravit (cf. Sall. ed. Fr. Kritz Lps. 1853, vol. III, p. 236 sq. et Sall. ed. Rud. Dietsch Lps. 1859, vol. II, p. 127), Livium autem in l. 104 de Germanorum situ ac moribus exposuisse periocha, quam habemus, docemur: itaque suppeditasse hercle fontes uberrimos certum est, in quibus de Germanorum populis sicut poetae, qui ei antecesserant (cf. Verg. Ov. Hor. cet.), ita hic, quisquis conscripsit astronomica, si voluit, aliquid inveniret. Ea quae de Germania dicit, etiamsi ipse non viderat, scire tamen potuit atque adeo debuit. Sed enim Freieri ratiocinationem si sequeremur, etiam inde, quod Horatius (c. IV 5, 26 quem versum mire cum Manilii v. IV 794 conspirare petam ut animadvertas) Germaniam horridam, Raetos immanes (IV 14) dicit ac similia, eum in illis terris versatum esse efficere deberemus. Commode autem accidere mihi video, quod ipse ille, contra quem subii disputationem, coniecturis indulgens ne ad nugas ineptiasque effingendas descenderit, vehementer veretur (p. 75).

videatur: Augusteam simillimis verbis atque auream aetatem depingit [1]) eandemque fere tranquillitatem et securitatem Octavianum orbi dedisse dicit cf. c. IV 5. [2]) Similiter atque Horatius plurimis locis (Met. XV 832 sq. Fast. 1, 281 sq. 709 sq. etc.) Ovidius pacis bona et commoda ab Augusto bello paratae summa veneratione prosequitur. Gravioris momenti sunt Fast. I 700 sq.:

Gratia dis domuique tuae (Germanici) *religata catenis*
Iam pridem nostro sub pede bella iacent.

Atque ex elegia quadam ab incerto auctore, quem certissime aevo Augusteo floruisse vv. dd. [3]) iudicavere, de nuce conscripta locum ciere utile est, quo de Augusta pace haec audimus:

Sed neque tolluntur nec, dum regit omnia Caesar,
Incolumis tanto praeside raptor erit.
At non ille deus pacem intra moenia finit:
Auxilium toto spargit in orbe suum.

Multos alios quoque locos prodire iuberem, ni longum esset. Iam vero cum Augustus vel Paci deae, atque, quod quidem sciamus, primus in campo Martio aram constituisset, [4]) nihil mirum est, quod ad speciem aureae aetatis, qua sine militis usu gentes securae mollia otia peragebant (cf. Ov. Met. I 89, cet; Germ. phaen. *pacatus mundus* 103 sq.), eius imperium semel atque iterum a poetis revocatum est; ac suo sane iure Vergilius in Aen. I 295: *Dirae* inquit *ferro et compagibus artis*

Claudentur belli portae. Furor impius intus
Saeva sedens super arma et centum vinctus aenis
Post tergum nodis, fremet horridus ore cruento.

Quibus mirum in modum similia sunt, quae Manilius in primi astronomicon libri fine profert:

---

1) Similiter Claudianus de Fl. Mallii Theod. consul. v. 135 sq. felicitatem, quae sub Honorio ac Stilichone sit, praedicat.

2) Aliter nonnulli versiculis Tiberio praesentia exprobrabant et futura denuntiabant mala (Suet. Tib. 59; Baehrens frg. p. L. p. 360):

Aurea mutasti Saturni saecula, Caesar;
Incolumi nam Te ferrea semper erunt.

3) cf. Baehrens p. L. m. I p. 88; L. Mueller de re metrica p. 49. Teuffel hist. litt. Rom. edit. 4 § 251 not. 4.

4) cf. Prelleri mythol. Rom. 3 tom. II p. 251; Ov. fast. I 709.

iam bella quiescant,
Atque adamanteis discordia vincta catenis
Aeternos habeat frenos in carcere clausa. (cf. Ov. Ep. ex P. I 2, 126). Itaque cum iam a. a. Chr. n. 29 Augustus Iani templi portas clausisset, qua re factam esse pacem significaret, perque totum paene eius imperium a poetis pacis laudes pronuntiarentur, cur post a. 9 eandem pacem laudare Manilio non licuerit, ego non intellego. Immo cum etiam tum bella quieverint praeter Germanicum totaque Italia tantae pacis favore gavisa sit, ut poetae nulla re prohiberentur carmina scribere, bene rem se habere putem, quod Manilius laudibus et Augustum et pacem efferens initium canendi facit atque de eisdem locutus toti libro finem imposuit, qua re optimum quendam cumulum ei accedere sentias. Ceterum ipse Tiberius Augustum stabilem reipublicae salutem peperisse in laudatione dicit.[1])

Quod autem v. I 40—42 ad Tiberium spectare Freier voluit, idem sentire non possum: neque enim ullam ad praesens regnum sive Augusti sive Tiberii allusionem perspicere valeo. Torsit ille, ni fallor, *regales animos,* quibus verbis nihil omnino nisi Chaldaeorum antiquissimos reges significari mihi est evidentissimum. Neque iusto iure ea re commendari alterum imperatorem iudicavit Freier, quod astrologiae curiosus et peritus fuisset:[2]) hoc argumentum recte refutavit Lanson l. l. p. 15. Denique ad suam de Tiberio carminis patrono sententiam stabiliendam Fortunae cultum, qualis illo imperante fuisset, nullo iure potuit arcessere Freier (p. 16 et 17), quandoquidem iam antiquissimis temporibus huic deae cultum non defuisse vel inde manifestum fit, quod duo ei templa a Servio aedificata esse credebantur; erantque complura quasi Fortunae genera, quae aut publice aut privatim invocabantur, atque hunc cultum, cum non minus sub primo quam sub altero Romanorum imperatore eum floruisse certum sit, id quod ipse Freier

---

1) Dio Cass. LVI 36 τὸ κοινὸν ἀκριβῶς ἔσωσε.

2) Prorsus aliter iudicavit Teuffelius, qui astrologorum artem in IV editione sub Tiberio poetae periculosam fuisse putat: vielleicht, dass die Gefährlichkeit der Astrologie unter Tiberius von der Vollendung abschreckte.

largitur, omnino non opus erit respicere nostram quaestionem soluturos. Sive enim hunc sive illum mavis intellegere, 'non importuna est illa in v. I 114 exclamatio: *Faveat magno Fortuna labori!*

Quae cum ita sint, magna teneor spe neminem iam negaturum veri aliquanto esse similius initio carminis poetam alloqui Octavianum quam Tiberium, neque quisquam Tiberium illic intelleget, nisi aliis eisque gravioribus causis ad eam opinionem adductus erit. Sed desunt argumenta, unde ad hunc illos versus, de quibus locuti sumus, referendos appareat. Videamus, quae ex aliis Manilii locis colligere possimus.

In diversas quoque partes discedunt vv. dd. sententiae de l. IV v. 934 et 935, quibus finito hoc libro Augustum nondum excessisse e vita et inter deos relatum esse certum est et confirmatum, si Iacobo aures praebemus (p. 162). Eisdem versibus alii, quo in numero imprimis est Lachmannus eiusque opinioni insistens Freier, apotheosin mortui Augusti per Tiberium factam indicari sibi persuaserunt. En ipsa verba:

Iam facit ipse deos mittitque ad sidera numen,
Maius et Augusto crescet sub principe caelum.[1])

Ubi a lectione *crescet,* cum omnium codicum consensu praebeatur[2]) nihilque habeat, quo offendat, non recedo, sed retinenda est: neque neglegendum puto a poeta futuri temporis huius verbi formam hic adhiberi, non praesentis. Praeterea observes v. 934 incipere a particula *iam:* i a m facit, ut ait poeta, ipse homo deos mittitque ad sidera numen. Etenim Caesar divus est, defuncti quoque sunt Caesares Gaius et Lucius iamque Octavianus deus ac sidus fit; vivus igitur Augustus divinitate quasi indutus fuit, quamobrem l. I 9 poetae dicere licuit Octavianum *deum* mundum patri concessum ipsum mereri. Eius quoque numen ad sidera mittunt Romani, sed nondum est in mundo. Quando autem illuc pervenerit, etiam maius sub hoc principe caelum crescet. Post

---

1) Alii falso post m a i u s, quod ad numen trahunt, non post n u m e n interpungi iubent, ut W. E. Weber corp. poet. Lat. Francofurti 1832, p. 637; sic iam in Basileensi editione distincta sunt verba, in qua etiam a u g u s t o (non Augusto) p r i n c i p e scriptum videmus.

2) cf. praeter Iacobi editionem: P. Thomas lucubrationes Manilianae (Inest codicis Gemblacensis collatio) Gandavi 1888.

mortem igitur Augustus ibi regnabit. Augustus autem, quin sit, ut supra exposuimus, Octavianus, dubium non est. Ergo quoniam facere non possum, quin Iacobi accedam explicationi, de apotheosi viventis Augusti interpretor.

Adeas nunc, si placet, l. IV v. 764 sq.:

Est Rhodus, hospitium recturi principis orbem,
Tumque domus vere solis, cui tota sacrata est,
Quom caperet lumen magni sub Caesare mundi,

e quibus plerique interpretes recte efficiunt,[1]) ut tunc, cum l. IV composuit poeta, Augustus inter vivos fuerit et Tiberium aliquando imperium a patre accepturum nemo ignorarit. At vero Freier ceterorum de viventi Augusto argumentationem ad nihilum sese redegisse ratus probare conatur hos versus melius Germanico quam Tiberio convenire, qua in re neminem illius fore assectatorem spero. Vix Freieri interpretationem refelli opus esse timeo ne dicas; verum, ne quid minore quam decet diligentia tractasse videar, de illius argumentatione quae notanda sint apponam.

Etiamsi enim Germanicum quoque in Asiam proficiscentem[2]) aliquot dies in insula Rhodo moratum fuisse e Taciti annalibus scimus, tamen, cum quis Romae de hospitio alicuius principis Rhodiensi loquebatur, non de Germanico, sed de Tiberio unusquisque cogitabat, quem Rhodi versatum esse multo magis notum erat quam illum, cuius navem eo appulsam esse ibique in ancoris aliquamdiu constitisse non ita multi, puto, gnari fuerunt. Tiberii nimirum Rhodia commoratio omnium

---

[1]) Errat sine dubio in Paulii litterarum encyclopaedia de Manilio disputans Broeckelius, cum hos versus scriptos esse contendit, quo tempore Tiberius Rhodi versatus sit.

[2]) Hic liceat commemorare haud dubie Freierum v. IV 776 falso de Germanico interpretatum esse, qui per Graeciam Asiaeque gentes profectus „profecto“ orbem condidisset (p. 80); nam optimus codex Gemblacensis (cf. Thomas l. l. p. 49) cum aliis habet: Qua genitus cum fratre Remus hanc condidit urbem. Qui versus, cum producta ante caesuram syllaba (sed cf. Cramer l. l. p. 18 et 19) offendat in verbo Remi, a multis spurius ducitur; cf. Iacob progr. Lubec. 1835, p. 29. Et monendum praeterea est Tiberium, quem patronum eius fuisse putat, aegre magis a Manilio irritari potuisse quam si ita, ut Freier p. 81 opinatus est, Germanicum a. U. C. 772 (a. p. Chr. n. 19) celebrasset.

in ore fuisse putanda est, praesertim cum illic specie secessus exsul egisset ab a. a. Chr. n. 6 usque ad a. p. Chr. n. 2.[1]) Quamobrem cum parvulum temporis spatium Germanicus, magnum Tiberius in illa insula soli sacrata (cf. Lucan. 8, 244 claram sole Rhodon) fuisset et hunc in illud exsilium eiectum esse nemo tum Romanus ignoraret, nihil erat, quod Germanici in insula Rhodo commorationem memoraret poeta. Teneas igitur — quod omnino dubitari non debuit — Tiberiani exsilii mentionem fieri. Quod si concedetur, non opus est Freieri de participii *recturi* ratione sententiam refutare. Namque licet usi sint ea verbi forma, ut notaretur (Freier p. 38) non is, qui haud ita multo post ad rem publicam accessurus est, sed si, cui Rhodi morandi iam fato destinatum est aliquando imperium submittere, tamen nihil refert, utrum sic an aliter participii futuri vim accipiamus: utique Tiberius, non Germanicus dicitur recturus: est Rhodus, ubi hospes moratus est is, qui reget vel si mavis, cui destinatum est regnum. Ergo nondum regnat Tiberius, regnat Augustus. Si contra Tiberio imperante l. IV scripsisset, aliter poetae dicendum fuit, ut exprimeret: est Rhodus, quod olim fuit hospitium eius, qui et nunc regit et postea recturus est, vel eius, cui iam tum, cum ibi versatus est, regnum destinatum erat. Vel ob eam causam v. 766 ad Germanicum referri nequire arbitrer, quod male Manilius Tiberii favorem sibi conciliasset, si Germanicum tum, cum a victoriis, quas in Germania reportaverat, a Tiberio invidia commoto revocatus in Asiamque missus erat, successorem fore dixisset. Tale quid Tiberio regnante scribere quin valde veriturus fuerit poeta, mihi dubium esse non potest. Neque magis tum Germanicum *mundi lumen* dicere potuit. Quae vox minus offendit, si Tiberium intellegimus Augusti gratiam rursus adeptum, cum praesertim apponat poeta: *magni sub Caesare mundi.* Non optime vertit hunc locum Pingreus (t. II p. 91) sic: „Consacrée au soleil celle devint bien véritablement la maison de cet astre,

---

[1]) cf. vv. populares in Tiberium Suet. Tib. 59 (Baehrens frg. p. Lat. p. 359 et 360), imprimis hi:

omnia si quaeras, et Rhodus exsilium est
et ad regnum quisquis venit ab exsilio.

lorsqu'elle admit en son enceinte celui qui après César est la vraie lumière du monde", neque assentientem me habet Lanson, cum p. 25. dicit: „Verba sub Caesare cum accipi ita possunt, ut Tiberius lumen mundi esse post Caesarem declaretur, vel sub fulgore Caesaris, quo non aliud maius est numen, tum significare possunt in Caesare." Sed effugit plerosque, quam arte verba *magni sub Caesare mundi* inter sese conexa sint; mundus est magnus sub Caesaris Augusti imperio vel per eum: is est auctor magnitudinis. Itaque uno hoc loco aliquam laudem in Tiberium, ut qui in Augusti locum successurus sit, cumulatam videmus, verum maioribus laudibus effertur praesens imperator, cui omnia mundus debeat. Poeta quoniam timuisse paene videtur, ne si Tiberium solum hic verbis tolleret, Augustum offendere posset, hunc praedicare non neglexit.

Quodsi recto talo nostra interpretatio stat, libros priores quattuor vivo Augusto apparet scriptos esse. At nondum omnes difficultates remotae sunt. Superesse enim locos, de quibus disceptetur, videbimus; vel non desunt nonnulli, quibus leviter tantummodo inspectis et iudicatis id, quod modo probatum putabamus, concuti et labefactari videri possit. Quapropter hos accuratius pensitemus necesse est: in medium igitur venient l. I. vv. 899, 922, 800, 385, 916.

Corruet autem statim sententia Freieri pugna Teutoburgiensi paullo supra commemorata vix *invictum* in v. 925 Augustum appellari potuisse arbitrati: id enim nullo pacto tolerandum esse atque hunc quoque locum ad Tiberium melius quadrare. Quod cum dixit, primum non reputavit pro multis magnisque ceteris rebus ab Augusto bene gestis una illa clade, quam non ipse, sed Varus accepit, vix meritis eius quidquam demi; dein monendum censeo Augustum ipsum in indice rerum a se gestarum prorsus de hac clade tacere. [1]) Neque indignum fortasse est quod reputetur a Manilio, ubi, quod res publica Romanorum versata saepe in discrimine semper servata sit, fatorum numini ascribit (IV 23 sq.) ac multas res trepidas et afflictas commemorat, cladem Varianam in eo genere adeo non haberi, ut, quasi nullius ponderis sit, omnino omittatur. Neque adeo

[1]) cf. Mommsen res gestae divi Augusti edit. II. Berol. 1883.

eo confugere coacti sumus, ut per hoc verbum, de quo surrexit dubitatio, cum significari posse dicamus, qui aegerrime vinci possit,[1]) vel sic interpretemur: möge er (trotz der Niederlage des Varus) ungebeugt sein,[2]) sed poetarum licentiae hoc tribuendum est, qui saepenumero laudes virtutesque augere et exaggerare solent.[3]) Ipsum autem *Invicti* nomen appellationem Caesarum esse honorificam et adulatoriam e Finckei[4]) dissertatione discas. Augustus porro graves clades duas omnino nec alibi quam in Germania per legatos accepit, Lollianam et Varianam,[5]) legatorum autem detrimenta non ad ipsum Augustum referenda sunt. Ceterum C. Iulius Caesar quoque et apud Dyrrhachium victus et Alexandriae in summo periculo versatus est ac plus unum certe edepol fusum fugatumque vidit legatum:[6]) nihilominus responsa data fuisse dicebantur per totum orbem nasci *invictum* imperatorem.[7]) Neque ne aberrem a scopo timendum erit, si Horatium huc arcessam, qui in c. III 27 Iovem *invictum* appellat, ut deum *omnipotentem* significet. Augustum enim cum Iove saepius comparatum atque etiam pro Iove habitum eiusque nomine nuncupatum esse postea viderimus. Bene quoque fortasse mecum agitur, si adulatores *Invictum* dixisse Augustum suspicor neque hunc repudiasse nomen adulatorium:[8])

---

1) velut superlatione quadam adhibita apud Iustinum (12, 15, 4) in mortem animus invictus legitur.

2) hanc significationem habet invictus apud Hor. art. poet. v. 123 (sit Medea ferox invictaque).

3) Ob id ipsum v. Hor. sat. II 1, 11 (Caesaris invicti res dicere) ad tempus statuendum, quo haec satura composita sit, nihil valere putarim, namque certum mihi est iam ante Actiacam pugnam (a. 31) Octavianum a poeta invictum appellari potuisse reportata dumtaxat victoria navali a. 36 (cf. Dio. Cass. 49, 14 et 15), cf. etiam Kiesslingii notam.

4) Alfred. Fincke de appellationibus Caesarum honorificis et adulatoriis etc. Regimonti 1867.

5) quod attestatur Suet. Oct. 23.

6) cf. Suet. Oct. 36.

7) Haec a Suetonio in Caesaris vita, cuius principium mutilum est, e commentariis a Servio ad Vergilii Aeneidem (cf. 6, 799) scriptis tradita fuisse scimus.

8) ut exemplum afferam, blanditiae et assentationis causa hoc vocabulum in panegyrico Constantino Caesari d. adhibitum est in allocutione Caesar invicte, cf. Baehrens paneg. Lat. Lps. 1874, p. 148; praeterea

huc recte referatur, quod cum nonnulli censerent, ut Tiberius post Illyrici defectionem feliciter sedatam *Invictus* cognominaretur, Augustus de cognomine intercessit, eo contentum repromittens, quod se defuncto suscepturus esset (Suet. Tib. 17). Coniciam igitur quamvis meo Marte in metum quendam adductum intercessisse illum, ne sua ipsius merita honorificentissimum illud nomen Tiberio datum memoria oblitteraret. Adde quod in nummis Augusti Victoria saepe aut globo aut prorae navis insistens picta erat (Eckhel N. D. VI 83). His de causis, si Manilius Augustum appellasset *Invictum,* id miri mea quidem sententia nihil haberet, praesertim quod etiam in tristibus, in quibus non deest Varianae cladis mentio,[1]) Ovidius dicit (V 1, 41):

Lenior Invicti si sit mihi Caesaris ira,
Carmina laetitiae iam tibi plena dabo,

et in Ep. ex P. I 2, 125 *qui vicit semper, victis ut parcere possit.* Sed ne nominatur quidem *Invictus* a Manilio Octavianus, immo optat tantum poeta, ut invictus pater patriae sit; respicit igitur futurum tempus. Observes praeterea sis, quam caute inserta sit pugna illa in saltu Teutoburgiensi facta: etenim attribuitur clandestinis Germanorum gentium fraudibus.

Iam in alia re insigniter dormitasse Freierum facillime cognosces, quem quod non solum non refutavit, sed etiam sequi videtur Lanson,[2]) vehementer subit mirari. Ille enim coram Augusto sententiam a poeta putat expressam esse parum aptam his verbis: *Sit Roma sub illo!* „Quis tandem fuit, ait ille p. 23, qui post a. U. C. 762 vel timuerit, ne Octavianus pater patriae esse desineret, vel eum ex altissimo dignitatis gradu praecipitare ausus sit! Neminem unum equidem adhuc vidi

---

cf. Veg. mil. epit. 3; Corp. inscr. lat. VII 62, 167, 226, 344, 875 saepius; Acta sem. philol. Erlangensis, t. II.

[1]) cf. Edmund Meyer die Chronologie der ovidischen Gedichte und das Jahr der Varusschlacht. Z. f. d. Gymnasialwesen, XXXII. Jahrgang. Berlin 1878. p. 449 ff.

[2]) p. 21 pedestri enim oratione versum poetae sic reddit: vivatque Caesar imperetque Romae invictus imperturbatusque, discordias omnes et bella compescens. Fincke quoque I. l. Man. I 926 citans falsa interpunctione utitur.

apud historicos". Valde equidem vereor, ne ille non recte verterit. Non credo dicere voluisse poetam: sit Roma principi subiecta seu pareat ei; sed subaudiendum est *sit Roma invicta sub illo,* et *invicta* illud supplere cogimur, ad eamque sententiam anaphora quoque (*sit-sit*) adducere videtur, per quam saepissime enuntiata similiter contexta vel inter se concinna coniunguntur. Verum ad Tiberium si quis hos versus referre vellet ac Freieri interpretationi absurdae verborum, quae sunt *sit Roma sub illo,* assentiretur, nostrum quoque esset interrogare, a. p. Chr. n. 16, quo hunc primum librum Manilii confectum esse Freier vult, numquis Romae fuisset, qui timeret, ne Tiberius, postquam per biennium paene tuto iam rei publicae gubernaculum tenuit, imperare quando desineret, vel eum praecipitare auderet! Nihil quidem de hac re historici. Inde sequitur, ut ineptissimam Freieri explicationem quam celerrime Morboviam abire iubeamus. Aliter, ut opinor, res se haberet, si dixisset poeta: sit *semper* Roma sub illo vel aliquid simile, ut legas Ov. Fast. IV 859 *et sis magno sub Caesare semper,* vel Calp. Ecl. IV 144 (Baehrens p. L. m. III p. 88):

Hunc, precor, orbem,
Hos, precor, aeternus populos rege! sit tibi caeli
Vilis amor coeptamque, pater, ne desere pacem!

A mea parte etiam Pingreus et Merkelius stant, id quod sua uterque versione mihi indicare videtur. Neque aliud hic quamvis leve argumentum ommissum velim, quod iam supra p. 14 tetigi. Patrem enim patriae Octavianum, non Tiberium esse vel inde apparere multi dixerunt, quod Augustus illud cognomen accepisse, repudiasse vero Tiberium traditum esset (Suet. Oct. 58. Dio 55, 10. Tac. a. I 72. II 87; Freier l. l. p. 10, not. 2).[1]) Non sine momento puto esse, quod etiam in v. I 913 Octavianum *patrem* dicit Manilius. Iuvat nos Horatii quoque memoria, cuius in l. I c. 2, 50 haec legimus: *Hic ames dici pater atque princeps,* vel Ovidii, qui Trist. II 35 sq. haec exhibet:

---

[1]) In nummis quoque pater patriae Augustus appellatus est cf. Cohen Aug. n. 42; cf. Sitzungsber. der Berl. Akad. 1885. p. 73. De patris patriae nomine cf. etiam Fincke l. l. p. 7 et 8.

Iure igitur genitorque deum rectorque vocatur,
Iure capax mundus nil Iove maius habet.
Tu quoque cum Patriae rector dicare Paterque
Utere more dei nomen habentis idem.

(cf. Ov. Fast. II 127 et alibi). Quam vero gratum Augusto illud nomen fuerit, appareat inde quod ipsum ad id et in ea oratione, quam habet Dio 56, 9, et in Monumenti Ancyrani fine videmus provocare; ac Tiberius in oratione funebri dignum id putat, quod commemoret (Dio 56, 41) his verbis: *διὰ ταῦτα εἰκότως καὶ προστάτην αὐτῶν καὶ πατέρα δημόσιον ἐποιήσασθε.* Quodsi adamaverat hoc cognomen Augustus, de quo saepe a poetis adhibetur, Tiberius vero publice repudiavit, vix est credibile Manilium eo illum allocutum esse. Quod autem Freier statuit poetam in universum dicentem petisse, ut per omnia saecula talis in tutela esset civitas neque in manibus eorum, qui novas res molirentur, sed semper permaneret saeculum Augustum, id artificiosius inventum subtiliusque quam verius dictum puto non dissidens ab ipso huius subtilitatis auctore (cf. Fr. p. 24). Quam ad interpretationem ea potissimum re vir doctus videtur commotus esse, quod v. 925 poeta tertia persona utitur. Putat enim, si Augustus tum vixisset, alteram personam adhibendam fuisse ad alloquendum principem, carminis patronum. Nec vero ullam videre valeo necessitatem. Ne mihi enim neglegas tertia persona antea iam eum usum esse, cum de Augusto ageret, v. 385 itemque v. 914. Itaque per eandem personam persequi eum potuisse nemo negabit. Atque etiam si quis cum Feiero consentiens Tiberii aetate astronomica orta putet, rectissime monetur a Lansone p. 15 nonnullos locos restare, quibus vates tertia persona usus versus faciat de patrono, si omnino hoc verbo uti licet; etenim astronomicon libri num, ut nonnulli opinantur, proprie dedicati principi ad eumque missi sint, nesciens quoad recentiorum nemo de librorum apud antiquos dedicandorum more fusius egit, nec negare nec affirmare ausim.

Nunc quoniam satis probatum intellego ad Augustum v. 925 pertinere, pauca addenda sunt de versu insequenti, qui est inter difficillimos deque eius sensu, quamvis multi in eo enucleando sudarint, adhuc ambigimus.

Minus diversae essent opiniones, si, qua vi particula *cum* posita esset, ulla ratione fixum certumque fieret. Per se enim spectata et causalis, ut aiunt grammatici, et concessiva et temporalis potest esse: atque tempus quidem et generale, ut quotiens, et singulare, ut postquam, significat. Ad has omnes notiones, ut loco salutem pararent, interpretes confugerunt. Sed quoniam Freierum, cum universe de servando principatu verba fecisse poetam opinaretur, aliquanto a meta aberrasse supra docuimus, ea interpretatio, qua particulae eadem vis, quam habet quoties, subicitur, reicienda est. Omnia enim in fine libri primi in eam nos deducunt opinionem, ut de uno illo, a quo discordia quasi catenis alligata et constricta sit, poetam loqui censeamus. Itaque sive eam significationem, quam habet postquam seu quam habet quamquam, coniunctioni *cum* concedemus, utique non de Caesaris morte Manilii verba intellegam. Quae qui ad Caesarem spectare volent, ita fere interpretabuntur: Quamquam Caesar relicto orbe in deorum numerum receptus caelo accessit, tamen ne desideret populus Romanus eius potentiam salubrem in terra, etenim favet etiam absens precantibus (cf. Ov. Met. XV 870). Neutiquam haec recta! Sed de Augusto loquitur in antecedentibus versibus, de eodem Manilius ultimis: quos primum attingenti mihi placuisse confiteor illam explicandi speciem, ut *dederit* sit futuri exacti forma et particulae *cum* insit vis temporalis (= wenn) ac sic intellegatur: Roma sit Augusto imperante invicta! cum vero mortuus erit ac relicta terra caelum ascenderit, ne desideret eum. Huc igitur spectasse poetam putaveram, ut diceret non timendum esse, ne quando post Augusti obitum terrestri imperio successor deesset illo dignus, quia Tiberius in successionis spem venisset. Aliter sane Iacobus, qui Tiberium in insula Rhodo latitantem Romanisque invisum carpi ratus atque ultimum versum interpretatus ita: ne careat ipsa (Roma) successore imperii terrestri, adiecit haec (praef. p. XVII): „Quod non addidisset, si Tiberius iam tum in spem successionis venisset aut expetitus fuisset a populo. Quod si verum est, non sane ea odii vestigia reliquisset tum, cum ille ad imperium venerat, si carmina ultimam manum essent experta“.

Illud quoque mecum reputavi, num forte ad ea, quae praecedunt, illa verba referenda essent, ad versum nimirum 904 ac sequentes, quibus dicit poeta calamitatem sat saepe ipsa hominum culpa comparari, quia caelo mala et pericula per cometarum omina significanti credere nesciant. Apparere ex his forsitan possit Augustum, quamquam Chaldaei male rem gestum iri praedixerant, caelo rubore ardenti non credidisse; cumque ipsa natura cladem quasi minante Germanicum bellum suscepisset, domi culpa fuit. Iam v. 926 Augustum in caelo versantem facit poeta: is igitur adeatur, is consulendus est neve quaeratur deus in orbe, ut antea factum erat, cum Chaldaeos non adissent vel potius eorum vaticinia neglexissent.

Sed ne hac quidem via, quem adepti sumus interpretamenti modum, ab omni parte dubitatione vacuum talemve esse video, qualis prorsus nobis satisfaciat: immo cum aliquid miri in ea re haereat, quod, si illa ratione progredimur, Augusto poeta neglegentiam quodammodo exprobrat, quia astrologorum praeceptis parum obtemperans fuerit, legatique clades imperatori tribuitur, magis eo nunc inclino, ut ad solum Varum ducem, cuius temeritate et neglegentia cladem accidisse Tiberium animadvertisse Suetonii testimonio confirmatur (Tib. 18), vv. 904 et 905 referendos neque ullo cum his vinculo nectendos esse arbitrer postremos l. I. versus. Qua in re qui in meas partes transierit, is concessivam vim voculae *cum* tribuere debebit, ut interpretemur sic: quamquam Augustum populus Romanus caelo dedit, tamen non requirat in terris; namque etsi deus in caelo est, tamen etiam nunc vivit; simul enim et dei et principis fungitur vicibus. Hanc explicationem proposuit[1]) Lanson (p. 23), cui ita fere Manilius videtur sensisse: „Ne Roma, licet iam caelo dederit Augustum, illum tamquam amissum quaerat in orbe. Nam deum quidem, sed in terris praesentem deum Caesarem habet utinamque diu habeat". Non dubium autem esse, quin Augustus vivus a poeta in caelo iam versans fingi potuerit, posthac videro.

---

[1]) Sic iam Weber corp. poet. Lat. p. 610 videtur interpretari adnotans: Deus Augustus, vivus ab oppidis Italiae, deinde a senatu deus declaratus.

Non minor adhuc sub iudice lis est de interpretandis versibus I 384—386:

Cetera non cedunt; uno vincuntur in astro[1])
Augusto, sidus nostro quod contigit orbi
Caesar nunc terris, post caelo maximus auctor.

Comparatur ibi cum septentrionali caelum meridionale unamque ait poeta esse differentiam, quod adsit septentrionali Augustum astrum, desit apud antipodas. Freier quidem ita (p. 19) explicat: In sidere Augusto, cuius summa in caelo vis et auctoritas est, nunc regnat Octavianus, in orbe terrarum Tu, Tiberi; sed ut primum obieris diem supremum, post patrem summum caeli imperium obtinebis. Bentleius olim vel

Augusto, sidus nostro qui contigit orbi vel
Augustum sidus, nostro quod . . .

legendum esse proposuit. Lachmannus quoque voluit *Augustum sidus.* Plerique mihi in eo errare videntur, quod versum 385 distinctione seu graviore (; vel:) seu leviore (,) claudunt, qua re indicant se credere insequente versu poetam alloqui Caesarem, id quod nullo pacto potest stare. Hoc fuit, ni fallor, quod hunc versum cum praecedentibus male coniunctum quasi claudicare iudicaret Breiter atque ut hunc ita v. 385 interpolatum criminaretur.[2]) Equidem nihil muto, sed ea interpunctione, quae, quamvis verum iamiam Basileensi editione praebeatur, falso post verbum *orbi* (385) ab editoribus poni solet, deleta sic interpretor: uno in astro Augusto vincuntur alieni caeli sidera, quia sidus nostro orbi contigit Caesar Augustus. Igitur, si quid sani vidimus, verbulum *quod* in v. 385 non est pronomen, sed coniunctio, quam vocant grammatici. Astrum autem Augustum idem esse atque sidus Iulium, ut universis placere videtur, ego negaverim, potius Augustus ipse quamvis vivus sidus factus est.[3]) Eodem enim tempore in terris ver-

---

[1]) De vi praepositionis in in v. I 384 (uno vincuntur in astro) vid. M. Bechert zu Manilius' astronomica in Fleckeis. Jb. f. kl. Phil. 1879, p. 798 sq.

[2]) Fleckeis. Jb. 1889. tom. 139 p. 195.

[3]) cf. Val. Max. I praef., qui Tiberium alloquens discernit inter paternum et avitum sidus, cum dicit: cetera divinitas opinione colligitur, Tua praesenti fide paterno avitoque sidere par videtur.

satur, et tamen caelo quodammodo illatus iam sidus est. Verba denique *nunc terris, post caelo maximus auctor* per appositionem ad antecedens verbum traho. Itaque, quod Freier credere non vult, scripsisse poetam Augustum astrum caelo septentrionali contigisse, antequam Octaviani anima in caelum ascendisset, id fieri potuisse mihi videtur atque ad muniendam meam sententiam similes locos afferam. Quamquam antea ad explicandos v. I 798 sq. nos accingamus opus est, quos, cum prima specie admodum miri videantur esse, varie varii intellexerunt. Sunt autem hi:

. . . Venerisque ab origine proles
Iulia descendit caelo caelumque[1]) *replevit;*
Quod regit Augustus socio per signa Tonante,
Cernit et in coetu Divum magnumque Quirinum
Altius aetherii quam candet circulus orbis.
Illa deum sedes, haec, illis proxima, divum
Qui virtute sua similes vestigia tangunt.

Enumerantur inde a v. 762 viri fortes, quibus ob virtutes in viae lacteae stellis sedes concessa sit, atque primum per accusativum aut vocativum, tum non nisi per nominativum afferuntur; a recto autem tenore desciscere quae vulgo per editiones circumferuntur:[2])

Venerisque ab origine proles
Iulia descendit caelo caelumque replevit,

recte intellexit Thomas (l. l. p. 20). Sed haec non est codicum culpa, id quod ille ratus *et Veneris quae ab origine proles descendit*[3]) emendavit, verum falso viri docti edere consueverunt. Post nominativum enim *Iulia* si distinxerimus, non iam erit perturbata constructio.[4]) Insequentia autem annectuntur per parenthesin,

[1]) In the classical Review 1890 (some emendations of Manilius) Robinson Ellis pro caelumque coniecit soliumque: quod probari non potest.

[2]) De horum verborum interpretatione praeter editiones videas Wernsdorf p. L. m. Altenberg 1780. p. 312 sq.

[3]) cf. Wochenschrift f. kl. Philol. 1889 Nr. 34 p. 923 sq. ubi Freier contra hanc coniecturam defendens tradita verba post suae fortissimam distinctionem poni et que pro denique intellegi vult. Mecum agere videtur K. Rossberg Berl. philol. Wochenschrift 1889 Nr. 34 p. 1076, qui post Iuliae vocem iubet interpungi.

[4]) Hanc interpretationem debeo Birtio.

quae dicitur *(descendit .... tangunt)*. In v. 800 nihil fere intemptatum reliquerunt homines eruditi. Erant enim quondam, qui hic non caelestia, sed militaria intellegenda esse signa [1]) decernerent, in quibus Iovis et Iulii Caesaris (aut forte rectius Augusti) depictae imagines ex aequo colerentur. [2]) Sed quoniam de caelo sermo est, de militaribus signis haec nullo modo interpretari possumus. Scaliger annotat p. 90: „Quare dicit caelum regi ab Augusto, quod nondum tenebat? id est in quod nondum relatus erat. Hoc mortuo Augusto melius conveniebat. Neque hic illud facit hilum: Divisum imperium cum Iove Caesar habet. Nam terras ab Augusto, caelum a Iove regi dicit.“ Erravit autem Stoeber (ad v. 778. p. 230), qui, quoniam nullus poetarum neque adeo noster eo adulationis processisset, ut Iovem Augusti socium appellaret, neque ille per signa tonare usquam legeretur, pro *tonante* voluit *volante* legere, ut intellegeretur Sol, qui per signa volare mundumque regere permultis locis diceretur. Nec vero opus est coniectura, cum Tonante, quod pro Iove tonante ut saepissime [3]) positum est, bene tradatur. Neque rectius de verbis *Cernit et in coetu DIVVM MAGNVMQVE QVIRINVM* idem vidisse putandus est, quae interpretatur ita: „C. Iulius Caesar in coetu divûm (i. e. divorum) cernit etiam magnum Quirinum.“ Prorsus enim neglectum est illud *que*. Perperam quoque accepit sensum Merkelius, qui divum putat esse adiectivum cumque voce Quirini ita coniungit, ut structurae *divum magnumque* nulla insit gradatio. Vertit Pingreum, ut videtur, secutus: „Er sieht dort sich gesellt den vergötterten grossen Quirinus“. Sed Divus sine dubio hoc loco positus est pro *Divus Iulius*, id quod fieri potuisse, exemplo si duceris, ex Verg. Aen. VI 793 tibi dilucebit. Unde sequitur prolem Iuliam non esse Iulium Caesarem,

[1]) Verba per signa optime tradita sufficiunt sententiae, ut pravam esse iure dicas Breiteri suspicionem regna (Fleckeis. Jb. 1889 t. 139 p. 193 sq.)

[2]) Pingré t. II p. 304 (ad v. suae editionis 776).

[3]) Non habet hunc usum Vergilius; sed post Ovidium (cf. Met. I 170 alibi) apud unum quemque fere scriptorem haec consuetudo inveniri potest; cf. ipsius Manilii I 767; German. progr. IV 143, 634 et V 290; Martian. Cap. c. 24 et 30 (in Eyssenhardtii editione p. 11 et 13) etc.

sed de Gaio ac Lucio Caesaribus, Iuliae et Agrippae filiolis, non ita multo ante defunctis, cogitandum est, quibus in galaxia sedes sunt constitutae. Ceterum paullo concinnior esset structura, si ad Divum eodem modo atque ad Quirinum ornans quoddam additum esset epitheton; sed tamen huius inopia nihil nocetur. Velim autem propemodum pro *in coetu* adsit *in caelo,*[1]) ne quantisper mihi opus sit haerere, quidnam ad verba *in coetu* suppleatur. Exspectatur enim in deorum coetu, sed hoc in ea, quam legimus, verborum constructione non tam facile intellegitur quam in coetu signorum. Utrum autem supplendi genus verius censeas, non permultum refert; nam qui aliquo decore egregius est, is deus fit idemque stellis inseritur. Grave vero hic esse et multum valere mihi videtur adverbium *altius,* quo, ni omnia me fallunt, eo spectare poetam conspicuum est, ut circulo lacteo, in quo illustres viri post mortem habitent, altiorem esse dicat sedem deorum. Ecce Romulum et Caesarem non eorum in numero ponit, qui in galaxia locum habent, sed altius[2]) inter ipsos deos fingit versantes. Augustum nondum ibidem,[3]) quo Romulum et Caesarem abisse credit, sedem sibi constituisse ea re indicare videtur, quod illos ab Augusto altius cerni dicit. Quomodo enim sursum spectaret eosque altius cerneret, si iam, uti voluit Freier, mortuus et in ipsa eorum contione esset? Ad vivum ergo imperatorem refero locum litigiosum.

Sed obiciat aliquis, cum a poeta caelum regere Augustus

---

[1]) codices omnes habent cętu; ę semper pro ae, e pro oe in libris Manilii positum est, quam notitiam Becherto debeo; cf. Thomas l. l. p. 20, qui in codice G scriptum esse dicit c a e t u.

[2]) In v. 802 toto verborum nexu postulatur q u a m (non q u a); id autem habet optimus liber G idemque alii boni libri habere videntur: nam Iacobus hanc lectionem in textum recepit neque quidquam de variis codicum lectionibus annotavit. Hoc certum est q u a m non meram esse Bentleii coniecturam, qua opinione captus est K. Rossberg kritische Nachlese zu Dracontius und der sogenannten Orestis tragoedia (neue Jahrb. f. kl. Phil. tom. 119. Lipsiae 1879 p. 475 sq.) Qui apud Manilium legendum putat q u a, quia Dracontius in v. 326 hunc Manilii locum imitatus sit. At vero alia est utriusque loci structura: Manilius habet a l t i u s q u a m; apud Dracontium, cum non habeat comparativum, bene quadrat q u a.

[3]) cf. Lanson p. 19.

dicatur,[1]) immortalem iamiam esse neque in terra versari: minime, ut mihi quidem videtur, recte! Etiamsi enim nusquam similia atque eo loco, de quo disputamus, de Augusto tradita essent, tamen ex hoc concludere liceret cum Iove vivum Augustum collatum similemque ei potentiam tributam esse, ipsumque optimum sui interpretem hominem astronomicum ducere deberemus. Accuratius autem inspicias locum. Quoniam Augustus — id quod infra probabitur — dei loco habetur et honestatur, terra quasi est Olympus, ubi habitat; deus Augustus descendit in terras; igitur caelum paene in terris est. Neque vero Augustus per signa regnat, sed regit caelum ex terra; vivit adhuc, sed divina ei est potentia. Habet autem in regendo mundo socium, qui in ipso caelo versatur: hic est Iuppiter, socius per signa tonans. Arte igitur inter se conexa sunt verba *socio per signa Tonante* („der Himmel, den Augustus regiert, indem dabei im Bereich der Sterne Iuppiter sein Genoss ist"); quare comma, quod dicimus, ponatur in v. 800 prae verbo *socio,* ne quis ipsum Augustum per astra tonare dici arbitretur. Simillimus est locus quidam Ovidianus in Met. XV. libri fine (858 sq.); hic quoque socii sunt Iuppiter et Augustus: nam uterque est pater et rector, ut ait poeta, sed Augustus vivit et est in terris, Iuppiter temperat arces aetherias. Cernas autem, ut Manilius rem sibi cogitaverit: supra in v. I 384 sq. ita loquitur, quasi iam astrum Augustus sit; eo loco, de quo modo dixi, non multo minor illa quidem poetae audacia est, cum caeli regnum ad Romanorum imperatorem deferens caelum terramque paene permisceat; sed tamen ita ille caelum regens fingitur, ut dilucide inter vivos versari eum cognoscamus, quoniam in caelo non solus regnat Augustus, sed Iove utitur socio.

---

[1]) J. Woltjero (l. l. p. 22) versus 798 sq. libri primi de Augusto mortuo vereque consecrato tantum intellegi posse et contextus et ipsa verba clare docere visa sunt; sed cum in fine huius libri et quarti diserte sermo esset de vivo Augusto, aut hi versus in primo libro postea adscripti essent a poeta mutata tota extrema parte huius loci, aut legeretur reget, cernet necesse esse dixit. Quod nego; negavit iam Huetius. Nullum vitii signum in codicibus reperitur neque ulla usquam manifesta adsunt vestigia, e quibus quidquam in eis partibus, ubi de imperatore verba fiunt, postea mutatum esse consequatur. Teneamus igitur regit, cernit.

Complures de imperatore notiones et cogitationes astrologus videtur imbibisse: etenim est Augustus terrestris imperii rector, idemque iam induit divinitatem pro deoque colitur; ac vel sidus ei est imperator et in caelo quodammodo versatur, ut etiam Olympi rector, i. e. totius mundi, et caeli et terrae, atque Iovis socius vocetur. Videas igitur poetam vere Chaldaeum! Neque tamen multo illud est insolentius, quam si Augustum deorum mitissimum esse in eodemque disticho almam terram eo nihil habere maius dicit Ovidius in Ep. ex P. I 2, 99 sq. Dolemus, quod praeter haec astronomica eorum, qui illa aetate babylonicam artem profitebantur, carmina nulla servata sunt, ut, num alii, qui ab hac secta stabant, de Augusto idem vel simile dixerint, nesciatur. Sed ex aliis monumentis, unde de Augusti aliorumque cultu bene instituamur, similia quaedam, si repetere iuverit, iam vivum illum divinis honoribus affectum et pro ipso Iove aut Sole habitum esse discemus [1]) neque minus inter astra viventi locum datum esse apparebit.

Non a me postulabitur, uti a capite tamquam exorsus, quomodo antiqui eo procedere omnino potuerint, ut hominibus divinos honores inferrent, exponam: adeantur de hac re libri mythologici. Sed iuvat monere illum ipsum, quem originem gentis conditoremque honorabant, Aeneam dico, e Venere et Anchisa ortum arbitratos esse Romanos: quem postea deum sibi fecere, postquam in proelio, quod cum Etruscis fuit, sublatus est. Divina origine etiam Romulus et Remus credebantur: originem autem a Marte deo Romulum duxisse rati facillime eo adduci poterant, ut mortuum ad deos redisse sibi persuaderent. Neque ignoramus Romanis ducibus a Graecis, ad quos non pauca ex earum gentium, quae orientis solis luce illustrantur, venerandorum regum more redundarat, persaepe divinos honores tributos esse.[2]) Age vero Caesarem Pompeio devicto omnes

---

[1]) Quod Tacitus ann. 15, 74 (A. U. C. 818, p. Chr. 65) dicit: Nam deum honor principi non ante habetur quam agere inter homines desierit, ad solos cives Romanos referendum est; in provinciis prorsus aliter se habebat res; aliterque etiam de poetis et maxime de Chaldaeorum sapientia iudicandum est.

[2]) De eis rebus, quae huc pertinent, conferendi sunt hi libri: Preller mythol. Rom.; G. Boissier la religion romaine; Desjardins

fere deum revera esse Romani credebant. Utque de ceteris taceam, templum is quidem sibi proprium dicari non sivit, sed in omnibus et urbis Romae et imperii Romani templis imago eius posita divino cultu utebatur. Suum praeterea habebat flaminem, quo haud scio an nullus maior, ne dicam divinior cogitari possit honor. Mortuum deinde inter sidera versari credebant sidusque Iulium appellabant, et senatus consulto cultus ei decretus, ipse divus nominatus est. A Caesare autem ad eos translata est veneratio, qui in imperio succedebant; iam in Vergilii Aen. VI 789 scriptum videas: *Caesar et omnis Iuli progenies magnum caeli ventura sub axem.*[1]) Firmicus Maternus,[2]) ubi de imperatore nihil mathematicis respondendum esse docet, eius fatum, cum sit totius orbis dominus, dei summi iudicio gubernari dicit, et quia totius orbis terrenum spatium imperatoris subiaceat potestatibus, etiam ipsum in eorum deorum numero constitutum esse, quae ad facienda et conservanda omnia divinitas statuerit principalis. Haec igitur quarto p. Chr. n. saeculo scripsit astrologus, qui non fuit poeta. Celerrime enim Romani in divino imperatoribus honore tribuendo progressi sunt. Iam Statius ad Domitianum, quem deum et Iovem esse vult, omnes titulos congerit atque coacervat, qui cogitando effingi possunt.[3]) Is autem, ad quem post mortem Caesaris, a quo coepit ille cultus, delatum est imperium, Octavianus, ubi illius heres factus est, nomen quoque sibi assumpsit Caesaris atque adeo pro Gai filio filium Divi sese nominavit.[4])

---

revue de philol. 1879. III 33 sq. (le culte des Divi et le culte de Rome et d' Auguste); Bouché-Leclerq hist. de la divination; Jo. Dan. Schoepflini diss. hist. de apotheosi sive consecratione imperatorum Romanorum. Argentorati 1729; Marquardt Röm. Staatsverwaltung. tom. III[2] ed. Wissowa. Lps. 1885. p. 463 sq.

[1]) cf. Homer. Lat. XIX 901 Quem nisi servasset magnarum rector aquarum, ut profugus laetis Troiam repararet in arvis | Augustumque genus claris submitteret astris, | Non clarae gentis nobis mansisset origo.

[2]) edit. Basileensis l. II p. 44.

[3]) Ruedigeri diss. p. 2 sq.

[4]) cf. Verg. Aen. VI 792 Caesar, divi genus. Divi filius etiam in nummis vocatur Augustus, cf. Cohen Aug. n. 138 et 144 (Mommsen Sitzb. d. Berl. Akad. 1885, p. 72).

Qui supra homines atque in divinos honores ipse elatus est, cum Augustus cognominaretur, [1]) per quod adiectivum res significabantur venerabiles vel plenae maiestatis, quales sunt res relgiosae et sacrae; quo spectant Ovidii verba (Fast. I 608):

Hic socium summo cum Iove Caesar habet.
Sancta vocant augusta patres, augusta vocantur
Templa sacerdotum rite dicata manu.

Conferri possunt, quae idem de Hercule, quocum in oratione funebri Tiberius Augustum comparans a Dione (56, 36) fingitur, inter deos relato dicit: *maior videri coepit et augusta fieri gravitate verendus*: igitur haec cum esset verbi Augusti notio, Octavianus, quippe qui iam, dum terras incolit, hoc titulo consecratus augustaque esset gravitate, etiam deus erat. [2]) Huc spectans Vegetius (de re mil. II 5) *imperatori,* inquit, *cum Augusti nomen accepit, tamquam praesenti et corporali deo fidelis est praestanda devotio.* Dionis quoque (56, 40) mihi perpendas locum, quo quod insidias aliquando paratae fuerint Augusto, minime esse dicit mirum, cum ne di quidem ex aequo placerent omnibus. Ac Tiberius in urbe Roma ex senatusconsulto et publico nomine recitans laudationem (Dio 56, 41) hoc dixit: *καὶ τὸ τελευταῖον ἥρωα ἀπεδείξατε καὶ ἀθάνατον ἀπεφήνατε.* Viventem igitur et ut semideum et ut immortalem honestabant Romani Augustum. Qui quamquam non, ut posteriores imperatores, deum se a civibus declarari aut simulacra sua in templis poni iussit, id quod pater fecerat, neque flaminem sibi sumpsit, [3]) attamen non invitus poetas se ut deum salutantes audivit, velut deus nuncupatur [4]) a Vergilio, Ovidio, Horatio. Pulcherrimum laudis Augustae praeconium in Ovidii Met. fine (l. XV) invenitur, quo loco Augustus supra patrem, qui iam Divus et sidus est, tollitur atque cetera Caesaris merita pro eo parvi aestimantur, quod tantum filium reipublicae dederit, quantus sit Augustus. Atque etiamsi Romae Augustus divinos honores reppulit, tamen a ceteris Italiae urbibus et a

---

1) Dio Cass. 53, 16; Suet. Oct. 7.
2) cf. Dionis verba: ὡς καὶ πλεῖόν τι ἢ κατ' ἀνθρώπους ὤν.
3) Suet. Oct. 52; Nipperdey ad Tac. ann. I 10.
4) exempla petas ex Ruedigeri et Finckei libellis supra dictis.

Graecis aliisque provinciis templa araeque ei erigebantur, ut latius latiusque divina veneratio propagaretur. Quo factum est, ut saepe cum Iove compararetur aut etiam nominaretur Iuppiter in carminibus ac titulis. Satis clare loquitur Ovidius in Met. XV 855 sq. Exprimere vult poeta, quanto maior Augustus sit patre: exempla repetit ab Agamemnone et Atreo, ab Aegeo et Theseo, Peleo et Achille. Sed haec non esse paria addit, cum exemplis ipsos (scil. Caesarem et Augustum) aequantibus se uti velle dicit et Saturnum Iovemque affert: igitur Caesarem et Augustum non in mortalibus, sed in deorum numero ponit, comparat Augustum cum Iove, Caesarem cum Saturno.[1]) Idem poeta aliis locis multis non dissimilia habet exempla. Non parvi praeterea aestimo, quae Suetonius in Octaviani vitae capite 60 narrat, reges amicos atque socios et singulos in suo quemque regno Caesareas urbes condidisse et cunctos simul aedem Iovis Olympii Athenis antiquitus incohatam perficere communi sumptu destinavisse Genioque eius (scil. imperatoris) dedicare.

Et quoniam Iuppiter putabatur esse Augustus, etiam huius insigne, fulmen dico, ei tributum est.[2]) Quod si fieri potuit, certe si socius Iovis appellatur a Manilio, id nihil offensionis habet. Atque eodem iure munus, quo fungitur Iuppiter, ad imperatorem deferri potest. Si igitur rectorem Olympi[3]) eum nominat caelumque ab eo regi dicit, id non est inauditum: nam revera esse et deus et summus deus putabatur imperator, atque etiam exstant loci, quibus vel anteponatur dis.[4]) Ergo quadrant Man. I 914 sq.[5]) perbene in vivum imperatorem. Similem — si omnino in hac re a recentioris aetatis poeta exemplum repetere licet — licentiam esse puto ac si Schiller noster Rudolphum Habsburgiensem, quamquam Germaniae tantum fuit princeps, mundi rectorem

1) cf. etiam Met. I 204.

2) cf. Suet. Oct. 94 et Fincke l. l. p. 18.

3) de Iove hoc dicitur e. c. Ov. Met. II 60.

4) cf. Finckei libellum.

5) quae in Stoeberi editione ad hunc locum afferuntur, sunt falsissima; falso etiam Weber in Corp. poet. Lat. p. 610 de Iove Capitolino precibus quaesito eum interpretatur.

appellat („Herrscher der Welt"). Nec vero credo, quod temporis praesentis forma Manilius, Horatius futuri utitur in c. I 12, id magno pondere esse, namque est iam praesens Augustus, id quod affatim probatum puto, cum deus, tum Iuppiter, ergo mundi et Olympi rector; habet omnium rerum potentiam (Ov. Ep. ex P. II 2, 66) neque mundi finis est finis imperii,[1]) ut Propertius V 6, 14 petere possit, ut, dum Augustus adsit, ipse vacet Iuppiter. Grave etiam est, quod vel divus, dum in vita versatur, Augustus appellatus est (cf. Fincke l. l. p. 15). Iam vero incertus quidam eo processit, ut Neronem principem, in vivis morantem, caeli mentem solisque imaginem adulantium more diceret (carmin. bucol. Einsidlensia Baehrens p. L. m. III num. XIX v. 27). Adversa fortuna fit, ut litigetur de lectione Hor. c. III 3, 12, quo loco multis paullulo verisimilius videtur ab Horatio praesens quam futurum tempus adhibitum esse; legimus sic:

Hac arte Pollux et vagus Hercules
Enisus arces attigit igneas,
Quos inter Augustus recumbens
*Purpureo bibit (*var. *bibet) ore nectar.*

Praesens sententiae non nocere concesserunt cum alii tum Herm. Schuetz eis, quae in Horatii editione altera (Berol. 1880) ad hunc locum annotavit, et C. W. Nauck in suae Horatii editionis (Lps. 1885) p. 129. Obloquuntur Fr. Ritter Hor. carm. et epod. Lps. 1856 p. 222 et Kiessling Hor. carm. et epod. Berol. 1884, alii.[2]) Sine dubio praesens verbi forma legitur I 1, 6, quod carmen huc arcessere liceat, siquis concedat vere

[1]) cf. carm. in laudes Caesaris, quod in Anthol. Lat. part. prior. fasc. 1. p. 272. num. 419 (ed. Riese) legitur: Icta tuo, Caesar, fulmine procubuit, Oceanumque tuas ultra se respicit aras: Qui finis mundo est, non erat imperio.

[2]) Invita, credo, Minerva hunc locum tractavit Dillenburger (Horat. edit. VII. Bonnae 1871), qui dicit: bibet scripsi . . . . ne honor qui mortuo deberetur, vivo iam daretur, id quod fieret, si bibit scriberetur; bene vero Mitscherlich in sua Horatii editione Lps. 1800 ad l. III c. 3 v. 11 et 12 sic scripsit: quem in terris adhuc morantem populus Romanus divinis prosequebatur honoribus, hunc poeta εὐφαντασιώτως in caelo cum dis convivantem nectarisque haustu se proluentem exhibet. cf. etiam Fr. Lübker Comment. zu Horaz' Oden p. 334.

nuperrime interpretatum esse verba *terrarum dominos evehit ad deos* Eduardum Anspach.[1]) Quem locum impeditum exacte hic tractare, quoniam a proposito abhorret, hoc annotasse contentus sum, qui terrarum dominos deos esse contendant, eos eo nihil probare mihi videri, quod ex Ovidii epistulis ex Ponto datis (I 9,36) huius deorum significationis exemplum repetunt; namque etiam Octavianum qui vocari potuisse dicet terrarum dominum, quod vult Anspach, certis is testimoniis nitetur: cf. Suet. Oct. 94; Ov. Ep. ex Pont. II 8, 26; et omnino in principum appellatione legitur saepissime hoc epitheton cf. Mart. I 4, 2; VII 5, 5. Stat. silv. III 4, 20 (cf. Fincke p. 31; Ruediger p. 3).[2]) Addo Vergilianum locum (Ecl. 1, 6 sq.), quo Tityrus pastor semper sibi eum, qui otia fecerit, deum fore dicit; illius aram saepe tenerum agnum imbuturum esse. Bucolica autem, quibus hic locus debetur, iam inde ab a. 41 usque ad 39 composita esse concinunt vv. dd. — Eandem fere atque in illis Manilianis versibus rationem repperi in carmine quodam, quod in Stobaei flor. VII 13 legimus idque Birtius non ante Augusti aetatem, sed inter Horatii et Statii fere tempora scriptum esse coniecit in indice lect. hib. Marb. 1888[3]) p. XIII, cui sententiae neminem non subscripturum mihi constat; versus sunt hi:

Χαῖρέ μοι Ῥώμα θυγάτηρ Ἄρηος
χρυσεομίτρα δαΐφρων ἄνασσα,
σεμνὸν ἃ ναίεις ἐπὶ γᾶς Ὄλυμπον
αἰὲν ἄθραυστον.

Roma igitur non solum summos deos vertice tetigit, ut ait Ovi-

---

1) Eduard Anspach die horazischen Oden des ersten Buches in Bezug auf Interpolationen, Aufbau und Zeit ihrer Abfassung; Progr. Cleve 1888; cf. eiusdem de Horatio commentationem neue Jahrb. f. Phil. und Päd. von Fleckeisen und Masius, Lpz. 1888. Bd. 137. Heft 5. p. 385.

2) Hoc animadvertendum est, si quis Anspachium sequatur, eum tamen compositionum, quas statuit Theodorus Reichardt (de metror. lyr. Horat. artif. eloc. Marb. 1889) alteri formae versum terrarum dominos evehit ad deos attribuere posse, quia etiam in illius interpretatione respondent inter se dominos et deos, etsi dominos non est adiectivum neque appositio; cf. Reichardt p. 4 et 5.

3) De Romae urbis nomine deque robore Romano commentariolus.

dius Fast. I 210, verum etiam per ipsum Olympum regnare dicitur; quin immo tonat Roma apud Claudianum (de bell. Poll. 511). Quo si nihil miri neque quod offensioni sit praebetur, non intellego, cur de summo omnium Romanorum, populi rerum potentis (Ov. Fast. I 88), principe, penes quem universa imperandi est potestas et mundi custodia cuique tota Roma paret, Manilio idem dicere non licuerit quamvis vivente. Neque quo maior fiat sententiae meae fides Statianum locum omitto, qui in Thebaidis libro primo invenitur (v. 25 sq.): ubi precatur poeta, ut Domitianus hominum habenis contentus in terra maneat atque sidera donet; non addit, cui donet, sed e verborum conexu consectarium fit, ut ipsis dis concedi dicat imperium caeleste a Domitiano. Quod glossa quoque apertum reddit. Qui autem fieri potuit, ut caeli regnum dis donare diceretur imperator, ni ipsius haec secundum poetae fictionem fuisset potestas? Qui locus non secus se habet atque Manilianus. Crevit igitur summopere verisimilitudo et terrae et caeli siderumque vivum imperatorem sicut Iovem potentem fuisse secundum poetarum blandiloquentiam.

Verum non solum pro Iove honorabatur Augustus eiusque munus dicebatur administrare, sed etiam aut filius Apollinis (Suet. Oct. 94) aut ipse Apollo existimabatur esse eiusque cultu observabatur. Ut in cena quadam, in qua deorum dearumque habitu convivae discubuerunt, ipse pro Apolline fuit ornatus (Suet. Oct. 70), ita in Palatini collis bibliotheca statuam sibi posuerat habitu ac statu Apollinis (cf. Comm. Cruq. ad Hor. epist. I 13, 17 et Anspach. l. l. p. 12): ipse igitur voluit credi Apollo! De nomismatis argenteis, in quorum altera parte Apollo sedens conspicitur, et ascripta sunt verba *Caesar, Divi F.* videas Burmannum ad Suet. Oct. 94. De eo, qui in Verg. Ecl. (IV 10) exstat, loco, supra exposui (p. 16). Observes autem Augustum cum iam ante Actiacam aleam Apollini eximie devotum fuisse (cf. Eckhel VI 108), tum postea eum ut domesticum honorasse (cf. Ov. Met. XV 865).[1]) Huic enim deo in ora Actia templum dedicatum erat

[1]) De crescente sub Augusti auspiciis Apollinis cultu vid. Prelleri myth. Rom. I³ 307.

et ipse audiebat Actius, cf. Verg. Aen. VIII 704. Phoebus autem, solis et lucis deus (*Φοῖβος, φάος*), in luce genitus est (*λυκηγενής, λύκη* – lux) et pro Phoebo vel Apolline Solem quoque dicebant Romani. Apollinem autem si Augustum putabant esse, nihil sane erat, cur non Solem eundem et ducerent et dicerent; ac propitia hercle accidit fortuna, ut ne huius quidem moris exemplis destitutus sim. Horatii enim in meas partes licebit vocare l. IV c. 5, quo summa veneratione ac pietate Augustum prosequitur. Fingit ibi, quamdiu imperator a patria absit, tamdiu deesse solem nitentem, qui veris instar populo affulgeat; praesente vero Caesare maiorem esse dierum serenitatem, recreari solem, nitorem augeri. Audire placeat olorem ipsum sic canentem:

Lucem redde tuae, dux bone, patriae:
Instar veris enim voltus ubi tuus
Adfulsit populo, gratior it dies
Et soles melius nitent.

Sol igitur reipublicae est Augustus, civium lux. Quocum loco compares Hor. c. IV 2, 46 sq., ubi recepto Caesare *pulcher* dicitur Sol.[1]) Non minus suavi adulatione Honorium principem et Solem inter se iungit Claudianus de VI consulatu Honorii v. 537 sq.: *Ipse favens ... aer ... Principis et Solis radiis detersa removit Nubila,* quorum verborum e contextu elucet sicut Soli ita Principi poetam attribuisse radios. Et quae alias propria Solis laus est, ut nubila caelo dispellat,[2]) haec apud Claudianum Honorio Solique est communis. Eodemque modo cum sole inardescente radiisque fulgente comparatur ab Ovidio Octavianus, in cuius trist. l. II v. 323 haec sunt:

Denique cum meritis impleveris omnia, Caesar,
Pars mihi de multis una canenda fuit.

---

[1]) cf. Ov. a. a. I 213 qui alloquitur Augustum pulcherrime rerum et Lucan. phars. I 48 mutato sole.

[2]) cf. A. Riese Anthol. Lat. 1869 part. prior. fasc. I. p. 250 num. 389 in laudem Solis. — Respiciendae praeterea erunt comparationes imperatoris cum Sole, quas apud eos legimus qui *περὶ βασιλείας* scripserunt, cf. Dion. Chrysost. I p. 51. III p 125, 126, 128, alibi; talia collegit Gottlob Barner comparantur inter se Graeci de reg. hom. virt. auct. Marburgi 1889.

Utque trahunt oculos radiantia lumina Solis,
Traxissent animum sic tua facta meum.

Et quod de Romulo inter deos recepto ab Ovidio (Met. XIV 827) praedicatur, *pulchra subit facies et pulvinaribus altis dignior,* hoc de spirante Augusto non semel dicitur: hic circumfusus est quodammodo luce ac fulgore; etenim *purpureo,* ut ait Horatius (c. III 3, 12), *bibit ore nectar,* ad quem locum recte Kiesslingius annotat: „purpureo ore geht nicht auf die Farbe, sondern auf den schimmernden Glanz des Purpurs: es malt also den verklärten Glanz der Göttergestalt, das lumen inventae purpureum (Verg. Aen. I 590)". Suetonii (Oct. 95) quoque locum apponam, qui hoc tradidit: *Post necem Caesaris reverso ab Apollonia et ingrediente eo urbem, repente liquido ac puro sereno, circulus ad speciem caelestis arcus orbem solis ambiit* etc., quibus respondent Velleii haec (II 59): *cum intraret urbem, Solis orbis super caput eius curvatus aequaliter rotundusque in colorem arcus, veluti coronam tanti mox viri capiti imponens conspectus est.* cf. Dio 45, 4. Talia fama et litteris de Augusto tradebantur. [1])

Ex eis quae dixi satis intellegitur Augustum (aliosque imperatores) non cum Sole comparatum tantum, sed etiam dictum esse Solem.

Si autem sol vocari adsuevit Augustus, cur astrum eundem in caelo fingere non debuerunt sive omnino poetae sive soli astrologi? Quam in rem inquirentibus proderit titulus quidam Phylis servatus, quem typis expressum invenias in Letronnii recueil II p. 343 (cf. Prelleri myth. Rom. II 429) et in Epigr. Graec. ed. G. Kaibel Berol. 1878, 978 et in Anthol. Palat. Paris (Firmin-Didot) 1890. vol. III append. c. 1, Nr. 159: *Καίσαρι ποντομέδοντι καὶ ἀπείρων κρατέοντι Ζανὶ, τῷ ἐκ Ζανὸς πατρὸς, Ἐλευθερίῳ, δεσπότᾳ Εὐρώπας τε καὶ Ἀσίδος, ἄστρῳ ἁπάσας Ἑλλάδος, ὃς σωτὴρ Ζεὺς ἀνέτειλε μέγας* etc. Qui titulus utrum ad annum a. Chr. n. 15 an 10 an 7 pertineat, hic nihil refert; certe

[1]) Silentio praeterire nequeo cum sole non imperatores tantum comparari potuisse, sed cf. e. g. Hor. sat. I. 7, 23 et Kiesslingii adnotationem. Neque fugit me propriam verbi lucis lucendive vim obscuratam saepe esse sicut Graeci *λαμπρότητος*, cf. Dio 53, 18 *τὴν τοῦ ἀξιώματος λαμπρότητα.*

Augusto vivo positus est. Tropice quidem locutus est Ovidius, cum Fabium Maximum, quia nomen eius clarissimum habebatur, Fabiae gentis sidus appellaret (Ep. ex P. III 3, 2), atque rem dilectam saepius sidus nominabant Romani, velut Prop. II 3, 14, quo loco puellae oculi poetae pro sidere sunt; non minus etiam Graeci vocabuli ἀστὴρ genuina vis nonnumquam nescio quo pacto prorsus fere videtur perisse [1]) et omnino non raro et homines et res cum stellae splendore comparantur, [2]) quamobrem singula exempla accurate spectanda et temptanda sunt. Sed in eo titulo, quem supra attuli, non figurate dictum est, neque enim neglegi debet poetam loqui: imperatorem *ortum* esse sidus totius Graeciae; neque igitur illud ἄστρον solum, sed etiam verbum ἀνέτειλε grave est nec levi momento debet aestimari. Quoniam autem in titulo publico Octavianus ante excessum significari potuit ἄστρον Ἑλλάδος... ὃς ἀνέτειλε, quanto magis poeta atque is quidem astrologus arreptus impetu cogitatorumque velocitate cum vulgi, tum Chaldaeorum de Augusto notiones secutus fingere sibi potuit vivum imperatorem inter astra versari atque inde sortes Romanas regere, praesertim cum in templis inter deos eius simulacrum esset. [3]) Huc cum aliqua verisimilitudine referas quod Germanicus de mortuo Octaviano (Arat. 558) versus facit hosce:

Hic, Auguste, tuum genitali corpore numen
Attonitus inter gentes patriamque paventem
In caelum tulit et maternis reddidit astris.

Astrum igitur debet fuisse Augustus antea, descendit de caelo, fuit astrum etiam dum Romanorum imperator fuit, metis autem vitae relictis „redditur“ maternis astris (cf. Hor. c. I 2, 45 *serus*

---

1) cf. e. g. Anthol. Palat. VII 21.

2) cf. e. g. Hymn. Apoll. 1, 774; Il. V 4; VI 295; XIX 382. Walz rhet. Graec. III p. 551, multisque aliis locis tales licet invenias comparationes.

3) cf. etiam epigrammata quae in Anthol. Palat. ed. Duebner I 669 et 670 (p. 402) scripta sunt:

ἀστέρας εἰσαθρεῖς ἀστὴρ ἐμός. Εἴθε γενοίμην
Οὐρανὸς, ὡς πολλοῖς ὄμμασιν εἰς σὲ βλέπω.
ἀστὴρ πρὶν μὲν ἔλαμπες ἐνὶ ζωοῖσιν Ἑῷος·
νῦν δὲ θανὼν λάμπεις Ἕσπερος ἐν φθιμένοις.

in caelum redeas, et Verg. Gg. I 32). Sidera genti Iuliae cognata sunt (Met. XV 839), et cum pater astrum sit, quidnam omnino miri, si filius eodem honore dignus putatur; cf. Ov. Met. XV 850 *stella micat natique videns benefacta fatetur Esse suis maiora et vinci gaudet ab illo,* quo in loco, ni omnia me fallunt, proprie dicitur Octavianus *stellae filius.* Quod non multo secus est atque si Divi filius vel Divis ortus (Hor. c. IV 2, 37) vivus Augustus appellatur, ut ipse quodammodo iam Divus sit ante mortem (Fincke p. 15 sq.). Alicuius auxilii ad fovendam illam opinionem fuisse etiam potest, quod erat in foro simulacrum Caesaris consecratum, cuius capiti sidus adiectum erat (Plin. nat. hist. 2, 94). Quid vero? Atia, Octaviani mater, priusquam pareret, nonne somniasse tradita est intestina sua ferri ad sidera explicarique per omnem terrarum et caeli ambitum! Somniavit autem et pater Octavius, utero Atiae iubar solis exortum. Quod prodidit Suetonius Oct. 94, ex quo eandem fabulam in suum opus videtur transtulisse Dio (45, 1 *ἥλιον ἀνατέλλειν ἐνόμισεν*). Suetonius autem in Asclepiadis Mendetis, de quo nihil adhuc innotuit, theologumenon libris se eam legisse dicit: ex hoc testimonio iterum confirmatur talia de Augusto non solum fabulatos esse, sed etiam litteris mandasse eos, qui divinitatem illi astruerent. Atque quo maiorem opinioni meae fidem addam, non indigni, quos afferam, sunt versus qui in initio Thebaidis Statianae leguntur (22 cet. iam supra laudati), ubi de Tito dicit poeta ita fere: „licet omnes stellae se contrahant, ut tibi locum faciant quem volueris: licet sol velit te magis implere diei curricula et tibi cedat officium suum aut tecum Iuppiter aequa parte caelum partiri desideret, tamen melius tibi erit terra regnare quam caelo: et sis terrae vel maris dominus et superis caeleste dones imperium.“ Tiliobrogae, quae in eius editione Parisiorum Lutetiae a. 1610 emissa legitur, Statiani loci interpretationem apposui, ne quis poetae verba in meum usum a me detorqueri putaret. Quomodo autem sodes dicere potuit Statius solem cupere officium imperatori cedere, nisi ipsum imperatorem eodem lumine fulgere cogitabatquo solem et astra! Hinc est, quod poeta v. 27 sq. dicit:

licet ignipedum frenator equorum
Ipse tuis alte (var. *late*) *radiantem crinibus arcum*
Imprimat,

ad quae verba annotat Barthius[1]) „ut solis instar tute et ipse luceas sisque alter in caelo sol. . . .“ Ovidius vero iam vivo Augusto sidera pacta fuisse affatim eis patefecit, quae in Trist. V 49 sq. pronuntiavit: *sic ad pacta Tibi sidera tardus eas!* Ac summo mihi fore subsidio in ea quam quaerimus re exspecto Claudianum, qui sine dubitatione Honorium nuncupat imperii sidus, quod sit ab ipso Zodiaco in sua sede collocatum. Ipsius sententia, quae sat mihi videtur conspicua, haec est (de VI cons. v. 18 sq.):

Namque velut stellas Babylonia cura salubres
Optima tunc spondet mortalibus edere fata . . . . .
Haud aliter Latiae sublimis signifer aulae (i. e. Zodiacus)
Imperii sidus (i. e. Honorium) *propria cum sede locavit*
Auget spes Italas.[2])

Paullo infra Honorium consulatu fungentem deum appellat Claudianus v. 25 sq. Idemque (de IV. cons. Honor. v. 570) a militibus dicit portatum esse *sidereum onus:* hoc autem onus, quod gestant milites, non est consecratus, sed vivus imperator Honorius, cuius sacra ab omnibus frequentari poeta dicit in v. 577. Iam laud. Seren. huc afferre non vereor vv. 46 sq.

Necdum moderamina mundi
Sumpserat illa domus, cum te (scil. Serenam) *Lucina beatis*
Adderet astrorum radiis;

quo loco Birtius unanima bonorum codicum auctoritate nisus restituit *adderet.* Ergo Serena ubi nascitur additur astris. Ecce gens astrorum in terra! Minorem vim tribuo Suetonii loco (Cal. 13) qui *sidus* dictum esse confirmat Caligulam. Qui imperium adeptus *cum a Miseno profectus Romam peteret, inter altaria,* ut ait ille, *et victimas ardentesque taedas densissimo et laetissimo obviorum agmine incessit, super fausta omina* (var. *nomina*) *sidus et pullum et purum et alumnum appellantium.* Quae

1) C. Papirii Statii quae exstant, ed. Caspar Barth, Cygneae 1664.
2) cf. Gesneri notam.

utrum pro ludibrio an pro blandicellis dicta sint, dubitare possumus. Sed prodeant et carmen quoddam ex Anthol. Lat. ed. Riese 376 (Florentini in laudem Thrasamundi regis) v. 4 sq.,[1]) ubi de rege dicuntur haec:

toto sed clarior orbe,
Sed radiante micans cunctis supereminet astris!

et Statius, qui astrum dicit Domitianum ita loquens (silv. I 1, 55):

Hic domini numquam mutavit habenas
Perpetuus frenis, atque uni serviet a s t r o

(i. e. Domitiano); quibus similia sunt haec: (silv. I 1, 103)

tua sidereas imitantia flammas Lumina.

Dolebis autem fortasse mecum, quod ad argumenta trahere non licet ex astronomicon libro II v. 507 sq.:

contra Capricornus in ipsum
Convertit visus; quid enim mirabitur ille
Maius, in Augusti felix cum fulserit o r t u m.

Nam quoniam oriendi verbum et de astris fulgere incipientibus et de hominibus in lucem editis usurpabatur, in incerto relinquendum est, utrum aliqua allusio insit, qua qui legunt de astro Augusto, quod orbis Romanus acceperit, commoneantur necne.

Sed quamquam cuivis perspicuum esse credo me in eis, quae de imperatore quasi *a s t r o* a Romanis culto exposui, a vero non deflexisse, tamen alia indicia nonnulla non vetabor cumulare, quibus paullo magis adminiculari rem nostram concedes. Neque enim illud intactum relinquam, quod inde a C. Iulio Caesare Romani menses, qui suo quisque deo vel deis sacrati erant, imperatorum nomine appellare coeperunt. Mensis Quintilis Iulii nomen accepit et simili modo Sextilis in honorem Augusti eodem nomine appellatus est, quia hoc mense primum ille consulatum inisset eodemque finis impositus esset bellis civicis.[2]) Habemus de mensibus carmina tria ignoti cuiusdam auctoris,

---

[1]) cf. Anth. vet. Lat. epigr. et poem. edit. Burmannianam dig. et auxit H. Meyer Lps. 1835 t. I p. 121 Nr. 290.

[2]) Macr. sat. 1, 12 in Eyssenhardtii editione 1868 p. 65; Suet. Oct. 31.

quae prope ad Augusti tempus accedere statuit Baehrens p. L. m. 1, p. 201 sq. Quorum in tertio haec (v. 15 sq.) legas:

Quam bene, Quintilis, mutasti nomen: honori
Caesaris, o Iuli, te pia causa dedit.
Tu quoque, Sextilis, venerabilis omnibus annis
Numinis Augusti nomina magna geris.

C. Iulius Caesar optime de anni modo definiendo eiusque spatiis disponendis meritus erat;[1]) praedicatur ob hoc ab Ovidio Fast. III 155 in hunc modum:

Sed tamen errabant etiam nunc tempora, donec
Caesaris in multis haec quoque cura fuit.
Non haec ille deus tantaeque propaginis auctor
Credidit officiis esse minora suis:
Promissumque sibi voluit praenoscere caelum:
Nec deus ignotas hospes inire domos etc.

Artissima autem cum sit ratio, quae inter menses et sidera intercedat (cf. Verg. Gg. I 32), illam opinionem, qua Augustum astrum esse crederent, foveri potuisse quis est qui neget? Eodem mihi persuaserim pertinere, quod quaedam Italiae civitates diem, quo primum ille ad se venisset, initium anni fecerunt (Suet. Oct. 59). Illud quoque in argumentorum seriem immittas, quod Augustum mercatores et nautae ut tutelarem deum invocabant. Templum enim magnificentissimum Alexandriae constitutum erat, ubi ut tutor maris et mercaturae patronus coleretur Augustus (Philo leg. ad Gaium p. 567; Preller Myth. Rom. II p. 429 et 449). Subit me eorum nummorum quoque recordatio, in quibus in dei oceanum tutantis similitudinem pictus est:[2]) fuit igitur nautis laetum signum. Hac autem re unicuique Castoris et Pollucis facile excitatur memoria, qui et ipsi nautarum in fluctibus versantium putabantur esse opitulatores, atque hi quidem caelo illati habebant locum inter astra.[3]) Horatio Castoris memoria surrexit Augustum inter penates a Romanis enumerari sic dicenti (c. IV 5, 33 sq.):

---

[1]) Annum igitur temperavit, id quod Iovis proprium munus est, de qua re, ut alios omittam, cf. Hor. c. I 12, 15: qui mare ac terras variisque mundum temperat horis.

[2]) Eckhel IV p. 45.

[3]) cf. Hor. c. I 3, 2 fratres Helenae, lucida sidera.

Te multa prece, Te prosequitur mero
Defuso pateris, et laribus Tuum
Miscet numen uti Graecia Castoris
Et magni memor Herculis.

Idem cum Polluce componit imperatorem c. III 3, 9 sq. Prima vestigia, quibus ad cultum Augusto ut Oceani patrono dedicatum ducamur, iam in Verg. Gg. I 29[1]) apparent, ubi de principe inter deos marinos recipiendo quasi vel maioris auctoritatis et superior Augustus futurus sit ipso Neptuno et ceteris maris deis, dicit poeta: *an deus immensi venias maris ac tua nautae Numina sola colant;* eodem accedant, quae apud Horatium (c. IV 5) leguntur: *Pacatum volitant per mare navitae:* etenim pacati oceani gloria attribuenda est Augusto. Eximias in eundem laudes Puteolanum forte sinum praetervehentem vectores nautasque de navi Alexandrina congessisse tradit Suetonius (Oct. 94) tura libantes dicentesque *per illum se vivere, per illum navigare, libertate atque fortunis frui.*

Paucissima praeterea habeo, quae addam de astri cultu. Subveniunt enim mihi illi et nummi et lapides,[2]) in quibus ad speciem Iovis fingitur Augustus atque fulminis vel stellae signo aut corona radiata exornatus est, cui et ipsi inest quaedam stellarum imago[3]) propriumque hoc olim deorum fuit insigne. Iam pater olim Octaviani Suetonio teste (Oct. 94) videre visus erat filium mortali specie ampliorem, *fulmine et sceptro exuviisque Iovis O. M. ac radiata corona* condecoratum, actenes fortasse memoria ipso sole quodammodo imperatori *coronam* imponi visam esse Velleio (cf. supra p. 45). Quam coronam divinitatis famam ascivisse ex eo intellegimus, quod ob id ipsum ea uti voluit Caligula.[4]) Vise etiam mecum

[1]) Gg. I 32 imitatus est Claudianus de III cons. Honorii v. 170 sq. simili siderum imagine usus.

[2]) cf. etiam Sil. Ital. XIII 862, ubi, postquam de Pompeio Magno dictum est, de Octaviano haec scripta legimus: ille deum gens stelligerum attollens apicem Troianus Iulo Caesar avo etc.

[3]) Corona radiata aliquot erectis acuminibus instar radiorum ornata erat.

[4]) Philo leg. ad Gaium p. 559; Schoepflin l. l. p. 93.

Lucani locum, qui exstat VII 457, nostram ad rationem utilem et accommodatum, ubi non de Caesare solo ille cogitabat, cum sic scriberet:

bella pares superis facient civilia divos:
Fulminibus manes radiisque ornabit et astris
Inque deum templis iurabit Roma per umbras.[1])

Atque quod Capricorno nummos signandos curavit Octavianus, ad illam opinionem, de qua disserimus, et confirmandam et propagandam nonnihil id contulisse putaverim. Iam Suetonius, cum de Nerone agit, memoratu dignum censet Romam eo curru, quo Augustus triumphasset, ingredientem veste purpurea distinctaque *stellis aureis* clamide cum ornatum fuisse (c. 25). Haec legenti in memoriam venit earum figurarum, quae in thorace illius statuae Augusti caelatae sunt, quae Primae Portae reperta est: invenitur ibi Caelus deus, invenitur etiam Sol; cf. Baumeister Denkm. d. kl. Alt. t. I p. 228. In eodem genere ponendum arbitror, quod C. Plinius Caecilius Secundus in panegyrici Traiano imperatori dicti c. 80 haec habet: *o veras principis atque etiam dei curas reconciliare aemulas civitates tumentesque populos non imperio magis quam ratione compescere, intercedere iniquitatibus magistratuum infectumque reddere quidquid fieri non oportuerit, postremo v e l o c i s s i m i s i d e r i s more omnia invisere, omnia audire et undecumque invocatum statim velut numen adesse et assistere!*[2]) Comparat igitur Traianum cum sidere velocissimo atque id quidem, dum vivit; haec paullulo tantum minor est audacia quam ea, qua Manilius Augustum *sidus* dicit: sed hic est inter astrologos, quos, ut supra commemoravi, suas fortasse rationes in imperatoris adulatione secutos esse veri non est dissimile. Quod vero Ovidius Trist. V 10, 45 sq. dicit:

O duram Lachesin quae tam g r a v e s i d u s habenti
Fila dedit vitae non breviora meae,

non inepte explicari haec verba, si omnino de natalicio sidere interpretes accipiunt, negare non possum, nec tamen aliam in-

[1]) cf. ea, quae ad hunc locum annotavit C. F. Weber Luc. Phars. Lps. 1829 p. 211.

[2]) Baehrens XII paneg. Lat. Lps. 1874 p. 75.

terpretationem commendare vereor. Quid enim, si subobscure ad *sidus Augustum,* quod sibi iniquum esset, alludere voluisse poetam audebo statuere? Augusti enim numen offensum erat, ut in eiusdem elegiae fine ipse Ovidius docet. Hoc modo interpretatum, cum satis commoda evadat sententia multoque quantum perspexi elegantior quam priore explicandi genere, metam me attigisse spero.

Denique illud ad dilucidandam nostram opinionem facere possit quamvis leve momentum, quod ex Antoninorum aetate moris erat, ut et ante imperatorem et ante imperatricem, quotiescumque in publicum prodibant, ignis portaretur ut quasi quidam symbolus (cf. Preller Myth. Rom. II 441). Verecundia autem pietateque illum ex Matthaei euangelio locum repetere prohibeor, ubi Iesu Christi adventum per stellam eius (*εἴδομεν γὰρ αὐτοῦ τὸν ἀστέρα*) magis indicatum esse legimus. [1])

Quae omnia si cum eis, quae mihi certissima testimonia visa sunt, iterum iterumque pensitaveris, dubium non erit, quin Augusto vivo astrum et ab astrologo, de quo disputamus, et ab aliis, apprime poetis, applicatum dicatumque sit recteque ego istos Manilii locos supra de vivo imperatore interpretatus sim. Quodsi sideris instar imperatorem Romani honorabant, intellegi potest, cur eum solum stellarum cursibus non subiacere putaverint. [2]) Neque iniuria, cum ne hunc quidem cultum repudiasset Augustus, nihil deorum honoribus relictum esse multi sermocinabantur post eius excessum. [3]) Addo Germanorum imperatoribus, qui Romanos exceperunt, similes nonnumquam honores illatos esse a poetis non sine Romana aliqua imitatione: Walther quidem dictus Vogelweidensis Austriacum regem cum sole conferre non dubitat. [4]) Unde pendere putem, quod in imperatorum insignibus, quae dicimus, iuxta ipsum imperatorem et solem et lunam, quae prodant maiestatem ac divinitatem, cusa invenimus. [5])

---

1) Matth. 2, 1 et 9 et 10.

2) Firm. Mat. ed. Basil. p. 44.

3) Tac. ann. 1, 10.

4) cf. Uhlands Schriften zur Geschichte der Dichtung und Sage. Bd. V. Stuttgart 1870. Walther v. d. V., ein altdeutscher Dichter, p. 32.

5) Winkelmann Philipp v. Schwaben u. Otto v. Braunschweig II

Moleste autem ferimus, quod fortuna carmina illa, quae in Augusti et Tiberii honores Tomis Ovidius composuit, aetatem ferre non sivit:[1]) in his enim nonnulla a Manilianis Augusti laudibus non abhorrentia fuisse haud iniuria, opinor, aliquis suspicetur.

Quae cum ita sint, eis Manilii locis, quos supra tractavimus, eo devenimus, ut astronomicon priores quattuor libros Augusto vivo conscripta esse censendum sit. Et ne in quinto quidem libro quidquam certi vestigii inest, quo ad Tiberii aetatem duci debeamus. Neque enim quisquam hodie cum Iacobo interpretabitur v. V 513 sq.:

Hinc Pompeia manent monumenta triumphi
Non exstincta acie, semperque recentia flammis
Et Mithridateos vultus induta tropaea.[2])

Certissimum est in codicibus hos versus perverso ordine perhiberi, recteque verba *Et quod erat regnum, pelagus fuit; una malorum,* quae post v. 513 in manuscriptis leguntur, post v. 542 videtur collocasse Iacobus. Qui praeterea pro *lues,* quod traditur, in v. 514 emendat *acie;* per *aciem* autem bella civilia vult significari, quae theatro Pompei — ita enim *Pompei monumenta* intellegit — nihil obfuerint; quod flammis non semel absumptum et sub Tiberio restitui coeptum esse. Tiberii igitur laudes hic praedicari. Concedamus paullulum veram esse illius coniecturam *acie:* tamen non necesse est Tiberianae aetatis allusionem sumamus. Etenim Augustus quoque ut aedes sacras vetustate collapsas (Suet. Oct. 30; Mommsen res gestae d. Aug. 1883[2] p. 86), ita Pompei theatrum restituit, id quod e monumento Ancyrano (lat. 4, 9 et graec. 10, 14, 15) apparet (cf. Iebb l. l. p. 139): *Capitolium et Pompeium theatrum utrumque opus impensa grandi refeci sine ulla inscriptione nominis mei. Καπιτώλ(ιο)ν καὶ τὸ Πομπηίου θέατρον ἑκάτερον τὸ ἔργον ἀναλώμασιν μεγίστοις ἐπεσκεύασα ἄνευ ἐπιγραφῆς τοῦ ἐμοῦ ὀνόματος*

208. Wilmanns Leben und Dichten Walthers, Bonn 1882 p. 107, 244, 441. Suet. ed. Reifferscheid 66.

1) cf. Teuffel hist. litt. Rom. § 250.

2) cf. Progr. Lubec. 1836 p. 13 sq.

(Mommsen l. l. p. LVIII et LXI et 83). Quo tempore hoc refecerit Augustus nescimus, sed probabiliter Zumptius ad annum 745 Capitolii reparationem rettulit ac fortasse eadem tempestas etiam Pompei theatrum devastavit, cf. Theod. Bergk Augusti rerum a se gestarum ind. cum graeca metaphrasi Gott. 1873 p. 65. Itaque si de theatro Pompei flammis deleto versus allatos interpretaremur, tamen non de Tiberio esset cogitandum. Recte autem Woltjer l. l. p. 23 et 24 demonstravit, poetam ibi eorum opera intellegere, quos artifices auri dicat v. 507, qui mille figuris vertere opus possint etc.; hinc de augustis muneribus in sacratis templis expositis loqui, non de templis ipsis nec de theatris. Versum denique 514, qui certe in hunc locum quadrare non videtur, cum Bentleio is putat eiciendum esse; sed mihi nata est suspicio nescio quo casu e primo in quintum librum delatum eum esse, sic ut suo loco reddendus sit (I 889 sq.): [1])

lassus defecerat ignis:
Non exstincta lues, semperque recentia flammis
Et coacervatis ardebant corpora membris,
Ac tanto quondam populo vix contigit heres.

Praeter locum modo explicatum quandoquidem nulla in quinto libro invenitur sententia, unde de aetate quidquam concludas, etiam hic sub primo imperatore scriptus et editus esse potest, sed concedemus poeta in scribendo hoc libro versante fortasse mortuum esse Augustum. Sed haec quidem hactenus!

Nunc Augusteae aetati astronomicon libros deberi quoniam exploratum nobis visum est, id quoque est conandum, num suo quemque anno tribuere possimus: qua in re ad imitationes Ovidianas confugiendum est.

Si epitheta et locos similes, quos apud Ovidium et in astronomicon libro primo legimus, intuebere, nonnullos ad priora Ovidii carmina adsonare apparebit; [2]) longe plurimas voces sententiasque, quae aliquam prodant similitudinem, ex Metamorphosibus Manilius assumpsit. Fastorum imitationem

[1]) Aliter hunc locum tractat Breiter Neue Jahrb. f. Phil. und Paed. 1889 t. 139 p. 860.

[2]) cf. Cramer l. l.

certam cognoscere nequimus atque dubiam mihi videtur habere probabilitatem Freier, cum astronomicon primi libri versus finales e Fast. I 701, 702 fluxisse nobis persuadere vult (p. 64 et 65): neque enim Fastis ullo modo similiores sunt quam Vergilii versibus Aen. I 293, ad quos non minore probabilitate Maniliani referri possunt. At si quis Trist. I 4, 1 (I 3, 103)[1]) Manilio versum I 419 pangenti notum fuisse colligat, haec quoque carmina eum iam inspexisse concedo, sed primus liber solus aliquo numero sit. Nam si qua res in ceteris libris invenitur, quae concentum aliquem praebet, aut iam in prioribus Ovidii operibus eadem vel similis quaedam exstat, quae Manilio exemplo fuisse possit, aut minime efficax est, velut si Germania fera dicitur a Manilio I 899 et in Ov. Trist. IV 2, 1 et in Ep. ex P. II 8, 39, nulla est vi, quia iam antea idem apud Horatium (Epod. 16, 7) legitur. Neque repugnat meae sententiae ille qui est de Orpheo locus (I 325 sq.):

Lyra . . qua quondam ceperat Orpheus
Omne quod attigerat cantu manesque per ipsos
Fecit iter domuitque infernas carmine leges.
Hinc caelestis honos similisque potentia causae:
Tunc silvas et saxa trahens, nunc sidera ducit.

Namque huius simillimus etsi Trist. IV 1, 17 exstat *cum traheret silvas Orpheus et dura canendo saxa,* tamen iam in Met. XI 1 non minus similis est locus, cui Manilius artius se adiungere potuerit:

Carmine dum tali silvas animosque ferarum
Threïcius vates et saxa sequentia ducit;

cf. quoque v. 41 et a. a. 3, 321:

Sacra ferasque lyra movit Rhodopeïus Orpheus
Tartareosque lacus tergeminumque canem.

---

[1]) Man. I 410 nec clarius astrum | Tingitur Oceano; eodem loco Ov. Trist. I 4, 1 (I 3, 103): Tingitur Oceano. Latinis exemplo videtur fuisse Il. VIII 485, qui incipit ab: ἐν δ᾽ἔπεσ᾽ Ὠκεανῷ. Quod ad elocutionem, quae est Oceano tingi, attinet, sat saepe invenitur: Verg. Aen. I 745 Oceano se tingere soles; VII 811 tingeret aequore plantas; Ov. Met. II 530 tinguntur in aequore; praeterea Met. II 172. XI 455. Fast. VI 717 (radios ubi tinxerit undis).

Itaque Manilius suum versum pangere potuit memor eius loci, qui in Metamorphosibus exstat, neque statuamus necesse est eum Tristium quartum librum inspexisse, qui anno 11 et priore anni 12 parte compositus eiusdem anni 12 aestate vel autumno Romam videtur perlatus esse (Cramer l. l. p. 4 not. 1). Quapropter etsi Cramerum, primi libri versum 329 argumento esse arbitratum initium huius libri anno 12 fictum esse, cum Tristium l. 4. carmina in recenti poetae memoria essent, certis argumentis refellere nequeo, tamen necessitatem huius arbitrii possum negare. Quod autem ex Ponticis epistulis deprompsisse videretur poeta, nihil omnino in primo libro inveni. Iam consentaneum est[1]) priores Tristium partes Roma profectum in ipso itinere Ovidium confecisse singulosque libros misisse in urbem, ubi celeriter divulgarentur, ut quamquam, quo fere tempore primam manum astronomicis noster imposuerit, aliunde inscii sumus, nulla imitatio obstet, quominus iam a. 10 et paullo post eum primum librum condere potuisse statuam. Nam primum Tristium librum, quem quo tempore ipse carmen concinnare vel potius *edere* coepit, a Manilio lectum volumus, iam priore anni decimi parte Romae inspiciendi potestas fuit. Quae cum ita sint, non timendum mihi est, ut particulam *modo* in Man. I 898 (p. 11 et 12) non falso interpretatus sim.

Alterum librum multo post primum conscriptum esse statuere Ovidianis locis, quos Manilius imitabiles sibi elegit, non cogimur. Nam in hoc sicut in primo libro priora modo Ovidii carmina imitatus est ac postremus huius poetae libellus, cuius similis locus deprehendatur, primus aut si in v. 485 *(ut principe dignum est;* Ov. Trist. II 133 *ita principe dignum)* astronomum Sulmonensis vatis imitatorem esse putamus, secundus Tristium liber est. Ex iis libris, qui post hunc in lucem emissi sunt, nondum noster videtur cepisse haustus. Neges enim v. II 142 *(et gaudente sui mundo per carmina vatis)* cum Ovidii Ep. ex P. IV 8, 43 *(Nec tamen officio vatum per carmina facto)* adeo congruere, ut Manilii versum iure possi-

[1]) cf. Teuffelii hist. litt. Rom. § 250; in quinta editione edita esse exponitur Tristium l. I in itinere vere a. 9, l. II sub finem a. 9, l. III a. 10, l. IV initio a. 11, l. V initio a. 12.

mus dicere imitatorium. Quae denique Freier l. l. p. 61 et 62 in comparationem vocavit, exigui pretii sunt ex eisque epistulas e Ponto datas astronomica condenti praesto fuisse falso concludit: nam utriusque poetae versus parum inter se consentiunt, quam ut sua alterum alterius verbis assimulasse merito queas monstrare. Similis quidem imago a flumine sumpta ac Man. II 10 *(amnemque in tenues ausa est deducere rivos)* iam in Met. legitur V 435 *pectoraque in tenues abeunt evanida rivos;* Ep. ex P. II 5, 22 *et e rivo flumina magna facis.* Item ut in dubio relinquam, utrum Manilii scribentis II 107 in animo haeserint infixi Fast. VI 6, 5 et 24 necne, quia similiter in Met. VIII, 73 *(sibi quisque est deus),* scriptum videas ita in versu II 49 *(doctae cecinere sorores)* Manilium Fast. VI 811 *(doctae assensere sorores)* secutum esse infitior respiciens Met. V 255 *(doctas sic est affata sorores).*[1]) Atque etiam Man. II 3 *(Hectoreumque facit tutamque sub Hectore Troiam)* et Ovidii Ep. ex P. IV 7, 42 *(dicitur Hectoreas sustinuisse faces)* rationem habendam esse in imitationibus statuendis nego. Nisi quos codices secutus Weber l. l. p. 610 scribit *tutam subque Hectore Troiam,* omnes ita Manilii versum exhibent, ut modo attuli. Quae lectio cum nullo sensu sit, iam ante Scaligerum vv. dd. *Hectoreamque facem* emendaverunt (cf. Man. V 301 *Hectoris ille faces),* et Iacobus scribit *Hectoreasque facis.* Qua emendatione plerisque probata similitudo efficitur cum Ov. Ep. ex P. IV 7, 42. Ego Bentleio assentior, qui spurium putat versum Manilianum.[2]) Quid enim, si quis statuat margini codicis aliquam notam ascriptam fuisse, quam postea in textum scribae receperint? Fortasse aliquis lecturos ad Homeri clarissimam de Priamo Hectora solvente narrationem adducturus tale aliquid adnotavit: Hectoreumque corpus facit solventem, scil. Homerus Priamum solven-

---

[1]) Hoc epitheton Musis saepe attribuitur cf. Knickenberg de deorum invocationibus quas in componendis carminibus poetae Romani frequentant. Marburgi 1889 p. 22.

[2]) Sed dubito, num fausta Minerva Bentleius Man. II 3 confictum esse ex Man. I 766 suspicatus sit, quia ne de hoc quidem versu quid debeam censere scio.

tem facit; nam alterum versum cum Pingreo de Priamo interpretor, non de Agamemnone cum Stoebero et Webero (l. l. p. 610). At si reiecta Heimsoethiana illa panacea recte restitutum putes sive *Hectoreamque facem* sive *Hectoreasque facis,* tamen non cogimur opinari Manilio, cum hunc versum scriberet, Ovidii verba ante oculos versata esse, quae in epistula modo allata leguntur, namque iam in Met. XIII 7 non multo aliter scriptum videmus: *At non Hectoreis dubitavit cedere flammis.*

Ac ne ex tertio quidem astronomicon libro manifeste apparet ex iis epistulis, quae in Ponti ora in lucem venerunt, in Manilii haustus decurrisse liquorem. Neque, ut recte intellexit Cramer, ille III 1 (*maioraque viribus ausum*) ex Fast. II 123 (*maioraque viribus urgent*) petivit, sed fortasse ex Verg. Aen. X 811 (*maioraque viribus ausum*), cui proprius cum accedere quis est qui infitias eat? Man. III 66 (*traheretur in unum*) propterea Fast. IV 97 (*contraxit in unum*) imitationem esse negaverim, quia vulgaris haec est sententia *in unum contrahere,* quam vel historici, Sallustium et Livium dico, antea scripserunt. Epithetorum autem et in tertio astronomicon libro et apud Ovidium occurrentium quae ex hoc tracta sint dubium est, sed fieri potest, ut *cancrum litoreum* (Man. III 316. Met. X 127. XV 369) et *draconem vigilem* (Man. III 11; *dr. pervigil* Ov. her. 6, 13; 12, 101. Met. VII 149) Ovidii memor scripserit Manilius; *tempora* vero *labentia* (Man. III 470. Trist. III 3, 11; cf. Met. XV 179 et Fast. VI 771 *tempora labuntur*) utrum Ovidium legenti adeo placuerint, ut memoria teneret, an ipse finxerit, quis hoc tamquam de tripode velit respondere? Sed concedamus imitationem: novit igitur Manilius, quo tempore tertio libro contexendo operam navavit, Tristium tertium librum.

Sed cum in his tribus astronomicon libris epistularum, quas ex exsilio Romam misit Ovidius, imitationes non deprehenderimus, in quarto libro inesse videtur, quod ex illarum memoria natum sit. De versu quidem IV 60 alius aliter forsitan iudicet *(toto spectante senatu),* per quem versum Manilium Ovidii [1]) debi-

1) Ep. ex P. IV 4, 41 toto comitante senatu.

torem factum esse etsi haud scio an nimis sagacis nasus sit qui dicet, tamen concedere in animo est forti hanc congruentiam non attribuendam esse. Nec facile, utrum *Scythicus arcus*[1]) illi debeatur necne, quisquam discernat, quoniam una cum Scytharum nomine unicuique arcus, sagittae, pharetrae eodem tempore in mentem veniebant (cf. Herod. VII 64 *τόξα ἐπιχώρια*); sed tamen negare nolo aliqua ex parte *arcum Scythicum* sapere Ovidium. Vel vv. 906 sq. et 915 sq., ut voluit Freier,[2]) in similitudinem Ep. II 8, 57 sq. cedere largiamur; quid tum? Virorum doctorum disquisitionibus probatum est alterum epistularum librum a. 13 Romam missum esse. Idem cadit (cf. Cramer p. 4 n. 1) in carmen ex Ponto IV 4: Romae autem post ipsum adventum epistulas innotuisse quoniam probabilissimum est, qui quartum Manilii librum sub finem a. p. Chr. n. 13 ortum esse dicit, ei imitationum Ovidianarum obstat nulla. Ante a. 12 vel 13 vel ideo editus esse non potest, quod IV 764 Tiberius *recturus* dicitur: hic a. 12 demum in Augusti gratiam rediit (cf. Suet. Tib. 20; Woltjer l. l. p. 23).

Ut autem in quarto, ita in quinto libro similitudines quaedam Ponticarum epistularum inveniuntur, quas gravioris ponderis esse ducamus, quam ut Manilium illas cognitas habuisse negemus; imprimis adsonant

M. V 295 . . . *dabit et iaculum torquere lacertis.*

Ep. ex P. II 9, 57 *Atque ut es excusso iaculum torquere lacerto.*

Hoc vero in illarum priores tantum duos libros cadit, quos iam a. 13 in urbe Manilius legere potuit, ut etiam hunc librum sub finem Augusti imperii ortum esse si statuemus, certis, quae ad epistulas Ponticas spectant, imitationibus non refellamur.[3]) Ger-

---

[1]) Man. IV 755 Euxinus Scythicos pontus sinuatus in arcus; Scythicus arcus Ep. ex P. I 1, 79 eodem versus loco. Conferendus autem cum Maniliano loco est Ov. Met. XIV 51, qui versus (Parvus erat gurges, curvos sinuatus in arcus) similis est.

[2]) p. 62 et 63.

[3]) praeterire hoc loco nolo V 546 (hic hymenaeus erat), ad quem apposuit Cramer Ovidianum illud (Met. VI 429) Non hymenaeus adest. Cuius num Manilius memor fuerit, dubitabile est, non quod Ungerum de hoc loco verum vidisse putem, sed quia iam Verg. Aen. IV 127 exstat: hic hymenaeus erit, quo spectato suum versum

manicus suo Arateorum prooemio Manilii exordium videtur imitatus esse. Praeterea non nisi rarissimae locutionum similitudines inveniuntur; cf. Cramer p. 58. De Fastis vero quid iudicandum esset, non mihi contigit, ut satis enuclearem. Rectissime vehementer dubitasse Cramerum iudicans, num in v. V 176 *(Te, Meleagre, colunt flammis habitantibus* [corr. Bentl. *absentibus] ustum)* agnoscenda esset, ego neutrum locum neque Fastorum (V 305 *Respice Thestiaden: flammis absentibus arsit*) neque Ibidis (599 *Natus ut Althaeae flammis absentibus arsit*) Manilium ante oculos habuisse, sed suum versum scribere potuisse contendo eius narrationis recordatum, quam Met. VIII legerat, imprimis v. 515: *Inscius atque absens flamma Meleagros in illa Uritur;* cuius partis in memoriam etiam illud *munera* (V 177; cf. Met. VIII 502) scripsisse poeta videtur, quod falso removeri in eiusque locum *mutua* substitui sunt qui velint. Tam similes autem, ut paene e Fastis deducti videantur esse, sunt versus hi:

Man. V 224 *Corda micant et lingua rabit*
Fast. III 331 *Corda micant regis*
Man. V 253 *Cura Ariadneae quondam monumenta coronae.*
Fast. III 513 *Sintque tuae tecum faciam monumenta coronae.*
Man. V 333 *Ille dabit cantus inter convivia dulces*
Fast. II 767 *Iam dederat cantus lucis praenuntius ales*

---

noster potuit condere. Unger autem in traditis verbis Manilianis mendum haerere ratus (in philologo a. 1888 p. 80) iussit sic scribi:

Hic Hammon superat: solata en publica damna
Privatis lacrimis ornatur victima poenae.

Quae coniectura num satis certis causis fulta constet, quaeri potest. Illud quidem quod una nec dissentienti omnium librorum manuscriptorum voce versus 546 initium, quale vulgo circumfertur, defendi potest, non nimis magni aestimem haud ignarus, quam multis gravibusque vitiis illi affecti sint. Neque nego, etsi universe auctore non adiecto a poeta dictum est proposita est merces, potuisse tamen oraculum Ammonis non inepte commemorari, sicut apud Ovidium Met IV 671; V 17; sed illud hic minus duco commodum et aptius forsitan exspectes Iamque, quod a traditarum litterarum ductu longius recedit. Verum qua tandem Ungeri emendatio commendetur necessitate, videndum erit. Non opportunam esse hymenaei mentionem iste arbitratur nec non repugnantem et versibus V 545 sq. et V 579 sq. Quod ita non est. Etenim ironice quasi

In tertio quoque libro exstat versus finis, qui miram quandam similitudinem Fastorum habeat:

Man. III 22 *Non regis Magni spatio maiore canenda.*
Fast. VI 585 *Tertia causa mihi spatio maiore canenda est.*

Minus similes sunt

Man. IV 773 *Hesperiam sua libra tenet*
et Fast. I 498 *nave secat fluctus Hesperiamque tenet.*

In his locis, quos prae iis, quorum ex prioribus Ovidii libris Manilius potitus est, paucissimos esse concedes, si imitatio agnoscenda est, retractatam Fastorum editionem Manilio ante oculos fuisse non concludam, sed fortasse Fastos nondum editos, quos iam Romae scripserat (Trist. II 549 sq.) Ovidius, evol-

---

dicta censeam illa verba hic hymenaeus erat; nempe Phineo Andromeda iamiam sponsa fuit, quo utebatur patruo: manet igitur eam hymenaeus; sed subito oraculum illud perniciosissimum editur atque hymenaei vice morti proponitur Andromeda. Itaque eo gravius est malum, quod innupta peritura est (v. 553 et cruce virginea etc.; 549 virginis funus). Atque illud quoque mihi attendas puellam, priusquam scopulis affigatur, pulcherrima veste exornari (cf. v. 557, 558), quali decorari solebant virgines ante nuptias (cf. νυμφοστολεῖν Strabon. VI 8, p. 259 e). Hinc autem est, ni fallor, quod Abantiadae (Met. IV 679), ubi primum eam conspicatus est, non istis, quibus vinctam cernit, catenis digna videtur, sed quibus inter se cupidi iungantur amantes. Quid igitur? Pro hymenaeo puellae innubae, id quod non semel poeta urgere videtur velle, mors parabatur atrocissima: attamen aliter res evenit atque omnes exspectaverant. Ecce enim revera praecutit taedas Hymenaeus, cum — sortem sane vere tragicam — bellua interfecta catenisque resoluta virgine Perseus gener salutetur ac thalamos intret (v. 576). Namque ut in matrimonium daretur virgo, antequam periculum subiret, sibi pactus erat, cf. v. 579, 615 sq.; Ov. Met. IV 703. V 28. Postremo si ne Vergilii quidem et Ovidii simillimos locos neglexeris, nequaquam necessarium esse, quod Unger fabricatus est, facile apparebit. Alteram versus 546 partem et insequentia verba apertissime corrupta, quoniam ipse probabilem medelam non repperi, eruditioribus relinquo corrigenda. Sed de libri V v. 579 fine liceat proferre suspicionem. Traditum enim est pactusque maritum; errat Weber l. l. p. 643, cum dicit „in aliis codd. pactusque hymenaeum". Hanc esse sat antiquam coniecturam mihi scripsit Bechert. Duplex autem, ni quid me effugit, adhuc oblata est interpretatio. Scaliger, qui suum explicandi modum exemplis non comprobavit, figurate poetam maritum posuisse ratus est pro coniugio. Hic ea fortasse mente rem comprehenderit, ut ad maritum putaret supplendum esse foedus, quam lectionem invenimus in Ov. Ep. ex P. III 1, 73. Weber (l. l.) et Iacobus (in indice p. 212) in-

vendi occasio data erat. Talia non inaudita fuisse mihi credes Propertium tibi afferenti, qui, cum in c. III 32 ad Aeneidem alluderet, ipsius Vergilii schedas inspexisse putandus est.

Haec omnia si consideramus, quandoquidem a. 10 poetam initium edendi facere potuisse concessimus, unum fere quoque anno librum composuisse totumque opus usque ad Augusti annum emortualem paene confecisse videtur; fieri autem potest, ut in quinto libro faciendo occupatus huius mortem superaverit.[1])

Ne quid omittam, restat mihi, ut de coniectura a Cartault nuperrime prolata breviter admoneam, in quam facillime incidere aliquis potuit, qui Augusti temporibus priores Manilii libros vindicat nec tamen omnes locos supra tactos in hunc vivum imperatorem quadrare putat.[2]) Concedit igitur ille sub Augusto tres libros, ceteros sub Tiberio compositos sub eodem-

---

tellegunt se maritum pactus. Quae ratio pronominis reflexivi omittendi num satis muniri posset nesciens et magnopere dubitans in eam forte incidi opinionem, ut una litterula mutata scribendum esse putarem pactusque maritam, velut apud Livium historicum legitur ex qua domo pactus erat (scil. feminam). Facile scribentis error explicatur, si per siglam terminatio scripta fuit. — Man. V 542 idem Unger (in philologo a. 1890 t. XLIX p. 31) emendat nare Africa tellus, quae coniectura imprimis propter metricas rationes mihi displicet.

[1]) Woltjer, qui nullo certo vestigio ad Tiberium nos duci concessit, Manilium carmen suum Augusto mortuo nondum ad finem duxisse ex illis versibus conicere licere dixit, quibus prooemio finem imposuit (I 114) faveat magno fortuna labori etc. „Haec enim", inquit, „verba sensu carerent, si poeta speravisset fore, ut intra spatium quinque annorum opus conficere posset". Praeclarissime haec quidem Woltjer, quasi Manilius a. 10 vel sciverit vel praeviderit Augustum intra quinque annos naturae debitum redditurum esse! Praeterea illud temporis spatium num multo maius fiet, si quis cum ipso Woltjero quattuor libros Augusto regnante, quintum postea confectum esse statuet? Aliquam esse difficultatem non nego; sed hoc liquet minorem eam non fore, si Freieri de astronomicon aetate sententiae adstipulaberis. Et quid tandem impedit, ne credamus poetam, postquam in materias suas magis in dies sese insinuavit artisque versuum pangendorum peritior factus est, paullo celerius scripsisse quam antea posset sperare? Qua in re respiciendum est, quando poeta scribere coeperit, nesciri; nos nihil supra enodare potuimus nisi terminos, post quos singuli libri confecti editique esse possint.

[2]) Simile iudicium iam Woltjer p. 22 tulit.

que totum opus editum esse. Quamobrem poetae nonnulla mutanda fuisse, quae in Augusti honorem laudemque antea fecisset. At quod Cartault omissis argumentis protulit quoniam nihil est nisi ingenii opinio coniectando nata, quae nulla re comprobari videatur, vi sua carere facile est ad intellegendum. Nulla ratione in eis partibus, ubi de imperatore verba fiunt, mutationem factam esse probatur easque omnes suam eamque planam habere explicationem mihi videor supra evicisse. Nec minus a probabilitatis specie recedere censeo, quod Cartault coniecit de totius operis editione: quae, quoniam nullibi quidquam traditum est nec ex ipsis astronomicis elucet, prorsus ignoratur; sed tamen cum suum cuique libro prooemium longum atque verborum non copia minus quam gravitate iucundissimum praemissum sit, separatim singulorum librorum editionem paratam esse forsan a verisimilitudine non abhorreat; quam in sententiam Ovidianis quoque imitationibus trahi nobis videmur. Quod Iacobus, cui assentitur Teuffelius (IV edit.), postremi libri exordium aliquid spirare ait, quod intermissum aliquamdiu studium testetur (praef. p. XVI), haud suum me fecit, quoniam ad hanc opinionem nulla re mihi videtur adductus esse nisi quod per v. V 500 sq., utpote quos de Pompei theatro incenso annoque p. Chr. n. 12 instaurari coepto interpretaretur, argumentum se nactum esse opinabatur, quo sub Tiberio astronomica finita esse pateret (progr. Lubec. 1836 p. 13 et 14). Mihi ipsa ea, unde incipit hic liber, artissimam cum antecedentibus coniunctionem prodere videntur: huc spectat particula *hic,* huc spectant etiam verba: *Me properare viam mundus iubet (mundi lubet* Thomas l. l. p. 7). Sed de istiusmodi re alii forsitan sentiant alia. Si vero hac argumentatione eius quam dixi opinionis necessitatem nemini imponi fieri non potest quin confitear, ideo non communem totius operis editionem Manilius comparasse putandus est, quam esse factam nulla iusta causa, sed mera coniectura sumitur. Quin immo Pingreus (introduction p. VIII) putat in poetae scriniis libros latitasse neque umquam ab ipso, ut in publicam lucem prodirent, effectum esse. Ut autem eis, qui ultimam manum ad astronomica accessisse negant, assentiar, vel ea re

mihi persuadetur, quod plane aliter atque exspectes, finiuntur atque exordium carmini dumtaxat didactico aptum omnino deest, quod non inique a nostro postulabimus, qui tam largus est in prooemiis condendis. Neque convincor infirmissimis vel potius nullis istis causis, quibus uti solent, qui eo spectant, ut postremam astronomicon partem postea amissam esse probabile reddant. Sextum enim quoque librum a poeta conditum usque ad Firmicum Maternum aetatem tulisse, qui in suum opus nonnulla inde receperit. Quippe qui in hac re iudicium facere volet, ab eo dignum erit quod respiciatur inaequaliter fluere Manilii orationem multosque locos non solum obscuritate, sed etiam asperitate quadam laborare ac ne deesse quidem, in quos discrepantiam videmus collatam. Sed retractatum collectumque opus si noster edidisset, multis sane salebris remotis politius ac limatius ad nos perventurum fuisse habeo persuasissimum. Etenim repugnantias tollere et emendare eisque locis, quibus nunc nihil nisi sententiarum seriem enarratam videmus (cf. Lanson p. 39 sq. c. II 3),[1] addere ei licuisset, quas ipse eligendas, quas reiciendas putaret. Denique illam semper mihi arrisisse opinionem commemorarim, poetam, quominus quod coeperat ad finem perduceret, nulla re nisi morte impeditum

[1]) Ceterum quod negari posse negaverat Martinus Opitius (Buch von der deutschen Poeterei c. III ed. Braune Halle 1878) bonum astronomum fuisse Manilium, id nunc plerisque videtur negandum. Quin immo merum et sincerum oratorem eum esse probare conatur Lanson, qua in re iusto fortasse longius processit; neque quod poesis eius rhetorica arte nititur, mirum esse potest, quoniam non unum, antequam poesin profiteretur, oratorem gessisse compertum habemus. Quod idem philosophiae plus quam astrologica et poetica ars requireret studuisse Manilium infitiatur, haud scio an a recta ratione deflexerit. Nam permulti sane loci adeo stoice sonant, ut huius disciplinae placita accuratius novisse videatur, atque vel maximam cum Stoicis affinitatem intercedere studet demonstrare Woltjer p. 70 sq. Sed quomodo fata libertatem sapientis non opprimerent, quod hoc non exposuit, id non eius propriae, sed communi omnium Stoicorum culpae tribui potest. Ut omnino in illorum de fato doctrina (cf. Otto Heine Stoicorum de fato doctrina. Numburgi 1859) et in eis, quae de libero hominum animorum motu disputabant, magnae difficultates haerebant, quas prorsus superare vix possent, ita ne Manilius quidem disceptare temptavit, quid esset fortuitum, quid ex astris, quid e voluntate penderet.

esse, quia, quo tempore de astris canere coepit, non admodum iuvenem fuisse statuens verisimilitudine non destitutus videtur Lanson (p. 27), si quidem ex eo, quod I 114 sq. optavit, sani quid concludi tibi videbitur audienti ipsius desiderium expressum hisce:

Faveat magno Fortuna labori,
Annosa et molli contingat vita senecta,
Ut possim rerum tantas emergere (Bentl. *evincere*) *moles*
Magnaque cum parvis simili percurrere cura.

Fortasse igitur paullo postquam Augustus, a quo animos sese ad tanta canenda accepisse profitetur, diem supremum obierat, ipse morti iam senescentibus viribus vicinus atque carens tunc maxime fautoris gratia vitam posuisse Manilius non iniuria putetur, sicut Horatius Maecenati non diu superstes fuit, sed statim decedendo excessum eius subsecutus est, qui vires canendi et foverat et auxerat.

Appendix
de Manilii patria.

Per postrema mea verba iam ad coniectandum descendi. Etenim praeter tempus, quo fere singuli libri conscripti esse possunt, nihil de Manilio explorare possumus. Vita eius prorsus nobis ignota est, quoniam id ei accidit, ut a nullo antiquo scriptore citatus sit neque quisquam de eo nobis quidquam tradiderit. Atque ut ipsum nomen incertum esse praeter Woltjerum nemo negat, ita ne de patria quidem, quod ultra dubitationem positum sit, quidquam prolatum esse intellego. Neque Romanum neque Italicum, sed peregrinum natione illum fuisse plerisque nunc verisimile videtur. Huic rei argumento esse, quod non pauca habeat Manilius, quae et ab illius aetatis et totius latinitatis consuetudine abhorreant. Ob eam rem Iacobo primum ex Africa ortus esse visus est, postea Bentleio is sese adiunxit Asianum esse poetam iudicanti. Merkelius vero in prolusione ad Ovidii Ibim frustra in probabilitatis speciem redigere studuit eum, in quem Ovidius inveheretur, esse astronomicon scriptorem; quis enim fuerit ille Ibis non potest explorari, cf. Otto Ribbeck Gesch. d. röm. Dichtung II p. 327 Stuttgart 1889.

Aliquantulum denique operae etiam Lanson perdidit neque multum causas ab eo (p. 5—7) enuntiatas valere pervideo. Primum igitur verum non intellexit declarare conatus, cur memoratis Graeciae scriptoribus Romanos secundo in libro omnino praetermisisset, in tertio vix obiter ac tamquam praeteriens Manilius tetigisset. Cuius rei exexplicamenti aliquid sic attulisse sibi videtur, ut diceret, quia in Graio orbe natus ideoque si non in Graecia, in Asia certe Graiis moribus ac disciplinis imbutus ibique educatus fuisset, viguisse in memoria eius Graecarum litterarum exempla, et praesentia semper ac vivida ultro exundasse, Romanas vero litteras tardiore cura et maiore labore haustas non nisi meditanti adfuisse neque ipsas non attendentem sollicitasse. Quae haud sciam an ne opus quidem sit refellere. Neque enim quemquam praeter Lansonem persuasum habeo negaturum esse Romanorum quoque monumenta praesentia usque fuisse Manilio, si modo secum reputaverit illum in ipsa dictione Romanarum litterarum doctrinam ostentare cupisse ac praecipuam quandam operam priorum poetarum exemplis tribuisse. Quidquid enim illi elocutionum atque apparatus mythologici effinxerant, id in suum usum eum imitando detorsisse ex eis, quae Cramer patefecit, apparet dilucide. Quin etiam quantopere Latinas litteras mente comprehenderit, ex eo luculenter intellegas, quod et prosodiacam et metricam rationem adeo non male tractavit, ut contra in arida rerum asperitate mirus fere, ut ita dicam, versuum artifex exsisteret, cf. L. Mueller d. r. m.; Birt ad hist. hex. Lat. symb.; Cramer l. l.; Philol. XV p. 481. 492. Neque annalium Romanorum imperitum se praebet: noverat huius populi bella, pugnas victoriasque, noverat viros illos fortes beneque de republica meritos.

De quibus hic illic, ubicumque res ferebat atque occasio, exornandae orationis causa libris suis abunde notitias admiscere nequaquam potuit, si hospes ac peregrinus in historia Romanorum fuisset atque poetas primoribus modo labris gustavisset.

Quaerenti autem, quid tandem fuerit causae, cur transiret Romanos poetas Manilius, consilio poetae illud, non ignorantiae videtur tribuendum. Audias sic loquentem (I 49 sq):

> Omne genus rerum doctae cecinere sorores;
> Omnis ad accessus Heliconis semita trita est,
> Et iam confusi manant de fontibus amnes,
> Nec capiunt haustum turbamque ad nota ruentem.

Quae cum dicit, non solum a Graecis, verum a Romanis quoque poetis tritas et absumptas omnes copias esse intellegi velit necesse est. Nam si Graecos solos respexisset, nil sane eum impediret, quominus eas res, quas ab illis tractatas sciret, Romanis quoque proponeret versibus vinctas. At sic nostri verba interpretanda contendo, ut dicat se non sicut ceteros Romanorum poetas res illas iam e Graeca poesi notas retractare velle, sed novam eligere materiam, quam Graeci nondum sibi tractandam sumpserint. Atque facile quidem Romanos, etsi non nominantur, ex argumentis commemoratis subaudimus; quod ne neglegamus ab ipso paene poeta admoneri videmur, cum locutus de Homero haec addit:

> cuiusque ex ore profusos
> Omnis posteritas latices in carmina duxit
> Amnemque in tenues ausa est deducere rivos
> Unius fecunda bonis.

Omnem igitur, non Graecam tantummodo posteritatem ex illo quasi e communi fonte hausisse dicit. Ac sui cuique Romanorum haec legenti Vergilii in mentem venire debuit, sicut insequentes de Hesiodo versus Vergilii Georgica in animos revocant eosque poetas, qui de rerum origine scripserunt, ut Lucretius atque etiam Ovidius. Adde quod quidam illi, qui astrorum varias figuras dixere (v. 25) non Graeci soli debent esse, quoniam Cicero Arati phaenomena vertit et Ovidius quoque composuit phaenomena, eaeque fabulae, quas hoc loco poeta commemorat, in Metamorphosibus inveniuntur. Iam versu 4 et sequentibus ad Aemilium Macrum, qui ut ornithologiam, ita theriaca confecit et de herbis scripsit, ac Grattium Faliscum, Cynegeticon auctorem, aliosque alludere videri potest. Qua in re pluris interest, qualia argumenta quam quae poetarum nomina laudet. Itaque Romanos nominatim non allatos esse a Manilio crediderim non qui nonnisi meditanti adfuerint, sed de industria tecte eos significat, quasi nihil nisi imitati sint et exscripserint Graecorum poetas: qua quidem re laudis eorum aliquid quodammodo concerpere videtur in animo habere, quo maiorem ipse in gloriam veniat, qui Pieridum fontes extendere conetur, ut ait ipse in tertii libri initio, ubi rursus non tam nomina poetarum, quam res et argumenta commemorata videmus: quod iterum in memoriam revoces velim. Itaque ex his locis, de quibus modo disseruimus, nihil nobis

fructus consequi licet, quod ad eam quaestionem persolvendam aptum sit, utrum Asiaticus an Afer fuerit astronomicon poeta.

Neque magis quae de Asia et Africa ille dixit, ullo pondere puto esse. Sed ut Africanum poetam fuisse concedas, quomodo amor patriae (cf. Lansonis diss. p. 9!!), ne vera, quae IV 662 sq. scripta videmus, de ea diceret, impedire potuerit, vix valebis intellegere, praesertim si a Manilio ipso Romam duci patriam animo reputaris: gentis Romanae nimirum admiratione valde captus est et maiorem spiritum videtur sumere, quotiescumque de fortibus viris, qui illinc prodiere, eorumque facinoribus versus pangit. Certe non magis cum de Asia quam cum de rebus a Romanis gestis loquitur, oratio fervet verbisque grandibus erumpit admiratio. Gloriatur paene, credo, nomine Romano et tamquam ac si civis Romanus sit, se gerit cum dicit IV 41 Speratum Hannibalem nostris cecedisse catenis (quo in versu spectatum nihil nisi mala coniectura videtur esse, cf. Stoeberi notam), II 888 censum sic proxima Graiae Nostra subit linguae, III 40 sq. et signa externa referentur nomina lingua etc., IV 776 hanc condidit urbem (sed de hoc loco variae sunt interpretum sententiae, quia dubia est vera lectio); omitto v. I 790, quia falsam esse puto Bentleii coniecturam nefandi. Quin etiam Broeckelius l. l. ex IV 41 et 776, siquidem non spurii sint, elucere vult, astronomicon auctorem Romanum fuisse ac Romae scripsisse, atque etiam Woltjer illos versus testari dicit poetam Romanum aut certe Italum fuisse (p. 26). Quod cum ita se ferat Manilius, illa, quae de Africa in astronomicis exstant, eidem, etiamsi Afer fuisset genere, scribere licuit.

Etenim hoc erat vulgi de Africa dictum, atque omnium fere Romanorum scriptorum de illa terra eadem est vox. Cuncti, quotiescumque de ea narrant, horrore quodam percutiuntur, terribilis eis est monstrorum parens atque horrida desertaque regio nec non inhospita, abundans anguibus et arenis et procellis furibundis. Vel in proverbium tracti erant angues Mauri et venti Africae. Cf. de Africa: Varr. sat. Menip. 225; Varro L. L. VII 40 (Africae, scil. bestiae!); Sall. Iug. 17; Hor. c. I 1, 15; 3, 12; 14, 5. III 23, 5; 29, 57; Prop. V 3, 47; Verg. Gg. II 105; Aen. I 384 IV 40; Ov. Met. II 239. XIV 83. IV 6, 17 sq.; multisque aliis locis, quos enumerare longum est, similia invenies. At vero pro aurifodina tamquam et aurificina plerisque fuit Asiae florentis terra (Met. XIII 484), ubi Troianorum olim potentissima regna floruerant, ubi regnaverat Croesus hominum ditissimus omnium, ubi auriferi Persae (*χρυσοφόροι Μῆδοι* cf. Simonid. Cei carm. rel. ed. F. G. Schneidewin Brunsvigae 1835 p. 145) sedes habebant, ubi Caystri erant prata fertilissima (Verg. Gg. I 383. Hom. Il. II 461 *Ἄσιος λειμών*, Arr. V 6, 4 *Καΰστρου πεδίον*), ubi denique flumina et erant et praedicabantur auriflua (Man. IV 672. Eurip. Bacch. 15 et 16), unde et in proverbium cesserat Lydius ille aurifer amnis Pactolus, ut vel Chrysorrhoas audiret atque Horatius proverbialem ederet versum: Tibique Pactolus fluat, cf. Prop. Monob. 14, 11 (Herod. V 101. Schol. Arist. Plut. 287. Verg. Aen. X 142; Tib. III 3, 29; Plin. V 110; Solin. XL 11; Hygini fab. 191 et 192; Hor. Epod.

XV 20). Quam opulentam omnes Asiam duxerint, huius rei etiam ex aliis Horatii locis documentum capias, qui Phrygiam c. II 12, 22 totiusque Asiae campos Epist. I 3, 5 pingues appellat (cf. etiam Epist. I 1, 11 sq. et Cic. d. imp. Cn. Pomp. 6, 14. Iustin. 38, 7, 6; Cat. 46, 4) vel ex Tibulli elegiis, ubi Assyria pinguis dicitur III 2, 24 vel ex Propertio (I 6, 14), apud quem Asiae divitias legas (cf. Ov. Fast. VI 420 opes Asiae; Hor. Sat. I 7, 19 ditem Asiam); neque aliter Indos idem dites dicit (IV 3, 1) sicut divitem Indiam Horatius (c. III 24, 2). Ideo cum Asiae census in proverbii consuetudinem venisse videas, non Manilius solus, sed omnes fere scriptores, apprime poetae, oblata occasione de hac mundi parte plura eaque laetiora narrant quam de Africa, praesertim quod etiam clarissimae de Asia fabulae ferebantur, atque tum temporis imprimis in Graeciam atque Asiam peregrinationes suscipiebant Romani. Sed quorsus tam multa de hac re? Necesse esse putabam haec apponi, quia Lanson his Asianam Manilii originem probari ratus est. Quae de Asia proferuntur, unusquisque profecto Romanus homo illa aetate scire poterat, qua persaepe multa et longa itinera fiebant. Satis igitur intellectum arbitror Lansonis argumentandi ratione illi opinioni, qua ex Asia oriundus Manilius putetur, maiorem fidem non accedere.

Atque in eo quidem nunc omnes conveniunt, in sermone nihil inesse, unde Afrum fuisse eum iure colligatur, et Graecorum quoque studiorum vestigia, si Bernhardyo et Cramero (l. l. p. 6; praeterea cf. A. Cramer der Infinitiv bei Manilius. Comm. in hon. G. Studemund. Argentorati 1889 p. 61—65, quem libellum ipse non inspexi, sed cognovi per K. Rossberg Berl. phil. Wochenschrift 1890 Nr. 10 p. 311 sq.) credimus, qui dissentiunt a Teuffelii (in quinta editione Schwabeus Cramerum videtur sequi) et Iebbii (l. l. p. 139) iudiciis, non nisi rarissima et paucissima inveniuntur, ut num recte poetam, de quo loquimur, peregrinum fuisse hominibus eruditis suspicio orta sit, incertior quam quondam haeream.

Hoc mihi constat poetam nulla re ipsum indicare se non esse Romanum aut Italum. Quid igitur, si quis, etsi non in urbe Romana, at in Italia certe eum natum, sed a teneris unguiculis rustico cuidam sermoni adeo assuetum fuisse proponat, ut, cum de argumento difficultatibus abundante scribere coepisset, purum ac sincerum vernaculae urbanitatis colorem quamvis nitenti non usquequaque assequi contingeret, etiamsi antea in rhetorum ludos itasset. Hoc modo quae propria habent huius libri a reliquaque Augusti aetatis poesi aliena, haud scio an satis superque ea explicentur, praesertim cum et Cramer (p. 36) et Woltjer (p. 30 sq.) non tantum esse eorum numerum probaverint, quantus vulgo putetur. Nec tamen in re tam lubrica pro certo quidquam affirmare ausim, atque verito imprimis cum Bentleio, qua sum tanti ingenii reverentia, in certamen descendere, sufficiet mihi, si quae Lanson dixit, nullo modo in argumentorum locum recipi posse probavero. Hoc quoque concedendum erit Romae scribenti Manilio optime occasionem offerri potuisse eos libros

cognoscendi, quos Tomis Ovidius misit. Valde autem dolemus, quod iudicium de hac tam gravi re nondum subactum est, namque si extra Italiae fines Manilium natum nec satis linguae Latinae peritum fuisse putabimus, numquam constitui poterit, quid sibi sumpserit, quid reliquerit audendum, ac si qui ea, quae codicibus praebentur, prava et vitiosa esse rati emendaturi sunt, semper eis, ne genuina corrigant, timendum erit. Iacobus autem in hoc scriptore, qui apud exteros natus quidvis auderet, id quoque ferendum iudicans quibus in emendando hoc carmine fundamentis niti posset, id mihi quidem non contigit, ut intellegerem.

In fine eis, qui Manilianis studiis vacant, indicare liceat hoc ipso tempore Thomam eum, quem non semel citavi, edidisse deux corrections au texte de Manilius in Revue de l'instruction publique en Belgique XXXII (6 p. 374—375), ad quam aditum mihi adhuc nequivi parare.

INDEX.

VITA.

Natus sum Augustus Kraemer, fidei addictus catholicae, a. h. s. 66 m. Iunii die altero Wilinaburgi, in urbe Nassoviae, patre Georgio operario, matre Maria e gente Goldbeck, cui praematura morte abreptae successit Elisabetha e gente Hubert. Puerum ludo publico primis elementis imbutum in Matzatii scholam pater misit: unde eo instructus testimonio, quod per unum annum stipendia merituris opus est, cum vere a. h. s. 81 abissem, autumno in gymnasii Wilinaburgiensis alteram classem receptus sum, postquam per aestatem cum Latinam tum Graecam linguam duo vv. dd. summaque mihi venerandi pietate me docuerunt, et pastor optimus † Iacobus Stein et Hugo Ottmann, phil. Dr., quibus iam antea usus eram praeceptoribus. Quorum quod hic tantum gratias animo effusas audire potest, summopere doleo; illius, qui ut studiis (eisque theologicis) me dedere constituerem primus movit, quoniam cum maximo meo maerore vita cessit, nil nisi animam avere ac valere possum dicere piam atque candidam. Maturitatis testimonium vere a. h. s. 85 adeptus Argentoratensem petii academiam et apud physicos nomen dedi; sed sex mensibus post Marburgum profectus impetravi, ut inter philologos referrer. Peracto dein anno me contuli Berolinum, unde post bis senos menses Marburgum reversus a. h. s. 89 aestate examen pro fac. doc. et insequente hieme id quod vocant rigorosum prospere superavi annum agens tirocinii in gymnasio Marburgiensi. Docuerunt me viri clarissimi † de Bary, Bergmann, Birt, Caesar, Diels, Dilthey, Iusti, Ad. Kirchhoff, Koch, Kundt, Lenz, Lucae, Ad. Michaelis, Niese, Paulsen, Robert, Schering, Io. Schmidt, L. Schmidt, Ed. Schroeder, Stosch, L. de Sybel, H. de Treitschke, Vahlen, Wigand, Wissowa, Zeller. Horum sive privatissimis exercitationibus sive seminariis me interesse siverunt de Bary, Bergmann, Birt, Diels, L. Schmidt, Robert, Koch Lucae, Schroeder, Stosch, Lenz, Niese. His omnibus ex animi sententia gratias ago. Maximis autem me obstrinxerunt beneficiis cum Diels et Schroeder Berolinenses, tum Marburgienses Niese et Birt, cui una cum parentibus hanc licuit dicare dissertationem.

Typis A. Cramer Wilinaburgi.

From Fleckeisen: annal: vol 139

23.

ZU MANILIUS.*

I 25 *quem primum interius licuit cognoscere terris?*
munera caelestum. quis enim condentibus illis
clepsisset furto mundum quo cuncta reguntur?

einig sind Scaliger, Bentley und Jacob darin dasz *licet* hier frei construiert sei = *cui primo licuit* usw., einig auch darin dasz sie den satz als frage fassen; natürlich setzen Scaliger und Bentley das fragezeichen hinter *caelestum.* sie nehmen beide anstosz an *interius* (V 1. 2 *internis*), corrigieren daher — jener *infernis terris*, dieser *cognoscere caelum.* dem zufolge wählen sie aus der lesart G $\overset{+}{m}uner\overset{e}{a}$ — jener *munera* (ω), dieser *munere.* Jacob nimt keinen anstosz an der verbindung *interius cognoscere.* ich stimme ihm zu und verbinde auch in v. 31 '*per te iam caelum interius, iam sidera nota*' *interius* mit *nota.* wer nimt an *interior*, *intima cognitio*, *ars*, *disputatio* anstosz? in ähnlicher übertragung sagt Manilius *penitus scire* (I 17), *propius rimatur* (I 737), *propius scrutantibus* (I 11). anstosz aber nehme ich an *quem licuit*, zumal da der gedankengang etwas anderes verlangt. der dichter fragt doch nicht nach dem e r s t e n astrologen, sondern er stellt den satz auf: die e r s t e w i s s e n s c h a f t l i c h e k e n n t n i s der gestirne beruht auf f r e i e r g a b e der himmlischen, und er begründet diesen satz mit der argumentierenden frage: *quis e n i m* usw. es ist demnach zu interpungieren und zu lesen:

22 . . *certa cum lege canentem*
mundus et immenso vatem circumstrepit orbe,
vixque soluta suis immittit verba figuris.
quem (sc. *mundum*) *primum interius licuit cognoscere terris*
munere caelestum. quis enim usw.

I 218 *sed quaerent helicen, quibus ille* (sc. *canopus*) *supervenit ignis,*
quod laterum tractus habitant, medioque tumore
eripiunt terrae caelum visusque coërcent.

der fehler liegt in *habitant*, wie Bentley sah; doch weicht seine änderung *obstant* zu weit von den schriftzügen ab. man wird zu lesen haben *l a t i t a n t*; dabei fasse ich *terrae* als subject im folgenden satze, und verstehe unter *laterum tractus* das gebiet, in welchem der grosze bär sichtbar ist. — *terrae* im plur. = *orbis terrae* häufig im gegensatz zu *caelum*, *pontus*, *aër*.

---

* ich citiere nach FJacobs ausgabe (Berlin 1846), bezeichne die handschriften wie Jacob: G = Gemblacensis, C = Cusanus (zweite Brüsseler hs.), L = Lipsiensis (Lc = Lips. correctus), V 1. 2 = Leidenses. der kürze halber bezeiche ich mit o die übereinstimmung der genannten hss.; mit ω diejenige der nicht besonders angeführten unter ihnen; mit P meine abhandlung 'de emendatione Manilii' (Hamm 1854).

I 228 *quodsi plana foret tellus, semel orta per omnem*
deficeret (sc. *luna*), *pariter toto miserabilis orbi.*

toti GLc, *toto* ω. jenes ist herzustellen, *orbi* ist nicht ablativ, sondern dativ (v. 223 *confundis sidere gentes*). merkwürdig ist die übereinstimmung mit Plinius *n. h.* II 180 *quod si plana esset terra, simul omnia apparerent cunctis*, und es dürfte auch bei Manilius zu schreiben sein:

quod si plana foret tellus, simul orta per omnem
deficeres (so Bentley) *pariter toti miserabilis orbi.*

I 245 *nos in nocte sumus somnosque in membra locamus.* *somnosque in* haben LC, *somnos et* V 1. 2, *somnos in* G. die verbindung *in membra locare* findet Jacob nicht anstöszig. *locare* gebraucht Manilius recht häufig. aber wenn es heiszt: (II 732 ff.) *tunc summa relicta in binas sortes adiecta parte locetur dimidia*, so liegt die sache da etwas anders. *in* mit acc. bezeichnet hier wie so oft bei Man. resultat, absicht der handlung, = *ita summa locetur, ut binae sortes adiecta parte dimidia efficiantur.* in unserm verse ist der fehler offenbar. ich empfehle zu schreiben *vocamus.*

I 354 — — *Cassiepia*
in poenas signata suas iuxtaque relictam
Andromedam vastos metuentem pristis hiatus
expositam ponto deflet scopulisque revinctam,
ni veterem Perseus caelo quoque servet amorem
auxilioque iuvet fugiendaque Gorgonis ora
sustineat usw.

in 355 ist wohl *relicta* zu lesen. die schwierigkeit liegt in *ni . . servet*: so schreibt Scaliger im commentar. Jacob sagt dazu: '*ni*, ut saepe, levi structurae mutatione locum particulae *sed* occupat: metuit Andromeda, sed servat amorem Perseus.' aber überall und namentlich in dem citierten beispiele (Verg. *ge.* IV 455 *tibi has miserabilis Orpheus hautquaquam ob meritum poenas, ni fata resistant, suscitat*) behält *ni* seine eigentliche bedeutung, dasz es den fall angibt, in welchem der hauptsatz zu verneinen ist. demnach darf Kassiepeia in dem falle nicht weinen, wenn Perseus etwa seine liebe noch festhält. sie ist nun aber einmal als wehklagende dargestellt. Jacob zieht freilich *ni* zu *metuentem*, und Bentley erleichtert sich das, indem er v. 357 *expositam ponto* usw. ausstöszt und 356 so umformt: *Andromede vastos metuat iam . .* ('nisi Perseus prope adsit, prisco amore devinctus . . ut olim in terris'). *ni* bieten aber nur die jüngern hss. V 1. 2; GLC
seruet
haben *in.* ferner hat G *feruet*, *seruct* die übrigen. ich schreibe ohne bedenken:

in veterem Perseus caelo quoque fervet amorem
auxilioque iuvet fugiendaque Gorgonis ora
sustineat.

das erste stellt Man. als thatsache hin; *iuvet* und *sustineat* wählt er, insofern aus der stellung und haltung des Perseus im bilde sich ab-

nehmen läszt, dasz er den kampf gegebenen falls wiederholen möchte (vgl. die tafel in Bentleys ausgabe). zu *fervere in amorem* vgl. I 408 *micantis in radios*; V 529 *spumantis in aurum* ua.

I 382 ff. heiszt es von dem südlichen gestirnten himmel:

nec minor est illis mundus nec lumine peior,
nec numerosa minus nascuntur sidera in orbe.
cetera non cedunt; uno vincuntur in astro
Augusto, sidus nostro quod contigit orbi,
Caesar nunc terris, post caelo maximus auctor.
387 *cernere vicinum geminis licet Oriona . .*
395 *hoc duce per totum decurrunt sidera mundum.*

wäre mit *astro augusto* ein gestirn bezeichnet, so könnte man nur an Plinius *n. h.* II 178 erinnern: *nec canopum (cernit) Italia . . item quem sub divo Augusto cognominavere Caesaris thronon, insignis ibi stellas.* dies ist nicht gemeint, da Italien dies gestirn eben nicht sieht. das hier bezeichnete gestirn aber — *nostro contigit orbi.* nun könnte man *sidus* bildlich fassen (vgl. *Iulium sidus* bei Hor. *ca.* I 12, 47); Augustus wäre selbst *sidus*, jetzt noch lebend, später unter den gestirnen waltend. in der that sind diese verse benutzt, um die lebenszeit des Manilius festzustellen. aber diese schmeichelei wäre recht unglücklich, ja beleidigend für Augustus. da wird doch stärker aufgetragen, wenn man von dem *praesens divus* spricht: vgl. I 800 *caelum quod regit Augustus socio per signa* (? *regna*) *tonante*; oder IV 935 *maius et Augusto crescet sub principe caelum*; I 926 *cumque deum caelo dederit, non quaerat in orbe.* auch grammatisch sind beide verse bedenklich: *in astro augusto* oder *Augusto* gefiel schon Bentley nicht ('immo vel legendum *qui contigit* vel *Augustum sidus*'); ganz lahm schlieszt sich an: *Caesar nunc terris, post caelo maximus auctor*; beide verse sind endlich recht holperig gebaut. sollten sie nicht derselben schmiede entstammen, welche IV 776 lieferte (*qua genitus Caesarque meus nunc condidit urbem*)? ich glaube, beide verse sind interpolation. beziehe man nur *cetera non cedunt* auf die *borealia signa*, so schlieszt sich alles sachgemäsz zusammen:

cetera non cedunt; uno vincuntur in astro:
cernere vicinum geminis licet Oriona usw.

denn dieser überstrahlt in der that alle *signa borealia* (vgl. V 12 *Orion magni pars maxima caeli*; V 58 *maximus Orion, magnumque amplexus olympum*).

I 755 ff. die placita der philosophen und poeten über die milchstrasze sind von Manilius ausführlich (v. 684 bis 805) erörtert, wobei er der zusammenstellung des Poseidonios folgt (vgl. Diels im rhein. mus. XXXIV s. 490). in der textkritischen behandlung dieses abschnittes hat Jacob wenig glück: am wenigsten bei dem fünften placitum. er schreibt:

an maior densat stellarum turba corona
connexas flammas et crasso lumine candet
et fulgore nitet caelato clarior orbis?

die hss. geben folgendes: v. 755 *densa* G. *densat* ω 756 *conuexit* GL. *contexit* CV 1. 2 757 *collato* GLC. *caelato* V 1. 2. für seine schreibung führt er an: 'in coronam connexas flammas turba stellarum densat. *coronam* eam tantopere ornat verbis, quia domus principum virorum caelestis est.' dabei merkte er nicht, dasz Man. erst im sechsten placitum, v. 758 ff. *an fortes animae* usw. die milchstrasze als sitz der helden schildert. — v. 755—57 enthalten das placitum des Demokritos (Diels doxogr. s. 365): πολλῶν καὶ μικρῶν καὶ συνεχῶν ἀστέρων συμφωτιζομένων ἀλλήλοις διὰ τὴν πύκνωσιν συναυγασμόν, und dies tritt wieder klar hervor, wenn man überall dem G folgend schreibt (P s. 7):

an maior d e n s a *stellarum turba corona*
c o n v e x i t *flammas et crasso lumine candet*,
et fulgore nitet c o l l a t o *clarior orbis?*

I 758. die milchstrasze ist nach ansicht der ältern Pythagoreer (Diels ao. s. 490) sitz der *fortes animae*, *dignataque* n o m i n a *caelo*
† *numina*
